


Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



752.

26036 d. 8/5

ANNALES

ALMAE LITERARVM VNIVERSITATIS

INGOLSTADII

OLIM CONDITAE INDE AVTEM PRIMO HVIVS SECVLI INITIO

LANDISHVTVM

POSTEAQVE LANDISHVTO

MONACHIVM

TRANSLOCATAE

POST

PLVR. REV. MEDERER BEAT. MEM.

CONTINVAVIT

ET

APPENDICEM DIPLOMATICAM

ADIECIT

MICH. PERMANEDER,

SS. THEOL. ET IVR. VTR. DOCTOR, IVRIS CANONICI IN ALMA REGIA LVDOVICO-MAXIMILIANEA LITT. VNIVERSITATE PROFESSOR P. O., REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI MONACO-FRISINGENSIS A CONSILIIS ECCL. ET REGII ORD. MERIT. S. MICHAELIS EQVES.

PARS V.

ab ao. 1772, quo Mederer desiit, usque ad annum 1826 incl.

MONACHII 1859.

Sumptibus typographi acad.

J. G. Weiss.


BIBLIOTHECA BODLEIANA

SVB

AVSPICIIS

AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI BAVARIAE REGIS ETC. ETC.

MAXIMILIANI II.

CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI

AMPLISSIMVS

REGIAE LVDOVICO-MAXIMILIANEAE LITERARVM VNIVERSITATIS

Senatus academicus

ad propositionem illustrissimi **DD. Hieronymi de Bayer,** t. t. quintum Rectoris Magnifici &c.

jam sexto abhinc anno clementissime mihi in mandatis dedit, ut clarissimi

MEDERERI

Annales Ingolstadiensis Academiae

ab anno 1772, quo ille desiit, eodem prorsus ordine ac modo ad haec usque tempora continuarem, et in hunc finem datis supplicibus ad Majestatem literis impetravit, ut mihi non solum ad domestica Universitatis scrinia sed etiam ad secretum regni tabularium aditus pateret. Quod negotium mihi commissum tanto lubentius in me suscepi, quanto pluris ad ad honorem almae Universitatis nostrae et ad communem rem literariam interesse existimavi, ut ea quoque memoriae proderentur, quae inde a seculo tertio fundatae Ingolstadiensis Academiae tam in ipsa avita sua sede quam post ejusdem iteratas translationes Landishuti et Monachii laudabiliter ac praeclare gesta sunt.

Mihi vero honorificentissimum illud mandatum peculiari de causa jucundissimum fuit. Hac enim data occasione potui non solum eorum, quorum olim quotidiana fere consuetudine ac doctrina per quadriennium fueram usus, clarissimorum Professorum refricare memoriam manibusque eorum debita pietate parentare, verum etiam virorum illustrium, quibuscum collegiali etiamnum jungor consortio, egregia merita enarrare resque

gestas a commilitonibus ad unum objectas intuitum oculis animoque perlustrare.

Itaque Antecessoris mei vestigia secutus his in annalibus, quibus seculi quarti priorem partem absolvi, quovis anno Rectorum Universitatis successionem tradidi, deinde integrum e matriculis catalogum contexui tam nobilitate generis Illustrium, qui singulis annis Albo nostro academico sua nomina dederuut, quam etiam eorum, quos postero tempore eximiores honoris aut dignitatis gradus consecutos fuisse comperire potui. Singularem porro diligentiam in eo posui, ut illorum, qui scholam nostram hactenus tam ore quam calamo illustrarunt, Professorum atque Docentium non solummodo nomina et designationes simpliciter breviterque memorarem, sed etiam eorundem vitam ante actam, praestitum in studiis profectum, edita quotannis specimina eruditionis aliasque cujuscunque generis virtutes, atque inde parta sibi praemia, honores, dignitates fusius explicarem. Neque minus ea omnia, quae quovis anno alicunde ad Universitatis sive incrementum sive decrementum evenerunt, accurate fideliterque adnotavi, atque ita ex monumentis hinc inde quantum licebat indagare collectis et in concinnam temporum rerumque gestarum seriem dispositis Annales hosce consarcinavi.

Si vero minus aliquoties justa doctissimorum virorum exspectatione videbor praestitisse, praesertim in recensendis novis per singulos annos Doctoribus, excusatum me habeant benignissime; non enim semper poteram quae maxime volebam perficere, necessariis scilicet subsidiis destitutus. Nam diaria decanalia, quibus tanquam limpidissimis fontibus clarissimus Mederer in concinnando suo opere usus fuerat, mihi de medica tantum ac philosophica Facultate, et ne haec quidem ultra annum 1801 suppeditarunt. Unde hujus certe utriusque Ordinis Candidatos eo usque suprema doctoratus laurea ornatos ad unum omnes potui nominatim designare. Quod utique etiam de theologiae ac jurisprudentiae Doctoribus lubentissime fecissem, nisi monumenta ad texendam illorum seriem fere penitus defecissent. Quidquid igitur hujus generis ex illo tempore in his annalibus attulisse me cognoveris, maximam partem ex aliis undecunque fontibus fide dignis colligere conabar. Inde autem ab anno 1801 eos potissimum e singulis Facultatibus Doctores laudavi, quorum diplomata in tabulario nostro reperi asservata. Quae an sint numero plena, nescio. Demum enim ab anno 1826, quo haec Annalium Pars quinta terminatur, ut acta nostra omnino curatius conscripta sunt et meliori ordine digesta, ita etiam annui Doctorum catalogi diligentius consignari coeperunt.

Quod superest, candide Lector, Te iterum atque iterum rogo, ut si quandoquidem fortassis earum, quae apud Romanos scriptores aut omnino nusquam aut non in eo quo nos utimur sensu obveniunt, penuria vocum coactus ipsimet mihi formaverim appellationes, in meliorem partem eas interpretari, et honestos meos conatus siqua ex parte poteris juvare digneris.

Monachii, decimo a. Cal. Maji MDCCCLVIII.

ANNALES
ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS.

SECVLVM IV.

ANNO DOMINI MDCCLXXIII.

Ao.

Rector DXXIII: **Josephus Antonius** CARL Med. D^r, Principis Electoris utriusque Bavariae Ducis Consiliarius aulicus et in hac alma Universitate Physico-Chemiae, Materiae medicae et Botanices Professor publ. ord. II^do 1773.

Inscripti 236.

Illustres:

Maximilianus Leopoldus Carolus Fidelis **Lib. Bar. de Cronegg** a Lodersheim et Asenbach; Brunoviensis Bojus.

Carolus Josephus **L. B. de Welden** in Laupheim; Campodunensis Algojus.

Franciscus Joannes Nepom. Maria **L. B. de Annethan** a Densborn; Pfaffenhofiensis Palatinus.

Carolus Eligius **L. B. de Strommer** ab Jetzendorf, Weix, Panzing, Leoprechting; Jetzendorfensis Boj.

Josephus Antonius Maximilianus **L. B. de Silbermann** ab Holzheim in Strass, Burgheim et Ockermühl; Strassensis Neo-Palatinus.

Ao. 1773.

Cajetanus Fr. de Paula Anton. Nepom. Clemens Maria **L. B. de Vieregg** a Gerzen, Mangern, Brunn &c.; Geratshusanus Boj.

Fr. Xaverius Joannes Nepom. Josephus **L. B. de Gugler** a Zeilhofen, Philosoph. D.r, Sacerdos; Landishutanus Bav.

Novi Profess.

P. Gerhohus **Steigenberger** Peissenbergensis Boj., Canonicus regularis Pollinganus; Logices Metaphysices et Ethices Prof. publ. ord.

P. Fr. Xaverius **Gruber** Riedenburgensis Boj. S. J. Presbyter; Eloquentiae tam sacrae quam profanae Prof. p. o.

P. Hermannus **Scholliner** Frisingensis Bav., Ord. S. Bened. Oberaltacensis; Theologiae dogmaticae Prof. p. o.

P. Jo. Nepom. **Mederer** S. J., Historiarum antehac in Facultate philosophica, nunc in theologica Historiae ecclesiasticae Prof. p. o.

Jo. Francisc. Wolfgangus **Schmitt,** Peutinganus Palatinus, Theologiae moralis Prof. p. o.

Joannes Adamus **Weishaupt** Jurium prius extraordinarius nunc Juris canonici Prof. p. o.

Georgius Ludovicus Claudius **Rousseau,** superiori anno Physico-Chemiae extraordinarius, nunc ejusdem et Historiae naturalis Prof. p. o.

Novi DD.r 19 Octobr. *Jo. Mich. Sailer,* Aresinganus Boj. — *Sebast. Winklhofer,* Philos. D.r, Munzinganus Boj. 17 Decembr. *Jo. Fr. Wolfg. Schmitt,* Theologiae plemicae in Lyceo Electorali Monacensi hucusque Prof. } *Theolog.*

16 August. *Balthasar Deysinger,* Ingolstadiens. Bojus, *Medic.*

				Ao.
Mense Aug.	*Antonius Daezl,* Furthensis Boj.			1773.
—	*Laurent. Hübner,* Donauwörthanus Boj.			
7 Octobr.	*Fr. Xav. Gebhard,* Mindelhemiensis Suevus			
19 Octobr.	*Sebast. Mutschelle,* Alershusanus Boj.			
8 Novembr.	*Gerhohus Steigenberger,* Logices et Metaphys.	Proff. design.	*LL. AA.* et *Philosoph. Magg.*	
—	*Ludovicus Rousseau,* Chemiae et Hist. natur.			
—	*Francisc. Xav. Gruber,* Rhetorices			
—	*Vicelinus Schlögl,* Canonicus Pollinganus			
17 Decembr.	*Wolfg. Schmitt,* Theolog. moralis Prof. design.			

Praeter Illustres supra laudatos, qui hoc anno Albo nostro academico nomina dederunt, commemorari etiam jure merito possunt: *Antonius Daezl,* Artium liberalium et Philosophiae D.r, Furthensis Bojus; *Fr. Xaverius Gebhard,* AA. LL. et Philosophiae nec non S. Theologiae D.r Presbyter, Mindelheimensis Suevus; *Josephus Milbiller,* Monacensis Bavarus; *Jo. Michaël Sailer,* AA. LL. et Philos. Baccalaureus, Aresinganus Bojus; *Vicelinus Schlögl* Canonicus regul. Pollinganus, Professor Syntaxeos Sacerdos; *Sebastianus Seemiller,* Veldensis Boj.; *Fr. Xaverius Semer,* Pruggensis Palatinus; *Gaudentius Staudinger,* Canonicus regul. in Roth; *Antonius Will,* Argentoratensis Alsatus. Hi enim omnes postea ad cathedras academicas evocati sunt, easque tam praestantissima doctrina quam etiam scriptis libris ornarunt. His adde sis *Franciscum Xaverium Aloysium* et *Josephum Ludovicum Antonium Carl,* supra dicti Rectoris magnificentissimi filios, Ingolstadienses; *Jo. Michaëlem Adamum Domayr* SS. Theol. ac Jur. utriusque D.rem, Serenissimi Ducis & Electoris Consiliarium ecclesiasticum, Protono-

Ao.
1773. tarium Apostolicum et p. t. Parochum in Auschwang, Pedepontanum Bojum; *Laurentium Hübner,* Donauwörthanum Bojum, AA. LL. et Philos. D.rem, posthac Serenissimi Electoris Consiliarium eccles. actualem & Scientiarum Academiae Monacensis socium; *Godofredum Wagner,* S. R. I. Equitem de Wagenhofen Salisburgensem, antea Principis Archiepiscopi ibidem Dapiferum, nunc in Universitate hujate equitandi Magistrum.

Inter res autem hoc anno gestas memoratu longe dignissima est suppressio sacrae Societatis Jesu. Is enim venerabilis ordo, qui jam per tria fere secula felicissima haeresum limitatione, assidua religionis catholicae inter infideles propagatione, egregia literarum doctrina morumque emendatione, viris sanctitate conspicuis et in omni paene scientiarum genere versatissimis, exaratis denique innumeris et iis quidem praestantissimis libris eminebat, a CLEMENTE **XIV R. P.** die 21 Junii per Bullam famosissimam *„Dominus ac Redemtor“* abolitus et extinctus est. Executioni autem hujus pontificiae constitutionis in Bavaria initium dedit dies 30 Augusti. Ex decreto igitur Serenissimi Electoris nostri MAXIMILIANI *III,* qui cum ceteris S. R. I. Principibus bullam istam acceptaverat, in alma literarum Academia Ingolstadiensi perillustris Dominus *L. B. ab Ickstatt,* Electoralis Consiliarius intimus atque Universitatis perpetuus Director, praenobilis item D. *Josephus Prugger* Codicis judiciarii et criminalis Professor celeberrimus, et doctissimus *Ferdinandus Mendl,* Jur. utr. Licentiatus Notarius academicus, tanquam Commissarii deputati, in Collegio Societatis Jesu obsignationem Procuratiae, Bibliothecae, Aulae magnificae quam Orbanianam a clementissimo fundatore nuncuparunt, et omnium bonorum eidem Ordini adpertinentium susceperunt. Decima vero Decembris ab iisdem Commissariis facta est publicatio bullae pontificiae, cui omnes Patres Magistri ac Fratres laici cum omni qua par erat humilitate sese subjecerunt, et deposito Ordinis sui habitu vestes saecularium clericorum induerunt.

Quo facto die 13 Septembris excellentissimus D. *Adamus L. B. ab Ickstatt* Electorale mandatum recepit, ut adhibitis DD. Professoribus *Antonio Carl* p. t. Rectore Magnifico, et *Joanne Josepho Prugger* Jurium Doctore et Archivario, Collegium Societatis inviseret et a Patribus Exjesuitis (hoc enim deinceps his religiosis

Ao. 1773.

viris nomen inditum est) singulatim sciscitaret atque inde ad Serenissimum referret, quinam eorum provisorio modo cathedras suas in posterum annum velint valeantve retinere. Itaque *P. Christophorus* **Ublacker** S. Theol. et Jurium D.r juridicae Facultati adscriptus, qui jus canonicum a mense Novembri superioris anni usque ad Augustum currentis explicaverat, suam deinceps operam, si quidem dignus aptusque videretur, modestissime obtulit. Similiter *P. Fr. Xaverius* **Sautermeister**, S. Theologiae D.r ejusdemque in Moralibus Professor ac Praeses Congregationis Academico-Marianae, non solum ad habendas in posterum exhortationes in conventibus istis Marianis consuetas sed etiam ad tradenda placita Theologiae moralis se commendavit. Duo item Doctores Dogmaticae, videlicet *P. Georgius* **Urban**, ejusdem per annos undecim, et *P. Benedictus* **Stattler** per semptem annos hucusque Professor, humillime supplicarunt, ut in officio suo non solum provisorio modo, quamvis hoc jam summae benevolentiae loco haberent, sed stabili cum jure, si fieri posset, gratiosissime confirmarentur, quippe qui ambo nihil magis desiderarent quam literarum cultura et patriae et Principi suo pro viribus deservire. Neque minus in philosophica Facultate docentes plurimum reverendi Patres S. J., *Joannes Nepom.* **Mederer** Historiarum celeberrimus Professor; *Mathias* **Gabler** per tres annos Philosophiae Magister auditoribus cunctis probatissimus; *Bernardus* **Peischer**, qui Physicam tum generalem tum particularem explanavit; *Josephus* **Kraus**, qui integro sexennio Philosophiam et proxime quidem elapso anno Logicam et Methaphysicam docuit; *Joannes* **Helfenzrieder** Matheseos, et *Wolfgangus* **Hastreiter** Rhetorices secundae in quartum annum Professor ad unum omnes sese sive ad easdem disciplinas sive ad alias quascunque sibi praescribere placuerit Philosophiae partes explicandas obtulerunt.

Hisce votis ab *Ickstattio* unacum suamet sententia Monachum relatis die 11 Octobris apparuit decretum a Serenissimo sua manu signatum, quo in corona Professorum theologicae ac philosophicae Facultatis magna personarum commutatio facta est. Etenim soli quatuor Patres Jesuitae gratiam quam demississime petierunt consecuti sunt, ut etiam sublata Societate Jesu tanquam saeculares clerici in pristino suo docendi munere retinerentur,

Ao.
1773. nempe *Jo.* **Helfenzrieder** Matheseos; *Mathias* **Gabler** Physices, *Bened.* **Stattler** Theologiae dogmaticae Professor. Ad quos paulo post accessit *Jo. Nep.* **Mederer,** qui quum antehac per quinque annos Historiam in Facultate philosophica tradidisset, et ob emissam nuperrime commentationem *„De antiquissima historia urbis Egrae“* a Scientiarum Academia Monacensi in collegium historiographorum cooptatus esset, nunc die 21 Octobris in sacrosancta Facultate Historiae ecclesiasticae Professor p. o. cum annuo 600 florenorum stipendio clementissime designatus est, et 17 Novembris principium solemne habuit.

Reliqui vero Exjesuitae Professores partim ad alia sive magisterii sive curae pastoralis munera translocati partim cum pensione annua ducentorum quadraginta florenorum misere dimissi sunt, quibus igitur dare successores necesse fuit. Itaque *P. Christophorus Ublacker* Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et in hujate Academia sacrorum canonum Professor p. o. eandem in Lyceo Monacensi tradere disciplinam jussus, et in ejus cathedram spectatissimus *Jo. Adamus* **Weishaupt,** Philos. ac Jurium D.r et eorumdem jam a superiori anno extraordinarius, novissime vero juris canonici publicus ordinarius Professor suffectus est. Loco *P. Georgii Urban* plurimum reverendus et clarissimus *P. Hermannus* **Scholliner,** S. Theol. D.r Protonotarius apostolicus et Screnissimi Electoris Bavarici itemque Principis Archiepiscopi Salisburgensis Consiliarius ecclesiasticus, nunc Theologiae dogmaticae Professor primarius designatur. Is filius erat ludimagistri natus 15 Januarii 1722 Frisingae, ubi scholas inferiores cum laude frequentavit. Die 10 Octobris 1738 in monasterio antiquissimo ac celeberrimo Oberaltacensi solennia vota professus disciplinis philosophicis ac theologicis per quadriennium insignem operam navavit. Ob praeclaras autem ingenii sui dotes ad extraneas quoque academias, Salisburgum scilicet et Erfordiam, missus tantam sibi utrobique commendationem promeritus est, ut reversus in monasterium suum prae ceteris dignus judicaretur, qui non solum sui coenobii Novitiis jus ecclesiasticum et theologiam dogmaticam traderet, sed etiam dirigendo communi studio Congregationis Benedictinae per Bavariam praeficeretur; quo munere postquam integro septennio cum summa Superiorum approbatione functus et ab Academia scientiarum

Ao. 1773.

Monacensi anno 1759 socius adlectus erat, in Universitate Salipolitana Theologiam dogmaticam per aliquot annos egregie explicavit. Anno autem 1766, quo iterum in suum monasterium revocatus est, ab Academia Monacensi cohortatus edendis Monumentis Boicis primas manus admovit. Verum non ita multo post, qua causa nescio, Vindobonam missus est a suis; unde lustratis per Austriam praestantissimis bibliothecis et Abbatiarum archivis collectaque undecunque literaria supellectile ac frequenti cum doctissimis viris conversatione usus vixdum redierat, quum 1771 Ecclesiae Bogenbergensis Parochus et paulo post Prior monasterii sui electus est. His igitur variis jam praeditus muneribus vir doctissimus nostram quoque Universitatem qua ore qua calamo ornare et instruere coepit. Sed et scriptis libris, jam antequam huc evocatus est, egregie dudum inclaruit; extiterunt enim complures typis publicis ab eo editae lucubrationes, inprimis opus illud praestantissimum majoris aliquanto voluminis s. t. „Praelectiones dogmaticae“ in XII tomos divisae, Augustae Vindelic. 1769, 8. — Ita etiam plurimum reverendus *P. Fr. Xaverius Sautermeister* triennio ante huc arcessitus, licet per rescriptum Electorale dd. 11 Octobris in possessione sua academica expressis verbis fuisset confirmatus, postremo tamen loco cedere coactus est, non quasi minus esset disciplinae suae gnarus aut imperitior docendi, erat enim omnibus et auditoribus et collegis quantum nemo alius gratus et acceptus, sed (sunt haec ipsa *Ickstadii* verba) ut in Facultate sacrosancta plus inde fieret commixtionis, penitiusque factiosus si quis in Jesuitis forte revivisceret animus opprimeretur. Itaque ex decreto noviori dd. 6 Decembris Monachium dimigravit et Theologiam polemicam ibi in Electorali Lyceo tradidit in annum, quo quidem finito Parochiam primum Dachaviensem, anno autem 1776 via permutationis Schongaviensem suscepit, ubi meritorum et dierum plenus diem obiit supremum 27 Aprilis 1801. Ejus autem in hac alma Universitate cathedram theologico-moralem obtinuit *Jo. Fr. Wolfgangus* **Schmitt** S. Theol. D^{r} et Electoralis Consiliarius ecclesiasticus, antea Monachii Theologiae Polemicae Professor.

Philosophicas vero quas antea *P. Josephus Kraus* docuerat disciplinas excepit plurimum venerandus Theologiae D^{r} et Serenissimi nostri a Consiliis ecclesiasticis *Casparus Gerhohus* **Steigenberger,**

Ao.
1773. Peissenbergensis Bojus natus 20 Aprilis 1741. Is Canonicus regularis Pollinganus jam 1763 a Superioribus suis in Galliam et Italiam missus per integrum sexennium Parisiis atque Romae celeberrimas literarum scholas et bibliothecas lustrarat doctissimisque viris (quos inter etiam eminentissimis *Zallada* et *Gerambo* S. R. E. Cardinalibus) familiariter erat usus. Qui quum in patriam et in monasterium suum rediisset et aliquamdiu juniores Sodales in disciplinis mathematicis, philosophicis, theologicis optime instituisset, die 11 Octobris hujus anni ad Academiam nostram evocatus et Professor Philosophiae p. o. ac Bibliothecarius clementissime designatus est. Octava Novembris summis in philosophia honoribus coronatus postridie novi muneris sui solemne principium in aula academica habuit. Abiit item venerabilis *P. Adamus Kern* Eichstettensis Franco, Theol. Dr, qui, postquam per integrum sexennium primum Logicam deinde Ethicam egregie docuerat, sub finem hujus anni in urbem patriam se contulit ibique Canonicus ad S. Willibaldum et Ecclesiae cathedralis Concionator ordinarius institutus est. In locum porro abeuntis *P. Wolfgangi Hastreiter,* qui superiori anno artem oratoriam tradiderat, plurimum reverendus ac doctissimus *P. Francisc. Xav.* **Gruber** Riedenburgensis S. J. Presbyter saecularizatus, qui antehac in Gymnasio academico Rhetorices Professor nec non in templo parochiali et academico per plures annos Concionator fuit zelosissimus, Octobri mense ad profitendam Eloquentiam tam sacram quam profanam promotus et die 8 Novembris gradu magisterii philosophici insignitus est.

Ceterum eandem Facultatem philosophicam nova cathedra placuit adaugere. Praenobilis enim *Georgius Ludovicus Claudius* **Rousseau** Regiscurianus in arvis Franco, jam tredecim per annos Processuum chemicorum Demonstrator, anno vero superiori Professor extraordinarius Physico-Chemiae designatus, nunc ejusdem disciplinae in Facultate medica, atque etiam Historiae naturalis, quam nemo unquam in Universitate nostra hucusque tradiderat, in philosophica Facultate Professor publicus ordinarius et Electoris Consiliarius aulicus actualis institutus est eodemque cum supra memoratis VV. DD. die laurea doctorali coronatus praelectionum suarum statim initium fecit.

Ao.
1773.

Datis a Serenissimo 11 Octobris literis decretum est, ut Gymnasium academicum eidem cujus hucusque fuit Universitatis jurisdictioni et imperio etiam in posterum sit subjectum; librorum autem rerumque naturalium et instrumentorum physicalium thesauri, quos Societas Jesu possidebat, publico nunc usui academico sub cura custodiaque Professorum *Josephi Pruggeri Gerhohi*que *Steigenberger* relinquantur. Similiter Collegium a beatissimo Duce Alberto V. Jesuitis olim ad tempus traditum cum omnibus appertinentibus Universitati restituatur ac suo primitivo nomine „collegium Albertinum" appelletur. In quo collegio ex speciali gratia omnes ejus Ordinis sive studiosi academici sive Gymnasiorum alibi Magistri statum Clericorum saecularium secuturi recipiantur gratisque cuncta habeant, quae sint ad victum necessaria, donec in titulum mensae ordinari et publicum aliquod sive magisterium sive aliud munus ecclesiasticum valeant suscipere.

Quae cum quoad statum personarum rerumque usum provisorio modo essent ordinata, per decretum dd. 21 Octobris singulis omnium ordinum Professoribus mandatum est, ut diligenter novo ineunte anno deliberarent ac pro suo quisque arbitratu literis obsignatis ad Serenissimum referrent, quidquid sibi de praelectionibus docendique methodo reformandis pro incremento optimarum literarum et prosperiori studiosae juventutis institutione in sua Facultate sive addendum sive emendandum esse videretur.

Commemorari etiam meretur promotionum ad honores academicos in philosophica et theologica Facultate eximia liberalitas. Partim enim ipsis feriis auctumnalibus partim novo inchoante anno scholastico, diebus praesertim 14, 19 Octobris et 17 Decembris plures Exjesuitae sive gradu magisterii philosophici sive laurea theologico-doctorali decorati sunt, absque tamen publicis solemnitatibus alias consuetis. Ita mense Octobri *Cajetanus Pfab,* Landishutanus; *Antonius Trieb* Landsbergensis Bav., *Michael Ortlieb* Hurtlacensis Boj., *Magnus Widmann* Ingolstadiensis, *Mich. Kercher* Mindelheimensis Suev., *Fr. Xav. Forthuber* Monacensis, *Fr. X. Gebhard* Mindelheimensis, *Aloys. Bonin* Ebersbergensis Boj.; *Fr. de Paula Mayr* Schärdinganus Boj., *Jos. Mart. Schenkl* Ambergensis Palatinus, *Fr. X. Krazer* Donauwörtanus Bav., *Jo. Bapt. Reininger* Ambergensis, *Mich. Holzinger* Wecheimensis Boj., *Jo. Nep. Barth*

Ao.
1773. Ratisbonensis, *Ferdin. Mayr* Monacensis, *Balthas. Reich* Neoforensis Palatinus, *Thadd. Leiderer* Straubinganus, *Fr. de Paula Gerhardinger* Hofkirchensis Bav., *Sigism. Züntl* Monacensis, *Mich. Steiner* Mindelheimensis, *Fr. X. Steiner* Neokirchensis Boj., *Ant. Reinfeld* Nabburgensis Palat., *Jo. Bpt. Frueth* Ambergensis, *Casp. Aigner* Ratisbonensis, *Aloys. Schmid* Ingolstadiensis, *Mich. Thoma* Waldsassiensis Palat., *Car. König* Flintsbacensis Bav., *Ign. Rheinl* Ambergensis Palat., *Martin. Graf* Kastellensis Palat., *Wolfg. Dobmayr* Schwandorfensis Neopalatinus, *Samuel Libler* Rodinganus Palatinus, alii; uno autem die 17 Decembris praeter supra memoratum D. *Wolfgangum Schmitt* etiam *Marquardus Ursini* Eichstettensis Franco, *Jos.* et *Bernard. Prössl* Tirschenreuthenses Palatini, *Ant. Lustner* Ambergensis Palatinus, *Casp. Höss* Landsbergensis Bojus, *Fr. Xav. Eder,* Eichstettensis Franco, *Georg. Högg* Schlichtensis Palat., *Ignatius Schunk* Straubinganus Boj., *Jos. Weiss* Landishutanus Boj., *Jos. Wolf* Kipfenbergensis Franco, *Leonard. Schlosser* Wernbergensis Palatinus, *Math. Bonin* Aiblinganus Bojus, *Mich. Häring* Waldsassiensis Palat., *Ignat. Scheill* Coloniensis Rhenanus, *Ign. Weinkammer* Eichstettensis Franco, *Jo. Nepom. Fischer* Miesbacensis Boj., *Christoph. Mayr* Burweidinganus Boj., *Cajet. Labberger* Aichacensis, *Cajetanus Ring* Landsbergensis, et *Guilielmus Mayer* Monacensis Boji gradu *Magisterii philosophici* insigniti sunt, iisdemque deinde fere omnibus (cum plerique essent S. J. Religiosi) gradus etiam *theologicus* collatus est a Decano theologico Hermanno Scholliner O. S. B. professo. Nos igitur e sexaginta Neo-Doctoribus philosophicis hujus anni eos tantum supra notavimus, qui uberiorem postea laudem literariam consecuti sunt.

Monimenta denique literaria hoc anno typis publicis ediderunt

in Facultate *theologica*

Jo. Nep. **Mederer,** Antiquissima historia urbis Egrae, Ingolst. 4to

Bened. **Stattler,** Compendium Philosophiae, Vol. I. Ingolst. 8vo

in Fac. *juridica*

Adam. **Weishaupt,** Jus civile privatum ac determinationes juris Boici, II Voll. ib. 8.

Ao. 1773.

in Fac. *medica*

Palm. **Leveling,** Von den Vortheilen des Staates aus der Sorgfalt für die Lebendigen und aus der Aufmerksamkeit für die Verstorbenen, Monachii 4.

Ge. Lud. **Rousseau,** Vertheidigung der Chemie wider die Vorurtheile unserer Zeit, Ingolst. 4.

in Fac. *philosoph.*

Math. **Gabler,** Theoria aquarum, Ingolst. 8; De vaporibus atque meteoris aqueis, ibid. 4.

Jo. Evang. **Helfenzrieder,** Tubus astronomicus amplissimi campi cum micrometro suo et fenestellis ocularibus &c. descriptus, ib. 4.

ANNO DOMINI MDCCLXXIV.

Ao. 1774.

Rector DXXIV: **Josephus** PRUGGER Jur. utr. Dr., Serenissimi Electoris Consiliarius aulicus actualis; Juris statutarii ac Praxeos Professor p. o. et Universitatis Archivarius, III.

Inscripti 108.

Illustres: *Ferdinandus Xaverius* **L. B. de Gumppenberg** de Poettmes, Ingolstadiensis Boj., Ephebus Elector. aulic.

Josephus Maria **L. B. de Drechsel** a Teufstetten, Kagarensis Boj.

Novi Proff. *Josephus Maximilianus* **Wibmer** Straubinganus Boj.; S. Scripturae N. T., Oratoriae sacrae et Theologiae pastoralis Prof. p. o. post etiam Parochus urban. ad D. Virginem speciosam.

Ao.
1774. *P. Stephanus* **Wishofer,** O. S. Augustini; S. Scripturae V. T. et Linguarum orientalium Prof. p. o.
P. Vicelinus **Schloegl,** Canonicus regul. Pollinganus; Aesthetices et Eloquentiae Prof. p. o.

Novi DD.r m. Junii — Rev. D. *Carol. Rothfischer,* Straubinganus sacerdos, SS. Canonum in Lyceo Amberg. Professor et Director scholarum Germanicarum per Palatinatum superiorem — *Jurium.*

16 Maji — *Carol. Jos. Bauer,* Campidunensis Algojus
14 Junii — *Adamus Schmidt* } Monacenses Boji
— — *Ignat. Finster* }
— — *Sebast. Ampferl,* Köschinganus Bojus — *Medic.*

7 Aug. — *Fr. Ant.* S. R. I. Eques *de Stubenrauch,* Dominus a Lenting &c.
— — *Jo. Mich. Sailer,* Aresinganus Bojus, Theol. } Colleg. Albert. Alumni
— — *Alex. Thalhauser,* Kransbergensis Bojus }
— — *Clemens Pauli,* Neohusanus Bojus
— — *Joseph Sagstetter,* Monacensis
— — *Jo. Mich. Kienlein,* Weyerstorfensis Palatinus
— — *Jo. Nep. Froschmayr,* Mindelhemiensis Suevus
— — *Jo. Paul. Hastreiter,* Eschelkamiensis Bojus
— — *Ignat. Hell,* Pföringanus Bojus
— — *Jo. Paul. Nerb,* Möringanus Boj.
— — *Jo. Evang. Schäfer,* Parochus in Küpfenberg
— — *Jos. Adam. Vischer,* Wasserburgensis Bojus } S. Theol. Studiosi
— — *Anselm. Jo. Nep. Prinnl,* Vet.-Oettinganus }
— — *Philos.*

Ao. 1774.

Inter Inscriptos hoc anno eminuerunt etiam *Ignatius de Ruttlof,* Wolxhemiensis Alsata, insignis Ecclesiae collegiatae Wiesensteigensis Canonicus; *Joannes Nepom. de Effner,* Straubinganus Bojus, postea regius de rebus publicis Consiliarius Monacensis; *Joann. Josephus de Kammerer,* Datschizensis Moravus, Philos. Magister, auratae militiae Eques, Sacri Palatii aulaeque Lateranensis Comes et Protonotarius apostolicus juratus; *Carolus Borromaeus Rothfischer,* Straubinganus Boj. sacerdos curatus, p. t. sacrorum canonum in Lyceo Ambergensi Professor ac Director scholarum Germanicarum per Palatinatum superiorem; *Jo. Nepom. Fischer* Miesbacensis et *Vitus Antonius Winter* Hoheneggelkofiensis Boji, clarissimi postmodo in hac alma Universitate Professores; *Wigandus Schider,* Ord. Cisterc. Presb., Waldsassiensis Palatinus, t. t. S. Theologiae moralis in Electorali Lyceo Monacensi Professor; *Fr. Ignatius Streber* Reisbacensis Bojus, de quo ad annum 1776 plura.

Hoc anno diuturna aegritudine penitus attritus obiit religiosissimus *P. Caesarius* **Amman,** Oenipontanus Tyrolensis S. J. Presbyter et ab anno 1765 inde Matheseos et Linguarum orientalium in hujate literarum Academia Professor p. o., cujus laudes enarrant Annales nostri P. III. p. 291. 297. 307 sq. Huic jam ab anno 1770, ex quo continua infirmitate laborabat, successor datus est doctissimus *Joannes Helfenzrieder.*

Quinto Maji Magnificentissimus *Concilium plenum* convocavit, in quo lectum est decretum Serenissimi de quatuor Auditoriis pro scholis realibus in convictu disponendis librisque desuper a Professoribus Steigenberger et Gabler cum Excellentissimo D.° Directore componendis, de lectionibus in Facultatibus Theologica, Juridica et Philosophica ordinandis, feriis intra annum abrogandis, terminoque anni scholastici a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem B. V. figendo, de Bibliothecis Universitatis et Collegii Albertini uniendis, Statutis Universitatis et Facultatum revidendis et reformandis &c.

Vigesimo septimo Maji perillustris ac plurimum reverendus *Carolus de* **Leithner** *a Wildenburg,* Sterzinganus Tyrolensis, S. Theol. et utr. Juris D.r nec non Serenissimi Electoris Bavari et celsissimorum Principum & Episcoporum Eichstettensis ac Passaviensis Consiliarius ecclesiasticus, protinus duplici munere, quo et

Ao.
1774. urbanus ad D. Mauritium Parochus et SS. Scripturarum Professor p. o. annis octo egregie functus est, ultro se abdicavit, et primum Monachium deinde Eggersbergam in decanatu Essingensi, ubi jam ante suum ad nos adventum Parochus fuerat, secessit vitamque degens privatam in summa paupertate 1779 diem obiit supremum. Resignaverat autem *Leithnerus* parochiam Mauritianam in favorem Universitatis ad manus Serenissimi Electoris. Quod quum contra jus fasque factum fuisset, res Electorem inter et Ordinarium Eichstadianum in controversiam vocata acriter discussa et postremo eo deducta est, ut aegre consentiente Episcopo dimidia pars decimarum ac totus fundus parochialis Universitati concederetur. In parochiam per resignationem vitiosam nonnisi de facto vacuam statim quidem nominatus est ab Electore *Wolfgangus Schmittius* ex superiori anno designatus S. Theologiae moralis Professor. Sed cum beneficium tunc temporis scilicet lite pendente nondum de jure vacasset, et designata persona civibus minus esset probata, nominatio ista rescissa est et parochia aliquamdiu per Vicarium administrata, usque dum anno proxime sequente plurimum reverendus *Benedictus* **Stattler,** meritissimus S. Theologiae dogmaticae Professor ac dein etiam Procancellarius Universitatis hanc inferioris urbis Parochiam obtinuit. In cathedra autem scripturistica, quam idem obtinuit *Leithnerus,* successit plurimum reverendus ac doctissimus *Jos. Maximilianus* **Wibmer,** Electoralis Consiliarius ecclesiasticus, qui die 4 Octobris principium solenne habuit. Is Aciliae Augustae in Bavaria die 18 Februarii 1741 patre posthac excubiis praesidii Ingolstadiensis Praefecto natus, et Ratisbonae sacro sacerdotio initiatus, antequam huc pervenit, aliquamdiu in vinea Domini laboraverat et proximo abhinc anno ab Universitate Salipolitana theologico-doctorali diplomate decoratus ad cathedram theologicam in Lyceo Burghusiano fuerat advocatus. Reliquam hujus spectatissimi Viri vitam ad annum 1794 persequemur, quo et ipse corpore per assiduos labores debilitato muneribus suis se abdicavit.

Septimo Julii parum abfuit, quin ingens Academicos inter et milites tumultus oriretur. Jam pridem nonnulli militum praefecti non sine quadam insolentia praetendebant, ut Academici coram Praepositis militaribus transeuntes caput detegerent. Cui praetensioni quum prae ceteris D. de *Stöger* morem gerere recu-

Ao.
saret (erat is ipse Centurionis filius et Jurium studiosus); Dux 1774.
Legionis perillustris *Comes de C*..... Decurionibus in mandatis dedit, ut eundem Academicum, si capite tecto transeuntem coram Duce aut Officiali bellico viderent, tamdiu fuste caederent, donec cessare jussi fuerint. Cum igitur hodie ad vesperum D. Stöger tecto capite transiret in eadem platea, in qua Tribunus militum *Liber Baro de O*.. ex altera parte duas sanguine illustres feminas comitabatur, idem monitus a Centurione Domino *de B*..., quod Academicus transiens caput non detexisset, relicto comitatu in Studiosum irruit ac saepius fuste caedens, ut pileum deponeret, auffugientem adeo cum D. *de B*... persecutus est, milites advocans, ut Academicum carceri mandarent; e quorum tamen jam sclopeta nudatorum manibus se eripuit Studiosus, moxque aliis Academicis stipatus in domum D. *Adami* **Weishaupt** Jurium Professoris fuga se subduxit. Movit desuper querelam *D. Stöger* apud Rectorem Magnificum, sed frustra. Itaque Excellentissimum D. Directorem *L. B.* **de Ickstatt** adiit, qui exprobrato hoc facto Tribuno militum pacem quodammodo restituit promissa, quam e Monachio exspectaret, Universitati et Academico condigna satisfactione. Postero die Rector Magnificus in pera Rectorali quaestionem proposuit per votorum pluralitatem decidendam, utrum non conveniret, de facto hesterno relationem ad Serenissimum dirigere; sed responso non exspectato nec votis lectis et collatis Ingolstadio abiit. Die decimo demum tertio, Rectore Universitatis etiam tunc non comparente, Medicinae Professor *D. Antonius* **Carl** t. t. Prorector Concilium plenum convocavit, in quo quid esset agendum deliberavit et a Decano juridico *D.* **de Weinbach** relationem Monachium dirigendam praelegi jussit, quae a Senatu Academico approbata est. Dein quaestio mota est, annon satius ducerent personalem deputationem ad Serenissimum et Ministros ablegare. Votis in diversa abeuntibus retulit Professor Jurium *D. Benedictus* **Schmidt** de successu suae olim deputationis in causa pari, cruenti scilicet tumultus ao. 1764 milites inter et Academicos exorti. Qua relatione audita fere unanimiter conclusum, duos esse deputandos Professores et quidem *Benedictum* **Schmidt** et *Gerhohum* **Steigenberger.** Qui quum postero die unacum Notario Universitatis Monachium venissent, declarata prius missionis suae ratione Ministris Excel-

Ao. 1774. lentissimo *Comiti de Koenigsfeld* et Excellentissimo Cancellario intimo *L. B. de Kreittmayr*, circa horam septimam vespertinam **Serenissimum** ELECTOREM, jam plene a Regia Principe et *Electrice Saxoniae* et a Domino Protomedico *de Wolter* ea de re informatum adierunt, benignissimeque recepti facti seriem humillime exposuerunt et condignam ob jura Universitatis tam inique violata satisfactionem efflagitarunt; qua clementissime promissa domum abire jussi sunt et exspectare, usque dum res decideretur. Undevigesimo denique Augusti causa *Stögeriana* in Intimo decisa et decisio tam Consilio Electorali Bellico quam almae Universitati communicata est hunc in modum:

Sr. Churfürstl. Durchlaucht haben das wegen der zu Ingolstadt an dem Akademiker Stöger ausgeübten Schlägerei erstattete Gutachten Unseres Hofkriegsrathes dergestalt begnehmiget, dass 1) der General C..... wegen seiner so ungebührlich als unüberlegten Ordre auf ein halbes Jahr lang von dem Commando und aller Dienstactivität suspendirt, 2) der Obristlieutenant Baron O.. über dem schon ausgestandenen und zum Theil pro poena imputirten Hausarrest noch auf zweimal vierundzwanzig Stunden und der Hauptmann Baron B... auf vier Wochen zum Profosen gesetzt seyn solle, mit der sowohl ihm als dem Baron O.. und dem Generalen Grafen C..... zu eröffnenden scharfen Commination, falls sie sich mehrmals wider das General-Duellmandat oder sonst gegen einen Akademiker auf ungebührliche Weise verfehlen wurden. Beinebens 3) hat der Hofkriegsrath dem Stöger, wenn er gegen den Obristlieutenant Baron O.. puncto injuriarum alldort Klage stellt, die gebührende Privat-Satisfaction justizmässig zu verschaffen, da durch obgedachten Haus- und Profosen-Arrest nur das Publikum und die an dem Stöger per indirectum beleidigte Universität satisfacirt wird. 4) soll dem Hauptmann Stöger, dem Vater des besagten Akademikers, dieser Affaire halber weder von seinen Vorgesetzten noch von seinesgleichen bei Vermeidung Churfürstl. höchster Ungnade und anderem schweren Einsehen der geringste Vorwurf oder Tort widerfahren. 5) werden Se. Churf. Durchl. die Akademiker dahin anweisen lassen, dass sie dem Militär überhaupt die geziemende Achtung, und insonderheit gegen die Stabsoffiziere eine anständige Höflichkeit bezeigen, auch im

Ao.
Vorbeigehen vor der Wacht den Hut abzuziehen haben sollen; 1774.
wohingegen der Hofkriegsrath die Garnison zu einem gleichmässig anständigen bescheidenen und höflichen Betragen gegen die Akademiker überhaupt und insonderheit gegen die Professoren anzuweisen hat. 6) gedenken auch Se. Churf. Durchl. das Churprinzische Regiment in Ingolstadt durch ein anderes ablösen zu lassen und wollen das hofkriegsräthliche Gutachten demnächst hierüber erwarten &c. Sign. in Int. den 19 August 1774.

Die 25 Octobris admodum reverendus *P. Stephanus* **Wishofer** Cossensis Tyrolensis, Theol. D.r et Ord. S. Augustini Presbyter, Exegeseos V. T. et Linguarum orientalium Professor p. o. nec non Serenissimi Electoris Consiliarius ecclesiasticus nominatus, 7 Novembris principium solemne habuit.

Sub idem tempus religiosissimus *P. Franciscus Xaverius Gruber* S. J. et a superiori anno Eloquentiae Professor cum annua pensione dimissus, et in ejus locum subrogatus est plurimum reverendus Philosophiae D.r *P. Vicelinus* **Schloegl,** Hofhegnebergensis natus 10 Junii 1743. Qui postquam Canonicus regularis Pollinganus ab anno 1767 usque ad annum 1773 Poëticam et Rhetoricam in monasterio suo, proxime vero elapso anno in Gymnasio nostro academico Syntaxin publice docuerat, nunc Electoralis Consiliarius eccles. et in Facultate philosophica Aesthetices et Eloquentiae Professor p. o. clementissime designatus est.

Ex decreto Electorali dd. 9 Octobr. pro futuro anno scholastico *Rector Universitatis* ex *juridica* Facultate fuit assumendus, licet non illa fuisset in ordine sed Facultas saluberrima. Cum enim hoc anno ineunte nova Universitatis statuta condenda essent, Serenissimus virum juris peritum ad hoc aptiorem judicaverat. Itaque die 5 Novembris per unanimia in Rectorem Magnificum electus est praenobilis ac doctissimus D. *Josephus de Weinbach,* Jurium Professor.

Ex decreto Serenissimi dd. 18 Nov. clarissimus *Jo. Nepom.* **Mederer** ab academica hujate cathedra inopinate avocatus Ambergam primum migrare jussus mox autem novo decreto dd. 14 Decembris ad Lyceum Monacense translocatus est, ut ibi sacrorum canonum et historiae ecclesiasticae Professor succederet meritissimo *P. Christophoro Ublackero,* qui Parochiam Geisenfeldensem

Ao. 1774. susceperurus erat, illicque in pastorali animarum cura per plures annos zelosissime versatus senecio diem obiit supremum, pietatis suae maximum post se relinquens desiderium.

Professorum nostrorum industria hoc anno sequentia typis academicis prodierunt opuscula:

in Facult. *theologica*

Bened. **Stattleri** Demonstratio catholica &c. 8vo; — Ethica christ. communis, P. I. 8.

in Facult. *medica*

Palmatii **Leveling** De carie cranii militis quondam venerii, postea epileptici, tandem apoplexia defuncti Diss. iconibus aeri incisis illustrata, 4o

Ge Lud. **Rousseau** (praefixo in fronte Dissertationis illustri nomine *M. Leop.* L. Bar. *de Cronegg*) Nützliche Anwendung der Mineralien in den Künsten &c., 8vo

in Fac. *philosoph.*

Mathiae **Gabler** De vasis capillaribus, 4o

Jo. Ev. **Helfenzrieder** Selecta elementa matheseos purae, 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXV.

Ao. 1775. Rector DXXV: **Josephus Nobilis** DE WEINBACH Jurium Dr, S. R. I. Eques, Serenissimi Electoris Consiliarius aulicus actualis; Institutionum imperialium et Pandectarum Prof. p. o.

Inscripti 138.

Illustres: *Christophorus Gustavus* **L. B. de Veltheim;** Philippoburgensis Rhenanus.

Josephus Antonius **L. B. de Schellenberg,** Dominus in Hausenvorwald, Neuenburg & Bachheim; Schüttendoblensis Algojus.

Ao.
1775.

Carolus S. R. I. **Lib. Bar. de Schönstätt,** Dominus in Wolfering; Röttenbacensis Neo-Palatinus.

Novi Proff.

P. Balduinus **Wurzer** Ord. Cisterciensis in monasterio Aldersbacensi; Theologiae moralis et Historiae sacrae Prof. p. o.

Casparus **Kandler** Ruhemannsfeldensis Boj.; Encyclopaediae et Institutionum juris Rom., Historiae imperialis et Praxeos cancellariae Prof. p. o.

Novi DD^{r}

4 Nov. *Balduinus Wurzer,* Philos. D^{r} Professor designatus vd. supra. *Theol.*

24 Aug. *Jos. Ant. Bonin,* Aiblinganus Bav.
Sebast. Mayr, Eslarnensis Palatinus } *Medic.*
Benno Canzler, Monacensis Bav.

4 Nov. *Balduin. Wurzer,* ut supra. *Philos.*

Die 3 Martii aetatis suae anno septuagesimo secundo pientissime in Domino obdormivit *Ferdin. Balthas.* **Eckher,** Philos. Theol. & utr. Jur. D^{r}, Protonotarius Apostolicus, Serenissimi Electoris Palatino-Bav. nec non Principum Episcoporum Eistadiani et Ratisbonensis Consiliarius eccles. actualis, Ecclesiae item cathedralis Eistadiensis et Collegiatae ad S. Joannem Ratisbonensis Canonicus capitularis, qui triginta integris annis Ingolstadiensis Ecclesiae ad D. Virginem Speciosam meritissimus Parochus totidemque per annos in hac alma Universitate Theologiae polemicae et Eloquentiae sacrae Professor p. o., quater Rector Magnificus et post *Hertelium* p. m. annis undeviginti Procancellarius fuit, et compluribus opusculis sacrarum literarum monimenta ditavit, cujus generis sunt: *„Modus agendi cum convertendis ad fidem Romano-catholicam“,* Ingolst. 1754. 8; *„Modus rite ac utiliter catechizandi* &c.“ ibid. 1757. 4; *„Oratoria sacra seu S. Eloquentia“* ib. 1765. 4, alia. Memoria ejus in benedictione erit nec eam ulla unquam delebit oblivio.

Eidem in officio parochiali successit plurimum reverendus *Jos.* **Wibmerus** Theologiae pastoralis Professor; ad dignitatem autem

Ao.
1775. Procancellarii religiosissimus ac doctissimus *P. Benedictus* **Stattler** promotus est. Ex qua tamen promotione magna de jure collationis oborta est controversia. Cum enim Serenissimus Dux et Elector d. 7 Martii datis ad celsissimum *Raymundum Antonium* Principem et Episcopum Eichstettensem literis postulasset, ut loco clarissimi *Eckheri* venerabilis *Benedictus Stattler* ob eximias suas virtutes et singularem industriam ad Procancellariatus dignitatem promoveretur, reverendissimus Episcopus 17 Martii rescripsit, se jam quarto ejusdem mensis pro facultate sibi propria eundem illum *Stattlerum* Professorem, utpote quem dignissimum existimaret, actu denominasse eique decretum desuper insinuandum curasse. Id responsum non solum Serenissimus aegre tulit, verum etiam Universitatis Rector et omnium Facultatum Decani missis ad Electorem literis adversus istam collationem humillime remonstrarunt. Jamque coepit Electorem inter et Episcopum Eichstadianum de jure Procellarium instituendi acrius excitari literarum commercium. Excutiuntur scrinia, postulantur juridicorum sententiae, omnia ab utraque parte tentantur pro vindicando sibi jure aut patronatus aut liberae collationis. Imo quae res melius tanquam domestica inter solos Principes fuisset agitata, etiam in forum deducta est. Quid? quod plurimum reverendus *Wolfgangus Schmitt* t. t. sacrosanctae Facultatis Decanus die natalitio Serenissimi Electoris in Ecclesia superiori Ingolstadiensi inter Missae solemnia coram Sanctissimo non est veritus de Procancellariatu publice perorare. Quae quum ad aures Serenissimi pervenissent, clarissimus *Josephus de Weinbach* p. t. Rector die 31 Martii jussus est, orationem quam ille habuit transmittere et ab oratore percontari, quonam auctore istam sibi in domo Dei perorandi materiam sumserit, et in ea *Benedictum Stattlerum* haud obscure lacessierit. Ad haec Magnificus Rector demississime se excusans respondit, quod ipse istam perorationem a Collega suo sibi traditam et perlectam, quum scilicet tota in defendendis juribus Serenissimi versetur, candide approbaverit; ceterum nihil omnino incurrisse in ea, quo Vir religiosissimus iste laesum sese aut ullo modo significatum posset existimare. Emisso igitur 20 Aprilis clementissimo decreto severa commonitio subsecuta est, ne ejusmodi orationes in posterum unquam inter Missarum solemnia sed finitis demum sacris habean-

Ao. 1775.

tur, neve alia nisi evangelica de rebus ecclesiasticis themata exponantur.

Heic non alienum a re videtur esse, quaestionem juris et facti ab utraque parte multum controversam breviter retractare. Munus Cancellarii academici hoc inprimis spectare videtur, ut sua gradibus academicis constet auctoritas. Intendere enim, ut omnes promotiones ex statutorum praescripto et observantia adornentur; cavere, nequis vel ob morum labem vel ob doctrinae tenuitatem aut heterodoxiam indignus laurea doctorali coronetur, praecipuae hujus muneris partes sunt. Inde judicio de Candidati dignitate formato aperire cancellam docendique concedere licentiam dicitur Cancellarius. Jam igitur quaestio est, an Cancellarius Vicecancellarium seu Procancellarium constituere proprio jure valeat. At vero ipsa designatio celsissimi Episcopi Eichstettensis in Cancellarium Anglipolitanae hujus Universitatis solo Serenissimi fundatoris Ludovici arbitrio stetit. Id quidem aperte insinuat Annalium academicorum Scriptor Rottmarus, dum notat: *„serenissimum Bojorum Ducem Ludovicum cognomento Divitem propinquitate loci haud dubie aut quibuscunque aliis causis motum eundem (loci videlicet Ordinarium) nobis dare Cancellarium voluisse.“* Consonant iisdem ea, quae literae fundationis Ludovicianae exhibent his verbis: „Wür haben auch den Ehrwürdigen in Gott, Vnsern besonder Lieben Freund Bischouen zu Eichstätt vnd all seine Nachkommen Bischouen Daselbst zu der Vniversitaet Canzlern vfgenommen nach laut der Brief &c.“ Quae quum ita res se habeat, vix conficiet quispiam, Cancellario jus proprie competisse substituendi sibi Vicecancellarium ordinarium. Etenim quis dabit Rectori sive Directori id potestatis, ut is sibi libere substituat Vicerectorem aut Vicedirectorem? aut quis attribuet parocho potestatem designandi sibi in perpetuum Vicarium parochiae licet ceterum rite approbatum? Imo argumenta nobis complura praesto sunt, Procancellarios de regula non libera Episcopi Eichstadiensis collatione sed ad praesentationem Ducis et Electoris Bavariae fuisse institutos. Ita e. gr. celsissimus Episcopus Martinus Martinum Eisengrein, quem serenissimus Bavariae Dux ad Procancellarii munus praesentarat, solummodo confirmabat; eamque confirmationem idem ille Reverendissimus per literas d. 23 Junii 1570 Universitati notam

Ao. 1775. fecerat usus verbis, factam eam esse *„ad praesentationem Illustrissimi Bavariae Ducis.“* Hujus facti veritatem non ambigue comprobant, quae Annales Rottmariani in vita Eisengreinii commemorant, videlicet eundem Eisengreinium Theandro in Procancellariatu substitutum esse *„miro tum serenissimi Bojorum Ducis Alberti tum Episcopi etiam Eistettensis applausu et consensu.“* Cumque obiisset Eisengreinius d. 4 Maji 1578 ipsemet Episcopus Eichstettensis literis propria subsignatis manu Albertum Hungerum non solum admonuit, Procancellariatum a Serenissimo Duce, cui jus praesentandi competeret, supplicandum esse, verum commendatitiis etiam literis apud Serenissimum intercessit, ut praesentationem eidem indulgeret. His iterum consonant Annales Rottmari in vita Alberti Hungeri, dum scribit: *„Hungerus dignissimus est habitus a Serenissimo Principe Alberto, qui Eisengreinio in Vicecancellariatu et scholarum inspectione ao.* 1578 *succederet.“* Atvero exstare videntur etiam praejudicia, quae Episcopo Eichstadiano faveant. Leonardus enim Marstallerus c. a. 1543 beneficio Episcopi Vicecancellariatum adiisse scribitur; Oswaldum Fischerum idem Episcopus, ut aiunt Annales, ao. 1546 dignum Procancellariatu judicavit et instituit. Petrus Canisius S. J. officio Procancellariatus fungebatur ex commissione Episcopi c. a. 1550. Hieronymus Torrensis S. J. c. a. 1569 Procancellarium egit ex delegatione Episcopi Eichstettensis. Mortuo item Procancellario Oswaldo de Zimmern ao. 1677 successorem designavit Episcopus Christophorum Kherl; eidemque Kherlio defuncto idem substituit Philippum Ottonem L. B. de Nütz Parochum Mauritianum. Verum enim vero re accuratius perspecta omnia illa, quae putari queant praejudicia, vim habent profecto maxime exiguam. Id enim inprimis animadvertendum, aliud sane esse, quempiam ab Episcopo Cancellario ad unum alterumve singularem promotionis actum cum potestate Procancellarii delegari; aliud, quempiam ordinarium et quodammodo perpetuum constitui Vicecancellarium cum auctoritate simulatque omni cum honore, dignitate et juribus quibusvis annexis. Atqui Procancellariatum non semper ordinarium et perpetuum sed saepenumero temporaneum fuisse et extraordinarium, Annales nostri academici diserte testantur. Nam Rottmarus, dum in vita Zingelii de successore ejus Pettendorfero mentionem ingerit, ita scribit:

Ao. 1775.

„*Neque tum etiam ordinarius erat Vicecancellarius.*“ Itaque semel atque iterum Pettendorferus Theologiae Doctor etiam Vicecancellarii officio, praesente licet Hungero, fungebatur ex commissione Principis Episcopi Eichstadiani. Neque aliter res se habet circa Procancellariatum Canisii et Torrensis. Functus est Petrus Canisius officio Vicecancellarii absente Balthasare Fannemanno ordinario tunc temporis Procancellario; Hieronymus Torrensis theologicae Facultatis Decanus idem munus peregit loco aegrotantis Hungeri Procancellarii. Suffecerat autem sola commissio celsissimi Cancellarii, quum per eam nonnisi potestas promovendi ad gradus academicos delegaretur, non item dignitas perpetua Procancellarii collata esset; neque ob unum alterumve particularem actum requisitio Serenissimi Ducis opportuna videbatur aut necessaria. Marstallerum vero Fischerumque quod attinet, ii quidem dici omnino possunt beneficio Episcopi Eichstettensis ad Procancellariatum pervenisse, aeque ac Hungero haud abs re poterit reputari beneficium Episcopi, cujus scilicet commendatione ac intercessione quadam a Serenissimo Duce munere isthoc donatus est. Potuit igitur beneficium Cancellarii intervenire, quin eidem praesentationis jus aut liberae collationis addixerimus. Compertum id habetur in Hungeri promotione; quin imo Eisengreinius certis tabellis proprioque Episcopi testimonio demonstratur esse promotus auctoritate solius Bavariae Ducis. Et absque praejudicio a Rottmaro scribitur, eum ad Procancellariatum evectum esse Serenissimi Bojorum Ducis et Episcopi Eichstadiani applausu et consensu. Quid quod ipsimet Duces Bavariae eatenus haud invitos se praebuerant, ut delegatio temporanea Vicecancellariatus a Cancellario peti queat; Albertus enim Dux jus proprium in Eisengreinio promovendo aperte exercuerat, defuncto tamen Theandro dispositionem circa functiones Vicecancellariis aliquoties necessarias ab Episcopo Eichstettensi acceptare interim jussit Universitatem, donec clementissima resolutio de Eisengreinii promotione expediretur Monachii. Verum severioris sunt momenti praejudicia ex facta per Episcopos nominatione Kherlii et Nützii. Nominarat enim Episcopus Christophorum Kherl vivente adhuc Doctore a Zimmern, quod hic ob sennium et memoriae defectum functiones Procancellarii obire haud amplius posset. Sic Diarium theologicum notat. Tum igitur

Ao.
1775. illa Kherlii institutio temporanea adhucdum fuerat, nec jus praecedentiae et tituli eidem tribuerat iisdem scilicet Zimmernio reservatis. Haud ergo quidquam praejudicii inde juri Ducali accidisset, nisi celsissimus Episcopus Eichstettensis jus successionis annexum fore voluisset suae nominationi Kherlianae. Verum ea res tantam Serenissimi excitavit attentionem, ut rem per deputatos quosdam Commissarios examinandam duxerit, quo factum est, ut nominationem episcopalem protestatione Marquardo Episcopo opposita infregerit, atque Kherlium in officio Vicecancellariatus confirmarit quidem, reservato tamen sibi ac domui Electorali omni jure praesentationis circa Procancellarios Ingolstadienses. Nützii autem promotio ad Procancellariatum contigit tempore turbarum bellicarum, anno scilicet 1714, dum Bavaria administrationi Caesareae fuerat subjecta; ideoque actus illius promotionis ab Episcopo tunc temporis ac necessitate quadam susceptus derogare Electori utpote juribus suis invigilare impedito haud potest. Imo si quae referuntur vera sint, promotus est Nützius ad commendationem Caesareae Administrationis, ut proin Episcopus non jure privativo ad institutionem novi Vicecancellarii videatur processisse. Itaque quidquid juris circa Procancellarios designandos in hac Universitate sibi adseruerint Episcopi Eichstadiani posteriores, contigisse reor tum ex voce *„commendationis“*, qua Maximilianus I loco vocis *„praesentationis“* usus erat, quae vox ab Episcopis mox in rem suam tracta est; tum ex sinistra acceptatione illarum designationum, quae temporaneae duntaxat erant meraeque delegationes potestatis ad singulares promotionis actus. Jus autem liberum seu privativum constituendi Procancellarios ordinarios permissum ipsis esse adeo non evincitur, ut potius pateat contrarium. Sed redeamus ad rem!

Respondit igitur Serenissimus Elector *Antonio* Principi et Episcopo Eichstettensi sub 20 Aprilis, velle se ob eximia Stattleri merita pro hac vice acquiescere in ista promotione, ceterum se jus suum praesentationis esse strenue observaturum. Quo facto quum Episcopus enixe postularet, ut hoc unum sibi concederetur jus designandi Vicecancellarios, simulque promitteret, se nemini Professorum hanc dignitatem esse collaturum nisi viro, qui collatis prius cum Electore consiliis omnino eidem fuerit probatus, Sere-

Ao.
1775.

nissimus signatis die 26 Maji sua manu literis sufficere sibi id promissum rescripsit. Sic denique res transacta et ad finem perducta est controversia.

Interea praestantissimus *P. Benedictus* **Stattler**, Theologiae dogmaticae Professor pomeridianus (q. e. secundarius) atque inde ab hoc tempore Universitatis Procancellarius, in parochiam hujatis urbis inferiorem, quam *Mauritianam* vocant, vicario primum modo, brevi etiam definitivo institutus est. *Wolfgangus* autem *Schmittius* Theologiae moralis ex superiori anno Professor, cum omnem spem ejusdem beneficii capessendi ademtam sibi videret, docendi munere se abdicavit et non ita multo post (ni fallor) parochus in Leiblfing designatus per tria fere decennia curam animarum cum multa laude exercuit ibique Principis et Episcopi Ratisbonensis Consiliarius ecclesiasticus designatus die 26 Julii 1809 obiisse dicitur. In ejus locum vi decreti dd. 7 Aprilis plurimum reverendus *P. Balduinus* **Wurzer** S. Ord. Cisterciensium e monasterio Aldersbacensi evocatus est, ut ineunte Novembri mense praelectionum suarum faceret initium.

Jo. Nepom. **Mederer**, a superiori anno Juris ecclesiastici et Historiae sacrae in Lyceo Monacensi Professor, datis ad Serenissimum 2 Maji literis veniam impetravit hoc anno scholastico cum pensione annua 340 florenorum Ingolstadium revertendi, ubi materialia sibi ad continuandos Annales academicos necessaria suppeditarent.

Per clementissimum decretum dd. 28 Octobris Professoribus mandatur, ut in posterum, quemadmodum jam in juridica, ita etiam in theologica et philosophica Facultate usitatas hucusque voces *„Professor primarius“* et *„secundarius“* vel *„antemeridianus, pomeridianus“* abrogatas habeant, neve cuipiam Docenti certum quoddam collegium quasi in perpetuum tribuatur, sed singulas cujuscunque Facultatis disciplinas inter Professores pro uniuscujusque ingenio, dexteritate atque experientia potissimum velint dispertire.

Die 25 Novembr. communicatum nobis per peram Rectoralem est *Serenissimi decretum*, quo omnium Facultatum Professores jubentur per tres horae quadrantes explicare, per unum autem Auditorum scientiam periclitari, ita ut obvius quivis indiscriminatim examinetur.

Ao. 1775. Octavo Decembris in choro et foro celebratum est *festum immaculatae Conceptionis B. V. Mariae.* Hinc pridie ejus diei sacra publica pomeridiana cum concione in honorem Beatissimae habita sunt, ipso autem die festo pro more tertio quadrante horae 9 in Stuba academica Professio Fidei ab omnibus Professoribus emissa ac deinde in templo academico sub solenni Missae sacrificio Votum de propugnanda Conceptione immaculata ejusdem D. Virginis editum est.

Scripta hoc anno notabiliora in lucem prodierunt

in Facultate *theologica*

Hermanni **Scholliner** Introductio ad praelectiones theologicas c. thesibus ex universa Theologia, Ingolst. 8; Diss. De non commentito eoque gemino sed excusato lapsu Liberii R. P. &c. ib. 4.

Benedicti **Stattleri** De locis theologicis, Weissenburgi 8; Ethica christiana communis (continuatio), Ingolst. 8.

in Facult. *juridica*

Josephi **de Weinbach** Problema politico-juridicum: Utrum ii, qui sacra profitentur Protestantica, ad Athenea Catholicorum literarum amore confluentes eorundem Albo inserendi gradibusque Licentiatus aut Doctoratus insigniendi sint; Ingolst. 4.

in Fac. *philosophica*

Mathiae **Gableri** Der Instrumental-Ton, Diss. physicalis, Ingolst. 4.

Jo. **Helfenzriederi** Abhandlung von der Geodäsie, cum quinque tabulis, Ingolst. 4.

Ao. 1776.

ANNO DOMINI MDCCLXXVI.

Rector DXXVI: **Franciscus Antonius** STEBLER, Philos. et Med. Dr, Serenissimi Electoris Consiliarius aulicus actualis et Archiater, Medicinae forensis Prof. p. o.

Inscripti 159.

Illustres:
Josephus **L. B. ab Armansperg** a Loham et Egg, Burghusianus Boj.
Ludovicus **L. B. de Eckher** a Kapfing et Lichteneck, Monacensis Boj.
Henricus Carolus Ignatius Willibaldus. **L. B. de Roth** a Schreckenstein; Eistettensis Franco, Canonicus Ecclesiarum cathedralium Constantiensis et Frisingensis.
Jos. Antonius **Comes de Tauffkirch** a Guttenburg et Engelburg, Ambergensis Palatinus.

Nov. Prof. *Ge. Ludov. Cl.* **Rousseau,** hucusque Historiae natur. et Chemiae, nunc etiam Materiae medicae Prof. p. o.

Novi DDri
16 Aug. *Sebast. Seemiller,* Canonicus regularis Pollinganus,
— *Benno Haertl,* Philos. Dr Concionator aulicus Monachii design. } *Theol.*
10 Aug. *Benno Haertl,* Monacensis, Sacerdos pro capessendo theol. gradu,
19 Aug. *Christian. Wiedemann,* O. S. Bernardi in Kaisersheim. monasterio Religiosus
— *Fr. Ignatius Streber,* Reisbacensis Boj.
— *Vit. Ant. Winter,* Hohenegglkofenensis Boj. } Instit. Clericorum in communi viventium Alumni } *Philos.*

Ao. 1776.	4 Nov.	*Fr. Antonius Gabler,* Donauwörthanus Bavarus	*Philos.*
	—	*Corbinianus Mich. Lettenbaur,* Oberaltacensis Bojus	
	—	*Jos. Gattinger,* Enzenbergensis Boj.	
	—	*Emmeramus Reinl,* Ambergensis Palatinus	
	—	*Albertus Xaverius Weinzierl,* Mochinganus Bojus	
	2 Dec.	*Martinus de Ambach* a Grünfelden, Tyrolensis, Canonicus Landishut.	
	—	*Philippus Fischer,* Hörgertshusanus Bojus	

Inter Inscriptos hoc anno commemorandi sunt etiam *Franciscus Seraphicus S. R. I. Eques de Weinbach,* Proseltzhemiensis Franco, clarissimi nostri Jurium Professoris filius; *Jo. Bapt. Hoffmann,* Wirceburgensis Franco, SS. Theolog. Licent., Consilii ecclesiastici Frisingensis Secretarius et Notarius apostolicus immatriculatus; *Jo. Nep. Godofredus Krenner,* isque postea Jurium apud nos Professor &c.; *Antonius Michl,* Ebersbergensis Boj. Presbyter et Jur. utr. Studiosus, initio seculi undevigesimi in alma Universitate Landishutana Professor.

Georgius Ludovicus **Rousseau** cum proximo abhinc anno e philosophica, cui primum adscriptus fuerat, in medicam Facultatem promotus, mox tamen ab *Ickstattio* Universitatis tunc temporis Directore (cui scilicet id minus probatum erat) in pristinam Facultatem esset repositus, hoc adeo aegre tulit, ut coram ipso Serenissimo ea de re conquereretur; nec frustra. Jam enim 16 Februarii hujus anni non solum inter Medicos iterum receptus sed etiam Medicinae Professor p. o. clementissime designatus est, ita ut praeter eas, quas usque jam in Facultate philosophica tradiderat disciplinas, Historiam nempe naturalem et Chemiam, inde ab hoc anno etiam Materiam medicam in medica Facultate docere juberetur.

Inter eos, qui hoc anno ex universa Philosophia publicam disputationem sustinuerunt summosque ejus ordinis honores academicos receperunt, praecipue memorandus est *Franciscus Ignatius*

Ao. 1776.

Streber, Reisbacensis Bojus, qui postea regiae Monacensis Capellae aulicae Director illustrissimique Ordinis S. Huberti Ceremoniarius, Ordinis item pro civilibus de corona Bavariae meritis Eques designatus, postremo Metropolitanae Monaco-Frisingensis Ecclesiae Propositus et Birtensis in partibus Episcopus a Sacra Sede institutus est. Eodem fere tempore *Sebastianus Seemiller,* Canonicus regularis Pollinganus scripta pro capessendis summis in Theologia honoribus exercitatione philosophico-theologica ad illustranda et vindicanda quaedam primi Geneseos capitis loca, quam typis in 4to edidit, publice sine praeside disputavit suasque positiones cum ingenti applausu defendit. Sed hujus mox celeberrimi Viri merita Annales nostri deinceps narrabunt.

Absolutis hoc anno tam Philosophiae quam Theologiae studiis Universitati nostrae valedixit *Sebastianus Mutschelle;* postea Canonicus Ecclesiae collegiatae ad S. Vitum Frisingae et Principis Episcopi ibidem a Consiliis ecclesiasticis, deinde in Lyceo Monacensi Theologiae moralis et S. Eloquentiae Professor ac Parochus in Baumkirchen prope Monachium († 28 Nov. 1800); cujus praeclarissimi Viri quae animi indoles, quae vitae fata quantaque de re literaria fuerint merita non solum commentationes *Cajetani Weilleri* typis impressae s. t. „Rede zum Andenken an Mutschelle" Monachii 1800, et „Mutschelle's Leben" cum imagine Defuncti, ibid. 1803, sed magis etiam ipsius in lucem edita monimenta testantur, quorum catalogum contexuit *Clemens Baader* in libro qui inscribitur „Lexicon verstorbener bayerscher Schriftsteller" (Aug. Vind. et Lips. 1824. 8) T. I. P. 2. p. 64—66.

Die 17 Augusti Vir multoties in his Annalibus laudatus, illustrissimus Dominus *Joannes Adamus* **L. B. ab Ickstatt,** Juris utriusque D^{r}, Scientiarum Academiae Monacensis socius aliisque doctis Societatibus adlectus, Serenissimi Electoris, cujus olim praeceptor erat, intimus Consiliarius actualis, idemque celeberrimus in hac alma Academia Juris naturae et Gentium, publici juris Germanici ac scientiarum Cameralium Professor p. o. et Universitatis per multos annos Director, aetatis anno septuagesimo quarto Waldsassiae in Palatinatu superiori, ubi qua Commissarius Electoralis Palatinatum inter et Bohemiam fines constituendi causa degebat, inopinate apoplexia tactus diem obiit supremum.

Ao. 1776. Decimo octavo Septembris clementissimum nobis communicatur decretum, vi cujus singulare ex Consiliariis aulicis Collegium instituitur, a quo res graviores ad Universitatem spectantes praevia consultatione instruantur, ut ipse Serenissimus facta sibi desuper relatione facilius rectiusque possit decernere. Hujus Collegii praesidium tenet illustrissimus Dominus *S. R. I. Comes de Seinsheim* supremus Magister aulicus et Conferentiarum Minister, cui subsunt Serenissimi Electoris a Consiliis intimis Cancellarius D. *Fr. Xav. Wigulaeus Aloysius L. B. de Kreittmayr* Directoris vice fungens, et quatuor Commissarii pro singulis Universitatis Facultatibus deputati, sc. pro juridica excellentissimus D. *Jo. Georgius de Lori* Electoralis a Consiliis intimis et a rebus politicis Referendarius, qui jam ipse ab ao. 1749 Juris criminalis et Historiae juris literariae primum extraordinarius dein ordinarius Professor Universitatem nostram insigniter quidem sed non ita diu illustraverat, quum inde avocatus alia atque alia et ampliora deinceps munera et ea cuncta cum felicissimo successu susciperet; pro Facultate medica praenobilis D. *Jo. Antonius Eques de Wolter* Consiliarius intimus; pro philosophica D. *Jo. Caspar. Nobilis de Lippert,* Electoris a Consiliis quae dicuntur revisoriis; pro sacrosancta denique Facultate et Gymnasio academico Collegioque Albertino D. *Henricus Braun* Consiliarius ecclesiasticus actualis et Ecclesiae collegiatae ad Divam Virginem Monacensis Canonicus. Hi quatuor summi Commissarii in rebus suae quisque Facultatis jus habebit proponendi, cetera vero, quae non de singulis Facultatibus agunt sed ad totum Universitatis corpus attinent, a sola Praesidis dispositione ac judicio pendebunt, ita tamen, ut antequam Curatores decreverint rem sive ad Senatum sive ad propriam Facultatem, aut si de Oeconomicis quaeratur vel ad Fiscum aulicum vel ad Deputationem fundationum mittant, et sententiam eorum percipiant. Cum autem Universitatis fama nomenque in praecellentia Professorum maxime consistat, Commissarii deputati diligentissime prospiciant, nequis ad cathedram vacantem praesentetur nisi probe examinatus prae ceteris competentibus eminuerit, aut editis jam literariis opusculis eximiisque moribus sese commendarit; cumque nihil optimarum literarum utilitati et incremento magis adversetur, quam spiritus factiosus partiumque studium, quo acerrimae saepe

Ao. 1776.

lites et contentiones excitantur, id quoque praecipue caveant Commissarii, ut ejus generis homines turbatores et ad rixam proclives quam celerrime a corpore segregentur. Quoties autem quandoque Commissariorum consessus fuerit habendus, ex ipsa negotiorum tractandorum numero et qualitate cum tempore apparebit; in praesens id tantum statuitur, ut saltem una tertio quovis mense habeatur sessio, nisi pro rerum exigentia pluribus opus fuerit conventibus.

Quum Aestheticam in posterum non seorsim sed junctam cum aliis Philosophiae disciplinis tradere placeret, plurimum reverendus ejusdem hucusque Professor p. o., D. *Vicelinus* **Schloegl** Consiliarius ecclesiasticus actualis die 6 Novembris clementissime dimissus et in monasterium suum Pollinganum rediturus quasi in recognitionem eximiae quam promeruit laudis numo aureo sex ducatorum pretii eoque solo in memoriam ejus rei cuso donatus est.

Libri h. a. editi

in Facult. *theolog.*

ab *Herm.* **Scholliner** Von den Wappen der Pfalzgrafen von Wittelsbach und nachmaligen Herzoge in Bayern, Francof. et Lips. 8.

a *Bened.* **Stattler** Ethica christiana communis (continuatio), Ingolst. 8; Theologia christ. theoretica, Tract. I., Ingolst. & Monach. 8.

in Facult. *medic.*

ab *Henr. Palm.* **Leveling** Specimen inaugurale medicum, sistens situm viscerum abdominalium naturalem et praeternaturalem (pro gradu doctorali in Med. submittit Benno Canzler) Ingolst. 4.

in Fac. *philosoph.*

a *Math.* **Gabler** Von den Kräften der Körper, Inglst. 4 maj.

Ao. 1777.

ANNO DOMINI MDCCLXXVII.

Rector DXXVII: **Hermannus** SCHOLLINER, S. Theol. D^r^, Serenissimi Electoris Bav. nec non Principum Episcoporum Salisburgensis et Frisingensis a Consiliis ecclesiasticis, SS. Theologiae Prof. p. o,

Inscripti 72.

Illustres:
Maximil. Jos. Carol. Jo. Nepom. **L. B. de Montgelas** a Zaizkoven &c.; Monacensis.
Marquardus **L. B. de Pfetten** ab Arnbach; Arnbacensis Boj.
Jo. **L. B. de Reisach** a Treffelstein & Tieffenbach, in Palatinatu superiori.
(Deest praenomen) **L. B. de Saur** a Zangenstein et Meischendorf; Ambergensis Palatinus.
Josephus Maria Ascanius **Comes de Verri** a Boria, Albensis Italus Pedemontanus.

Novi Proff.
Fr. Xaverius **Gebhard**, Mindelhemiensis Suevus; Eloquentiae sacrae Prof. p. o.
Balthas. **Schleibinger**, Altenerdinganus Bojus; Philosophiae Prof. p. o.
Leopoldus **Leeb**, à Lyceo Elect. Monacensi; S. Theologiae moralis ac pastoralis Prof. p. o.

Novi DD^r^

9 Aug.	P. *Fr. de Paul. Gerhardinger,* Philos. D^r^, Hofkirchensis, Sacerdos		
—	Pl. *rev. N. Sinzl* (deest patria) Sacerdos,		
12 Nov.	Pl. rev. D. *Leopoldus de Leeb*, S. Theol. in hac alma Universitate Professor clement. designatus		*Dr. Theol.*
—	Pl. rev. D. *Balthas. Schleibinger,* Philosophiae Prof. designatus		
1 Febr.	*Philipp. Fischer,* Hörgertshusanus Bojus	Philos. Magg.	*Medic.*
—	*Fr. Xav. Bachmayr,* Ingolstadiensis Bojus		

			Ao. 1777.
30 Julii	*Ignat. Niederhuber*, Ingolstadiensis Bojus	Philos. Magg.	
—	*Bonav. Hubertus Leveling*, Luxemburgensis		
—	*Fr. Xav. Ulrich*,	Eichstadiani Francones,	*Medic.*
—	*Vitus Boehm*,		
1 Dec.	*Fr. Xav. Wagner*, Kaufburanus Suevus,		
—	*Jo. Bapt. Wanner*,	Straubingani Boji,	
—	*Fr. Leiderer*,		
—	*Jo. Nep. Kollmann*, Deggendorfensis Bojus, Philos. Mag.		
8 Aug.	*Sebast. Spann*, Tirschenreuthensis Palatinus,		
—	*Fr. Ant. Bisot de Prulet*, Ingolstadiensis,		
—	*Emanuel Zuber*, Landsbergensis Bojus,		
—	*Gelasius Gaill*, Aiblinganus Boj., Canonic. Pollingan.,		
—	*Ignatius Lautner*, Ingolstadiensis,		
—	*Fr. Limer*, Monacensis,		
—	*Euseb. Obermiller*, Toelzensis, Canonicus Pollinganus,		*Philos.*
—	*Carol. Primus*, Neoburgensis Neo-Palatinus	Medic. Candd.	
—	*Anton. Will*, Ambergensis Palatinus		
—	*Petrus Wundl*, Ingolstadiensis S. Theologiae Studiosus		
12 Nov.	Pl. rev. *Leopold. de Leeb*, in Lyceo hucusque Monacensi Prof.		

Supradictus Medicinae Dr. D. *Philippus Fischer* primus fuit, qui secundum novam ordinationem tentamen coram quinque Professoribus et quidem coram quolibet per integram horam privatim, examen autem rigorosius in congregata Facultate itidem per quinque horas sustinuit, et ita quidem sustinuit, ut ex omnibus omnino Medicinae partibus notam in forma prorsus eminenti cum terminis specialiter exquisitis obtinere jure optimo sit promeritus. Notan-

Ao. 1777. dum autem est id quoque praecipue, quod Serenissimus Dux et Elector noster in hoc praeclarissimo viro munificentiam suam eximie fecerit elucere, cum illum ad varias et remotissimas exteras Academias divertentem et uberrimos scientiae ac doctrinae suae antea jam satis amplae fructus collecturum sumtibus Electoralibus clementissime sustentaverit. Universitates enim, quas deinceps non solum peragraverat, verum etiam undique singularem laudis commendationem ob miram ingenii capacitatem, indefessam industriam et morum comitatem reportaverat, duodecim fuere, nempe Universitas Argentoratensis, Parisiensis, Edimburgensis, Oxoniensis, Normandiae, Flandriae, Lugdunensis, Trajectina, Coloniensis, Moguntina, Giessensis ac Goettingana; et quod vel maxime illum commendat, Edimburgensis eum jamjam Medicinae adhuc Candidatum in gremium Academiae scientiarum tamquam illustrissimum collegam adoptavit. Redux Monachium meritis ac doctrina plenus a Serenissimo Domino Electore nostro, jam antequam gradum doctoralem obtinuerat, Chirurgo-Medicus cubicularis clementissime nominatus et receptus est.

Inter Immatriculatos hoc anno haud reticendum puto *Josephum Antonium Sauter,* Hechinganum Suevum, Sacerdotem curatum; posthac Philos. et Jur. utr. D^rem^ Regiae Celsitudinis Magno-Ducatus Badensis Consiliarium aulicum et in Academia Friburgensi Briscoica Juris ecclesiastici Professorem p. o.

Per Electorale decretum dd. 15 Februarii plurimum reverendus *Francisc. Xaverius* **Gebhard** Philos. et Theol. D^r^ antehac in Gymnasio academico nostro Praefectus et secundae Rhetorices Professor, in cathedram Eloquentiae sacrae clementissime immissus et in Facultate philosophica cum omnibus praerogativis et emolumentis, quibus antecessor ejus *Vicelinus Schloegelius* gaudebat, receptus est.

Die 28 Martii annus quinquagesimus jubilaeus Serenissimi ac Potentissimi **Maximiliani Josephi** utriusque Bavariae et superioris Palatinatus Ducis, Comitis Palatino-Rhenani, S. R. I. Archidapiferi et Electoris Domini nostri clementissimi ab hujate literarum Universitate in templo academico solennissime celebratus est perorante *Fr. Antonio Ferdinando Stebler* almae Universitatis Seniore

Ao. 1777.

ac forensis Medicinae Professore p. o. Quae quidem oratio Ratisbonae typis Weissianis eodem anno edita est.

Clarissimus *Ge. Ludovicus Rousseau* jam biennio abhinc a Societate rei rusticae Burghusiana, hoc anno item a Caesarea Academia Leopoldo-Carolina Vindobonensi in sodalicium cooptatus est.

Inter eos, qui 30 Julii ad summos in Medicina honores, Licentiam nempe ac Doctoratum, evecti sunt, facile princeps exstitit praenobilis *Bonaventura Hubertus Leveling* Luxenburgensis AA. LL. et Philos. Magister, qui in examine rigorosissimo coram Facultate saluberrima ex singulis Medicinae partibus, praesertim ex Anatomia, Chirurgia, Praxi clinica et Chemia, per solidissimas responsiones ad objectiones difficillimas et quaestiones intricatissimas sibi propositas diploma in forma Eminenti cum terminis exquisitis obtinuit. Cum vero „immensum gloria calcar habet", hisce laudum encomiis necdum contentus scientiae ac doctrinae suae radios in publicam lucem diffundere adlaborabat. Hinc sub auspiciis Reverendissimi et Serenissimi Electoris Trevirensis dissertationem publicam solennissime propugnavit et tam solidissime quam dexterrime defendit, ut promeritam jam antea Eminentiae laudem ad summum meritorum suorum apicem evexerit, partemque honoris in Facultatem redundare fecerit invictus pugil.

Mense Augusto clarissimus ac doctissimus *Casp. Gerhohus* **Steigenberger,** Philos. et Theol. D^r, Protonotarius apostolicus, Electoris Bav., Electoris Trevirensis et Principis Episcopi Augustani Consiliarius eccles., qui abhinc annis quatuor in Universitate nostra et Professoris et Bibliothecarii munera insigniter decoravit, in monasterium suum Pollinganum se recepit, usque dum anno 1781 Monachium evocatus est, ut Bibliothecae aulicae praeficeretur, ibique etiam Electoralis Scientiarum Academiae socius ordinarius et Collegio eorum qui Principis erant a Consiliis ecclesiasticis, adlectus ad fovendas et dilatandas literas usque ad extremum vitae indefessus laboravit. Obiit praematura morte annis sex et quadraginta natus d. 5 Augusti 1787. Funus Monachio Pollingam delatum et in monasterio sacrae sepulturae demandatum est. Praeter eas, quas aut celato nomine aut variis ephemeridibus insertas edidit lucubrationes unam jam, cum adhuc esset in Gallia, gallice evulgarat scilicet Dissertation sur le veritable auteur d'un ouvrage

Ao. 1777. intitulé *„Flores Psalmorum“*, Paris 1764. 4; alteram, quam infra memorabimus, scripsit hoc ipso anno Ingolstadii. Post suum autem a nobis discessum patrio sermone prodidit: Historisch-literarischer Versuch von der Entstehung und Aufnahme der kurfürstlichen Bibliothek in München, Monach. 1784. 4; et: Literarisch-kritische Abhandlung über die zwo allerältesten gedruckten deutschen Bibeln, welche in der kurfürstlichen Bibliothek in München aufbewahrt werden, cum appendice et figuris aeri incisis, Monach. 1787. 4. Cathedram vacuefactam per abitum Steigenbergeri ex decreto Serenissimi dd. 18 Augusti obtinuit doctissimus *Balthas.* **Schleibinger,** S. Theol. et Philos D^r, Electoralis Consiliarius eccles. actualis; antehac Seminarii clericorum saecularium in communitate viventium Regens. Qui quum solemne quidem praelectionum suarum initium statim fecisset, nondum tamen in possessionem fuisset immissus, quoniam ejus nominatio Senatui academico non fuit notificata, nunc demum communicatis Serenissimi literis die 8 Decembris ritu solito instituitur.

Praenobilis *Joannes Josephus S. R. I.* **Eques de Weinbach,** Melrichstadianus Franco, Jur. utr. D^r et Elector. Bav. Consiliarius aulicus actualis, qui per sexennium Juris naturalis et Institutionum imperialium Prof. p. o. optime meritus et jam biennio abhinc supremi Judicii Camerae Imperialis Wetzlariensis Assessor praesentatus fuit, nunc munus illud honorificentissimum suscepturus ab Universitate nostra cum magno sui desiderio discessit. Diem obiit Wetzlari 1 Novembris 1788.

Inchoantibus feriis autumnalibus item plurimum reverendus *P. Balduinus* **Wurzer** Cisterciensis, SS. Theol. D^r, Ducis Electoris Bavariae ac Principis Episcopi Frisingensis a Consiliis ecclesiasticis, qui duobus ante annis ad academicam Theologiae moralis et pastoralis cathedram evocatus est, rursus in monasterium suum Aldersbacense Superiorum jussu se contulit, eique 9 Septembris successor datus est S. Theol. D^r *Leopoldus* **Leeb,** qui studiis theologicis absolutis monasterium Canonicorum regularium Schlehdorfiense ingressus mox tamen coenobio relicto saecularium clericorum conditionem secutus et novissimo abhinc tempore in Electorali Lyceo Monacensi Professor sacrorum Canonum et Historiae ecclesiasticae fuerat designatus.

Ao. 1777.

Die 9 Novembris clarissimus Juris utr. D. *Joannes Paulus* **Sutor**, Principis et Episcopi Eichstettensis Consiliarius intimus et Serenissimi Electoris Bav. a Consiliis aulicis, bis in hac alma Universitate Rector et per viginti duos annos continuos Jurium Professor p. o., jam P. III. Annalium p. 262 sqq. de ceteris laudatus, aetatis suae anno 71 diem obiit supremum. Qualis semper est excellentium animorum natura, ut non modo stimulis suis ad promovendam cognitionem satisfacere, sed etiam alios scientia atque morum elegantia antecedere diu noctuque animum fatigent, talem sese omnino in nostra Universitate praebuit vir excellentissimus Sutor. Sit illi terra levis! Praeter supra jam memoratas dissertationes etiam sua manu prodierunt: Historischer Auszug und Beweis, dass das fürstliche Hochstift Eichstädt ursprünglich ein fränkisches, kein bayerisches Bisthum sey, ed. anno 1745 in Jo. C. Koenig, Selecta jur. publ. p. 33 et 34; item: *Electa Conclusionum practicabilium ex vario jure,* Ingolst. 1758. 4; *Electa juris et fori hodierni seu Conclusionum practt. ex jure publ., canonico, civili, feudali et criminali selectarum Centuria,* ib. 1760. 4; et: *Jus naturae Heterodoxorum nec Deo nec Reipubliae nec Homini suum tribuens,* Diss. ib. 1764. 4.

Cum sub finem Decembris dubium esset ortum ratione praecedentiae, utrum nempe *D. Schleibinger* Metaphysices Professor Professorem Rhetorices *D. Gebhardum,* jam antea per biennium Doctorem academicum ac Senatorem praecedere debeat, an potius standum sit clementissimo decreto, quo jubebantur DD. Professores ordinem senii observare; res modo amicabili ex consilio gratiosissimi Delegati Philosophici Domini *de Lippert* composita est ita, ut Professor Eloquentiae voto quidem et sessione in concilio pleno gauderet, sed ut ad Decanatum ratione examinum, quibus interesse Decanus semper debet, non admitteretur, ita ultimo quoque loco semper sederet.

Luctuosissimus autem fuit hujus anni exitus. Trigesimo enim Decembris e vivis discessit serenissimus ac potentissimus suisque Subditis ut nemo alius carus, MAXIMILIANUS JOSEPHUS III, Dux et Elector Palatino-Bavarus, qui ultimus erat a Ludovico-Wittelsbacensibus oriundus. Dolor ingens et supra quam enarrari potest ejulatus omnem Bavariam pervasit. Secutus est eum in

Ao.
1777. imperio proximus heres fideicommissarius serenissimus Elector Palatinus CAROLUS THEODORUS, cui statim omnium ordinum cives juramento fidelitatis adstricti sunt.

Evulgatis lucubrationibus h. ao. eminuerunt

in Facult. *theol.*

Herm. **Scholliner,** qui „De synodo Neuenhemiensi sub Tassilone celebrata" conjecturas suas exposuit, Ingolst. 4.

Benedict. **Stattler** edito Theologiae christ.-theoret. Tract. II et III, Ingolst. 8.

in Facult. *medica*

Palm. **Leveling** habita „De praestantia Chirurgiae ad illustrandam Medicinam" oratione, cum Dm. *Philippum Fischerum* Chirurgo-Archiatrum supremis in Medicina honoribus insigniret, Ingolst. 4.

Fr. Ant. **Stebler** Oratione „In gloriosissimum Nativitatis diem Serenissimi Electoris Maximiliani Josephi" supra laudata, Ratisb. 4.

in Fac. *philos.*

Gerhoh. **Steigenberger,** qui disquisitioni supra memoratae Schollinerianae „De Synodo Neuenhemiensi &c." suas quoque conjecturas adjecit; Ingolst. 4.

Jo. **Helfenzrieder,** cujus commentatio „Von der Verbesserung der Feuerspritzen" a Scientiarum academia Electorali-Moguntina praemio donata est, ed. Monach. et Ingolst. 1778. 8.

Jo. Nep. **Mederer** scripsit Beiträge zur Geschichte von Bayern, Fasc. I: Die Agilolfinger in Bayern ein ursprünglich königlich-fränkisches Geschlecht, Ratisbon. 8; Fasc. II: Garibald der erste Herzog der Bojoarier, ibid. 8.

Ao. 1778.

ANNO DOMINI MDCCLXXVIII.

Rector DXXVIII: **Adamus** WEISHAUPT, Serenissimi Electoris Consiliarius aulicus actualis et Jurium Prof. p. o.

Inscripti 115.

Illustres: *Ferdinandus Maximilianus* **L. B. de Meggenhof;** Burghusianus Bojus.

Guido Josephus Aloysius **Comes de Tauffkirch** a Fuchsberg et Teunz; Fuchsbergensis Palatinus.

Franciscus Antonius **L. B. de Gugler** a Zeilhofen et Gunzing; Griesbacensis Boj.

Novus Prof. *Fr. de Paula* **Spengel,** Manhemiensis Palatinus, Juris publici et Imperialis Praxeos Prof. p. o.

Novi DD^{r}	17 Aug.	*Franciscus Seraph. Speer,* Landishutanus, Sacerdos et Seminarii S. Fr. Xaverii Praefectus, D^{r} Philos.	*Theol.*
	—	*Martinus Josephus ab Ambach,* Bauzensis Tyrolensis	
	13 Maji	*Bernardus Feusser,* Sleidanus Luxemburgensis	*Medic.*
	20 Aug.	*Fr. de Paula Winterhalter,* Monacensis	
	—	*Fr. Seraph. Strixner,* Rosenheimensis Bojus	
	—	*Jo. Nep. Gessenwanger,* Landsbergensis Bojus	
	—	*Balthas. Pachmayer,* Landishutanus, design. Physicus in Schrobenhausen,	
	—	*Adam. Jos. Rueff,* Laucheimensis Suevus	
	7 Aug.	*Fr. Seraph. Speer,* supra laudatus Presbyter,	*Philos.*
	—	*Aloys. Haller,* Landishutanus Bojus Diaconus	

Ao.			
1778.	7 Aug.	*Carol. Manz,* Monacensis, Medic. Studiosus	*Philos.*
	—	*Mauritius Fleischmann,* Ambergensis Palatinus	
	—	*Jos. Boeck,* Eismerzellensis Bavarus	
	—	*Thomas Mayr,* Frisingensis Bojus	
	—	*Sebast. Ramsauer,* Geldolfensis Bojus	
	—	*Jo. Bapt. Steinmayr,* Strasshofiensis Bojus	
	—	*Aloysius Kienast* (Ingolstadienses	
	—	*Ferd. Maria Urfahrer*) Boji	
	—	*Fr. Seraph. Kapp,* Manseensis Austriacus	

Inter inscriptos hoc anno Candidatos locum in his Annalibus eximiorem merito exposcunt *Fr. Xav. de Schmid* S. R. I. Nobilis a Westerhofen, Canonicus Capitularis ad S. Joannem Ratisbonae; *Engelbertus Semer*, Schongaviensis Bojus, Semeri nostri in hujate Academia Professoris frater et ipse postmodo Professor Heidelbergensis; *Andreas Rohr,* Pfelkofiensis Boj., Jurium postea in hac alma Universitate Professor.

Primo Januarii hora media decima convocati sunt Professores academici omnes unacum Camerario in arcem ad Excellentissimum Gubernatorem. Quibus quum mandatum *Serenissimi Electoris* **Caroli Theodori** praelegere pararet quidam militiae Auditor (ut vocant), Rector Academiae protestatus, quod nullum adhuc decretum clementissimum Universitati per Auditorem fuisset promulgatum, impetravit, ut ipse supremus Urbi Praefectus legeret. Per hoc autem mandatum jussi sunt Professores sacramento se obligare. Jam vero iterum Rector nomine omnium respondit, se paratissimos quidem esse id juramentum jurare; verum tamen cum Universitas corpus esset omni tempore aestimatissimum atque prae quovis alio distinctum, praetereaque officiales bellici distinctiores, quos dicunt „Stabsoffiziere", juramentum suum nomine suo et sigillo munitum scriptumque tradidissent, Professores omnes idem et in Stuba quidem academica facturos. Quod et praestitum est hora secunda pomeridiana, cum omnes juramentum fidelitatis et

promtam obsequendi voluntatem jam ante in charta expressam simul alta voce jurarent atque singuli sigillo suo et nomine subscripto firmarent. Postero autem die eodem jurejurando sese in Stuba academica obstrinxere Illustres Auditores seorsim, tum vero simul Professores Gymnasii unacum Regentibus Collegii Caesareensis et Seminarii Georgiani, item Bibliothecarius, Magistri exercitiorum et Cives academici honoratiores. A prandio vero Rector Magnificus in Aula academica ex cathedra legit clementissimum mandatum, atque singulos jussit renovare juramentum Serenissimo Electori *Carolo Theodoro.* Ao. 1778.

Circa hoc tempus a scientiarum Academia *Erfordensi* praemium retulit decem aureorum pro solutione problematis, *quomodo machinae ad incendia extinguenda adhiberi solitae* (quas nos dicimus „Feuerspritzen“) *et levi pretio et perfectione maxima confici possint,* noster Matheseos sublimioris Professor *Joannes* **Helfenzrieder;** qui idem ab illa Academia adlectus est ordinariis in classe mathematica sociis.

Mense Majo quum D. *Ferd. Maria Mendel,* Universitatis Notarius, diem obiisset supremum, praenobilis *D. Ignatius Lichtenstern,* J. U. Licentiatus et Repetitor publicus unanimiter in successorem illius fuit electus. Ast ubi hic jam per aliquod tempus suo fungebatur officio, inopinate advenit quidam decreto Serenissimi munitus, nomine *Kött,* Advocatus Monacensis. Convocato igitur ea de re concilio statutum fuit, Serenissimum de jure nostro ab Universitate condita jam exercito melius esse informandum et humillime petendum, ut viam juris hac in re nobis concederet, quod magnanimus et aequissimus Princeps etiam concessit. Stetit contra Cameram Electoralem victoria pro Universitate per sententiam a Consilio Aulico latam.

Sexto Junii sub Vesperum nos invisere tres *Professores Altorfienses,* Professor Historiarum *D. Will,* Philosophiae et Poëseos *D. Schwarz,* Jurium denique Professor *D. Siebenkees,* Viri inprimis docti, humani et acuti ingenii. Exhibuimus hospitibus his gratissimis omnia, quae spectatu digna aut illis aut nobis visa sunt. Fuse postea descripserunt hi Viri doctissimi honores ab Universitate ipsis exhibitas in libello, cui titulus: *„Bemerkungen auf einer literarischen Reise durch einen kleinen Theil des kathol.*

Ao.
1778. *Deutschlands", Erfurt* 1778. 8. Subin tamen crises erant inspersae, quae quosdam Professorum nostrorum offenderunt.

Transiit etiam hic *J. Casparus Lavater*, Pastor Tigurinus scriptis suis physiognomicis notissimus. Et huic exhibuimus visu digna atque aliqua experimenta physica non sine magna illius voluptate; tum ad Collegium Albertinum invitatus musica mirifice delectatus est. Altero mox die sumto apud *Henricum Palmatium Leveling* Professorem Anatomiae jentaculo Ratisbonam abiit.

Secundo Augusti plurimum reverendus *Mathias* **Gabler,** Physicae Professor, ab Academia scientiarum Moguntina, quae *Erfordii* est, diploma accepit, quo is inter ordinarios in classe physica socios assumtus esse nunciabatur.

Quod dudum desideravimus chemicum Laboratorium biennio ante jam exstrui coeptum hoc ipso anno studio potissimum et industria clarissimi *Ludovici Rousseau* Chemiae Professoris perfectum et in publicum Universitatis usum inauguratum est.

In palaestra literaria h. a. eminuit *Joannes Martinus Josephus de Ambach* Bauzensis Tyrolensis ao. 1758 natus, qui tentamen theologicum: *„Quantum humana ratio ad literalem S. Scripturae sensum juxta mentem Ecclesiae catholicae inveniendum conferat"*, unacum thesibus ex universa Theologia selectis publice cum applausu propugnavit et edidit typis Ingolstadii in 4. Is postea Landishuti in Ecclesia collegiata ad S. Martinum Canonicatum suscepit.

Die 3 Octobris, cum jam aliquamdiu graviter decubuisset, aquae intercutis morbo decessit clarissimus *Benedictus* **Schmidt** Forchemii in Franconia 21 Martii 1726 natus, Philos. et utriusque Juris Dr., Principis et Episcopi Bambergensis, post etiam Serenissimi Electoris Bav. a Consiliis aulicis actualibus, Monacensis porro Scientiarum Academiae socius et in Universitate nostra per annos septemdecim Juris publici, feudalis et Praxeos imperialis Germanicae Professor meritissimus et per Bavariam ac omnem paene Germaniam doctrinae fama celeberrimus, de cujus literariis documentis plura jam in his Annalibus P. III. p. 283. 285. 289. 292. 300. 303 relata leguntur. Ad integrandam Viri praestantissimi memoriam addere hic juvat nonnulla quae illic omissa sunt opuscula in lucem edita: *Principia Jurisprudentiae Romano-Germanicae unacum historia Juris* &c. Ingolst. 1762. 8; Programma

Ao. 1778.

Von der Nothwendigkeit einer systematisch zu erlernenden juristischen gerichtlichen und aussergerichtlichen Praxis, ib. 1763. 4; Progr. *De punctis comitialibus Catholicos inter et Protestantes agitatis pace Hubertoburgica et Capitulatione Josephi II determinatis*, ib. 1764; Diss. jur. German. De *unione prolium*, ib. 1764. 4; Progr. *Von der Nothwendigkeit der Natur- und Völker-Rechtslehre*, ib. 1766; Diss. *Historiam legum Imperii fundamentalium chronologico ordine sistens*, ib. 1770. 4; *De jure eligendi Regem Romanum Electoribus &c. competente*, ib. 1770; *De jure Telonii Statuum Imperii in genere et in specie*, ib. 1770; Diss. I et II *De notis characteristicis Superioritatis territorialis*, ib. 1771. 4.

In ejus locum cum eodem salario iisdemque emolumentis, quibus gaudebat Defunctus, ex decreto Serenissimi dd. 30 Octobris successit doctissimus *Franciscus de Paula* **Spengel** Manhemio-Palatinus, natus 20 Januarii 1747, utriusque Juris D.r et Electoralis Consiliarius aulicus, qui jam in Universitate Heidelbergensi aliquamdiu summa cum laude docuerat et scriptis nonnullis commentationibus e. gr. *De natura et indole Emphyteuseos Germanicae* (Goetting. 1771. 4); et *Grundsätze des deutschen Privatrechtes* (Manhem. 1774. 4) honorifice innotuerat. Statim igitur post suum ad nos adventum in matriculas inscriptus 8 Decembris post vesperas in Stuba academica coram amplissimo Senatu juramentum Tridentini deposuit.

Literariis exercitationibus h. a. inclaruerunt

in Facult. *sacrosancta*

Herm. **Scholliner**, Untersuchung über die Voraltern Otto des Grossen, gebornen Pfalzgrafen von Wittelsbach &c., cum octodecim tabulis genealogicis et chronol., Ingolst. 4.

Bened. **Stattler**, Theologia christ. theoretica, Tract. IV. V. Ingolst. 8; Ethica christ. communis (continuat.), ib. 8.

in Fac. *saluberrima*

Palm. **Leveling**, Specimen inaugurale medicum, sistens situm viscerum thoracis naturalem et praeternaturalem, pro gradu D.r in Medicina *Francisci Seraph. Strixner*, Inglst. 4.

Ao.
1778. in Fac. *philos.*

Jo. Nep. **Mederer,** Beiträge zur Geschichte von Bayern, Fasc. III: Die Geschichte der Theodonen in Bayern, Ratisbon. 8.

Math. **Gabler,** Naturlehre zum Gebrauche öffentlicher Erklärungen, hoc anno coepta et proxime sequente anno V. Partibus absoluta, Ingolst. 8 maj.

ANNO DOMINI MDCCLXXIX.

Ao.
1779. Rector DXXIX: **Henricus Palmatius** LEVELING, Electoralis Consiliarius aulicus actualis, Medicinae D^{r} ejusdemque Prof. p. o.

Inscripti 95.

Illustres: *Joannes Bapt. Alexander* **L. B. de Taenzl** a Trazberg, Oberbechinganus Palatinus.

Fr. Xaverius **L. B. de Annethan** a Densborn, Pfaffenhofiensis Palatinus.

Novus Prof. *Joannes Nepom.* **Fischer,** Miesbacensis Boj., Physices et Matheseos Prof. primum extraordinarius, mox etiam publ. ord.

Novi DD^{r} m. April. Praenob. *Georg. Fridericus Zentner,* Manhemiensis, Juris publici Heidelbergae Professor *Jur.*

15 Aug. *Georg. Duscher,* Hadamariensis Nassovianus

— *Carolus Primus,* Neoburgensis Neo-Palatinus

— *Jo. Bpt. Obermayer,* Monacensis

— *Augustin. Merz,* Schongaviensis Bav.

} *Medic.*

				Ao.
7 Aug.	*Claudius Sigismundus de Schwerin,* Ingolstadiensis Bojus			1779.
—	*Emmeram. Grundner,* Erdinganus Boj.	Instit. Cleric. in comm. vivent. Alumni		
—	*Joseph. Müller,* Landishutanus Boj.			
—	*Anton. Braendl,* Lamensis Boj.	Collegii Albert. Alumni.	*Philos.*	
—	*Fr. Xav. Stickel,* Ingolstadiens. Boj.			
—	*Fr. Xav. Hofmann,* in Elect. Seminario Neoburgensi Praefectus			
—	Rv. D. *Baumgartner,* Heuriedensis Franco, Visitatoris episcopalis Eichstettensis Actuarius			

Praeter Illustres supra memoratos matriculam nostram hoc anno insigniter ornarunt *Joannes Jacobus Bausch* Grossholbacensis Trevirensis, reverendissimi ac Serenissimi Principis Archiepiscopi Trevirani et Episcopi Augustani Capellanus aulicus et Vicariatus Augustani Assessor; *Jos. Heckenstaller* Abensbergensis Boj. Logices Studiosus, postmodo Dioeceseos Frisingensis sede vacante Director et Vicarius Generalis, regii Bavarici Ordinis pro civilibus de Corona meritis Eques, et postremo Ecclesiae Metropolitanae Monaco-Frisingensis Decanus infulatus; *Dr. Georgius Fridericus Zentner* Manhemiensis Palatinus, Juris publici Professor Heidelbergensis, postea summus Universitatis Landishutanae Curator et regiae Majestatis Maximiliani Josephi I excellentissimus a rebus externis et domesticis Minister &c.

Ad vacuam ex obitu *Ignatii Sebastiani Hackii* parochiam Uttenhofiensem die 12 Februarii ab amplissimo Senatu academico tamquam legitimo patrono hujus parochiae plurimum reverendus *Ignatius Christianus Mayr,* Vicarius hucusque parochiae Pondorfiensis, praesentatur ea conditione, ut antiquitus consuetam quovis anno pensionem quinque et viginti florenorum ad cameram Universitatis persolvat.

Ao.
1779. Vir generosissimus *Jo. Georgius de Lori,* biennio abhinc Universitatis nostrae benevolentissimus pro juridica Facultate Commissarius Monacensis, quum esset inter eos, qui secretos Austriae appetitus Bavariam sibi subigendi refutare jussi fuerant, inita Teschenensi pace malis inimicorum suorum artibus a latere Serenissimi Electoris amotus et 16 Junii Neoburgum ad Danubium quasi relegatus est. Ex quo tempore *Jo. Casparus de Lippert* praeter philosophicam, cui hucusque praefuit, Facultatem etiam juridicam dirigendam suscepit. *Lorius* autem Neoburgi vitam degens privatim d. 23 Martii 1787 aetatis sexagesimo quarto e vivis discessit.

Ex mandato Serenissimi Electoris proprio dd. 26 Martii plurimum reverendus S. Theol. Licentiatus et Philos. D.r *Jo. Nepomucenus* **Fischer** Miesbacensis Bojus natus 5 Martii 1749, jamque per plures annos Seminarii Nobilium, quod est Neoburgi ad Danubium Regens, religiosissimo P. *Joanni Helfenzriedero*, Scientiarum Academiae Monacensis socio ac Physices et Astronomiae in hac alma Universitate Professori, tanquam Observator secundarius cum annuo quingentorum florenorum stipendio ex confiscato Jesuitarum aerario adjunctus est, ita ut post illius obitum in cathedram ejus ordinariam statim quidem, tamen nullo sibi in posterum dato coadjutore esset successurus. Eidem 2 Octobris etiam Mathesis pura commissa est, ut tali modo clarissimus Professor *Mathias Gabler,* qui praeter Philosophiae partes illam quoque hucusque tradiderat disciplinam, aliqua ex parte posset sublevari. Jam vero subsecuto die 3 Decembris novo et speciali decreto dictus **Fischerus** Professor ordinarius Matheseos idemque Astronomiae secundarius Observator clementissime designatus est.

Milites, quorum legio a Seniore Domus Bavaricae Principe nomen habet (Regiment *Churprinz*) Neoburgum petere jussi sunt; inde eodem die octava Aprilis alia huc advenit legio dicta *de la Rosé.* Jam vero paulo post ad cruentum tumultum ventum est. Etenim propter rixas temulentos inter milites et Academicos saepius hisce diebus exortas litigantium animi ita fuerant exacerbati, ut nonnisi occasionem sese vindicandi exspectarent. Occasio autem mox data est. Nam vigesimo Aprilis integra legio per universam civitatem excubias agere debebat. Itaque noctu hora media circiter ad octavam milites alii ex condicto convenerant, alii vagantes

Ao. 1779.

per plateas et strictis gladiis ex lapidibus scintillas excitantes vociferabantur: *„Occidite, enecate Studiosos!“* Accidit autem fortuito casu, ut eadem nocte D. Professor *Helfenzrieder* institueret observationes astronomicas. Philosophi igitur inde redeuntes domum petere cogitabant. Sed miles in excubiis positus eos adegit, ut illam viam ingrederentur, ubi militum turba ex insidiis latebat. Jam vero nil nisi clamor et armorum fragor exauditus est. Studiosi circumventi, in terram prostrati gladiis petebantur. Tantus erat furor militis ira excitati, ut puerulo gymnasiali flexis genibus vitam deprecanti periculum capitis minitaretur. Unus autem Academicorum nomine *Teichlein* jurium studiosus triginta fere gravissimis vulneribus in corpore exceptis atque manu dextra pollice abscisso post aliquot horas sanctissimo viatico fuerat pro aeternitate munitus. Pluribus itaque Studiosis salutem in fuga quaerentibus tredecim circiter inermes graviter vulnerati sunt; neque rabies illorum civibus atque eorum servis pepercit. Ita homo quidam magno clamore et sincero corde sartorem se esse obtestans verbera non potuit evitare. Quo facto mane circa octavam concilium Patrum academicorum convocatum, et species facti Serenissimo Electori per equitem nunciata est. Interea Gubernator urbis omnia adhibuit, ut ferocem militem inhiberet; excubias duplicavit, militesque jam hora septima vespertina domum redire jussit. Neque suis partibus defuit Rector Magnificus *D.* **Palmatius Leveling**, qui publice de cathedra in Aula academica congregatos Studiosos admonuit, ne novis concursionibus rixisve excitatum militem vellicarent, sed ut condignam a Serenissimo Electore satisfactionem exspectarent. Quae quidem oratio id saltem effecit, ut laesi Auditorum animi ad tempus mitigarentur. Nihilominus tanta perturbatio et Patrum academicorum et Studiosorum animos subiit, ut quid agere aut omittere deberent, vix sibimet ipsis consulere possent, et postero die septem tantum Philosophiae Candidati lectionibus interessent. Denique vigesimo tertio Aprilis Consilio pleno in Aula habito promulgatum est decretum Serenissimi, quo congrua promissa est satisfactio et constituta simul commissio causam ventilatura. Ipsa vero sententia, usque ad initium futuri anni protracta, severe in reos milites animadvertit, ita ut pro mitigatione poenae quorundam vel ipsa Academia intercederet.

Ao. 1779. Alii enim incarcerati, alii fustigati, nonnulli per militum ordines currentes virgis caesi sunt.

Interea res longe alia Professorum aeque ac civium animos occupabat. Decimo enim quarto Octobris Rector Magnificus Decretum Camerae aulicae Patribus congregatis promulgavit, quo conferre *consilia* jussi sunt sumtibus quantum fieri possit moderatis *Universitatem nostram transferendi Landishutum.* Conclusum est, hac de re gravissima tam cuilibet Facultati seorsim quam consilio communi, quid pro Universitate optimum videretur, deliberandum esse. Hujus mandati nuntius cum primum ad aures civium pervenisset, plerique initio quidem dictis fidem adhibere detrectarunt, nonnulli tamen trepidi per vias vagabantur, quoscunque obvios sciscitantes, verusne esset qui per urbem spargeretur rumor. Ast ubi intellexerunt, a Patribus academicis rem in consilio pleno serio agi, mox tacita moestitia omnium animos defixit, pluresque civium, quos scilicet hoc fatum proximius tangebat, ad Aulam properabant, et coram consilio admitti ad colloquium sollicitabant. Tantus autem pavor circumstantes cives cepit, ut diu non possent verba facere. Tandem unus ex iis lacrimans allocutus est Patres, paternam eorum opem et auxilium implorans, ne cives sibi addictissimos derelinquant. Respondit iis nomine omnium clarissimus Professor *Josephus* **Prugger,** Facultatis consultissimae tunc temporis Decanus, se id, quod peterent, praestare nequaquam posse, quippe qui decretis Serenissimi teneantur obedire; votis eorum solum Electorem posse satisfacere. Quo audito nonnulli a Magistratu civico Monachium deputati sunt, qui precibus suis saltem in praesenti Universitatis translocationem averterunt.

Vigesimo primo Novembris plurimum reverendus Physices Professor extraordinarius *Jo. Nep.* **Fischer** a celeberrimo *D. Kaestnero* Professore Göttingensi literas accepit, quibus nunciatur obtinuisse propositum ab illa Academia praemium quinquaginta Ducatorum pro elucubrata dissertatione sua *„Ueber die Beugung des Lichtes“.*

Plurimum reverendus sacerdos Jubilaeus *Joannes Georgius Lucas,* Parochus in *Zuchering,* munere suo pastorali libere se abdicavit. Ad praesentationem igitur a Senatu academico 27 Decembris

Ao.
rite expeditam vacua per illius resignationem parochia collata est 1779.
Ignatio Gietl SS. Th. Doctori atque antehac Provisori parochiae Deinhusanae.

Specimina literaria h. a. ediderunt

in Facult. *theolog.*

Bened. **Stattler:** Theologia christiana theoretica, Tract. VI et ult., Ingolst. 8.

in Fac. *philosoph.*

Jo. **Helfenzrieder:** Anfangsgründe der reinen Mathematik, q. e. Latina editio ejusd. in Germ. versa, Ingolst. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXX.

Ao.
Rector DXXX: **Balthasarus** SCHLEIBINGER, Serenissimi Electoris Palatino-Bavari Consiliarius eccl. actualis, Philosophiae Prof. p. o. 1780.

Inscripti 111.

Illustres:
Francisc. Antonius **L. B. de Taenzl** de Tratzberg, Oberbechingensis Neo-Palatinus.
Carolus Jos. Casparus Maximil. **Comes de Berchem** a Traubling, Piesing, Haiming, Seybersdorf &c., Burghusianus Boj.
Francisc. Xav. Hieronymus Maria **Comes de et in Freyenseiboldsdorf** Dominus in Aichbach et Deitenkofen, Landishutanus Boj.

Novi Proff.
Joann. Nepom. **Mederer;** Historiae patriae, Diplomaticae ac Numismaticae Prof. p. o.
Joannes Michael **Sailer,** Aresinganus Boj.; Theologiae dogmat. Prof. secundarius p. o.

Ao.
1780. *Fr. Xaverius* **Moshammer**, Burghusianus Bojus; Oeconomiae et Scientiarum Cameralium Prof. p. extraordinarius.

Novi DD^{r}	20 Oct.	Pl. rev. Jo. Jac. *Danzer,* Consil. eccles. Salisburg.	*Jurium*
	—	Pl. rev. Francisc. *Mainone,* Canon. Augustanus ad S. Mauritium, Philos. Dr.	
	7 Maji	*Jo. Simon Miedl,* Redwizensis, designatus Medicus for. et Physicus in Weiden	*Medic.*
	11 Aug.	*Fr. Xav. Schlager,* Brunoviensis Bav.	
	—	*Steph. Holzer,* Wunderstorfiensis Bojus	
	—	*Petrus Seiler,* Westerheimensis Bav.	
	—	*Philipp. Knabel,* Ingolstadiensis Bojus	
	—	*Fr. Xav. Buglioni,* Tergestinns Italus	
	—	*Josephus Schuhbaur,* Monacensis	
	m. Aug.	*Jo. Bapt. Weber,* Landsbergensis Boj., Sacerdos, designatus in Lyceo Landsberg. Professor	*Philos.*
	—	*Jos. Hallmayr,* S. Theol. et Jur. utr. Candid. Sacerd., ducalis Collegii Georgiani Subregens	
	—	*Georg. Faltermair,* Steinkirchensis Boj.	
	—	*Carol. Ignat. de Heid,* Scaffenburg. Moguntinus	
	—	*Aloysius Herr*	Ingolstadienses
	—	*Jo. Ant. Carl*	
	—	*Franciscus Albert,* Monacensis	
	—	*Joannes Sigmund,* Pillenhofiensis Palatinus	
	—	*Benno Haller,* Donauwörthanus Bojus	

Inscripti sunt h. a. etiam nonnulli, qui postea hujatis Academiae Professores publici inclaruerunt, *Josephus de Sasso* Burghusianus, Jurium Studiosus; *Jo. Georgius Schneller* Frauenhofiensis,

Ao. 1780.

et *Antonius Drexel* Lengriessensis Boj., Theologiae Candidati. Alius alia de causa memorabilis scil. *Simon Miedel* Redwizensis Franco Augustanae Confessionis, quippe qui Protestantium primus fuit, qui in hac alma catholica Universitate Doctor Medicinae promotus est.

Joannes Nepom. Godofredus Krenner et *Franc. Xaverius Semer*, Jurium Candidati ob eximiam suam et eruditionem et industriam per decretum Electorale de die 20 Martii a Serenissimo gratiam exspectativam retulerunt, fore ut in Academia sive Heidelbergensi sive Ingolstadiensi ad Cathedram juris extraordinariam admitterentur, cum prius in summo Judicio Wetzlariensi Jurium imperialium praxin aliquamdiu exercuissent. Quem in finem clementissimo uterque trecentorum florenorum stipendio donatus est.

Sexto Julii obtentum est decretum Serenissimi datum 19 Junii h. a., quo Candidati Officiorum publicorum ad *examen praevium* (quod vocant „Probrelation“) non admittuntur et ab ipsis officiis excluduntur, nisi in Academia aut Ingolstadiensi aut Heidelbergensi jura absolverint. Aufertur simul Domino *Casparo* Jurium Licentiato et Consilii aulici Advocato Monacensi privilegium instituendi repetitionis nomine discipulos, quod hucusque exercebat ita, ut institutio ista privata publicae in Universitate aequipolleret.

Ex celsissimo rescripto Electorali dd. 17 Julii Senatus academicus jussus est novam et accuratam omnium, qui aliquo in hac Universitate munere aut officio fungebantur specificationem adornare et in posterum quovis elapso trimestri cunctas, quae interea quoad statum personalem evenerint commutationes notificatas transmittere, ut in Calendario aulico justo tempore plane et exacte inseri possint.

Plurimum reverendus *Jo. Nep.* **Mederer**, Scientiarum Academiae Monacensis socius, jam triennio ante Seminarii Studiosorum academici Inspector constitutus, nunc 3 Augusti secunda vice Consiliarius ecclesiasticus et Professor p. o. sed is in philosophica Facultate designatus est. Itaque ad principium solemne prolusionem typis postea impressam *„De veteri Aureato“* peroravit, qua ad collegia sua nova Historiae patriae, Diplomaticae ac Numismaticae invitavit.

Ao. 1780. Sub finem Augusti clarissimus ac doctissimus, quem saepius supra laudavimus, *Hermannus* **Scholliner** publico docendi munere se abdicavit et in monasterium suum ad sacrum quasi otium imo vero ad quietiorem laborum palaestram secessit, ibique cum maximo omnium moerore occidit 16 Julii 1795, aetatis anno septuagesimo tertio. Vir erat praeclari ingenii, mirae eruditionis et felicissimae memoriae, linguarum non minus Gallicae et Italicae quam latinae, graecae et hebraicae gnarus, Historiarum inprimis et rei diplomaticae literate peritus, quippe qui usque ad extremum vitae suae doctissimo cum summis intra et extra Germaniam Viris commercio usus est, ac locupletissimum, quem suis sibi comparaverat sumtibus, librorum, nummorum et tabularum geographicarum thesaurum reliquit. Quam multis et egregiis idem etiam post suum a nobis discessum literarium orbem illustraverit lucubrationibus pro Annalium brevitate describere nequivi. Sufficiat eas duntaxat commemorare, quas seorsim publici juris fecit, quales sunt: *Indiculus Conciliorum ab anno* 716 *ad annum* 1770 *in Bojoaria celebratorum,* Ingolst. 1783; *Dissertatio genealogica sistens Weissenhoënis O. S. B. et aliorum plurium coenobiorum fundatores* &c., cum figg. aeneis, Norimberg. 1784. 4; *Stemmatographia Gebehardi hoc nomine I Episcopi Ratisbonensis, Comitibus ab Hohenwart perperam hactenus adscripti,* Monach. 1785. 4; *Berichtigte Reihe der herzoglichen Linie in Niederbayern von* 1255—1340, cum tribus tabulis genealogicis, Aug. Vind. 1786; *Observationes ad quaedam Henricorum II. III. IV. German. Regum et Imperatorum,* aliaque diplomata, cum figuris, Ingolst. 1790. 4; *Monimenta Niederaltacensia,* quae leguntur in Monumentis Bojicis T. XI; alia. Eorum autem, quae ad historiam Germanicam, praesertim Bavaricam spectant, pars maxima continetur in Operibus collectaneis: *Abhandlungen der kurbayerischen Akademie der Wissenschaften,* et: *Neue historische Abhandlungen* &c.

Schollinero successit plurimum reverendus *Joannes Michael* **Sailer.** Is Aresinganus Bojus, 17 Novembris 1751 parentibus eximia probitate conspicuis natus, adolescens undeviginti annorum Landisbergae Novitius in Societatem Jesu receptus est, qua sublata (1773) literarum studiis philosophicis ac theologicis incubuit Ingolstadii, ibique mira ingenii facilitate et indefessa diligentia

Ao. 1780.

morumque non minus suavitate quam sinceritate tantam sibi peperit commendationem, ut susceptis anno 1775 sacris Ordinibus statim publicus tam Philosophiae quam S. Theologiae Repetitor adhibitus, nunc die 26 Septembris Professor Dogmatices secundo loco (primam scilicet ejusdem sacrae disciplinae cathedram obtinente *Stattlero*) clementissime designaretur. Idem autem scriptis quoque jam opusculis inclaruit, cujus generis sunt: *Benedicti Stattleri Demonstratio evangelica in compendium redacta,* Monach. 1777. 8; *Quantum humana ratio conferat ad sensum Scripturae figendum,* Ingolst. 1777. 8; *Theologiae christianae cum Philosophia nexus,* Aug. Vind. 1779. 8; *Fragmente zur Reformationsgeschichte der Theologie,* Ulm. 1779. 8; ut alia et in his complures sacras orationes taceam.

Alterum sub eodem die adlatum nobis est decretum, ut retractata pristina studiorum ordinatione menstruae disputationes ex antiquo usitatae novissimo vero tempore intermissae in Facultate tam theologica quam philosophica denuo instituantur.

Eodem denique die per clementissimum rescriptum Electorale praenobilis ac doctissimus *Henricus Palmatius* **Leveling** Philos. et Med. D.r, Principis Episcopi Frisingensis Consiliarius intimus et Archiatrus, Caesareae Academiae Physicorum, Scientiarum Academiae Monacensis, Societatis oeconomicae Burghusianae socius; Medic. Institutionum, Anatomiae, Chirurgiae et Historiae medico-literariae Professor p. o. ob insignia ejus merita Consiliarius aulicus actualis nominatus est.

Loco *Joannis Christophori Ignatii Raven,* Jurium Licentiati et SS. Theologiae Baccalaurei plurimum reverendus ac doctissimus *Josephus Coelestinus* **Haltmayr,** Philos. et utriusque Juris D.r, qui jam ex superioribus annis Collegii Georgiani Subregens haud parum sibi commendationis peperit, nunc ejusdem Seminarii Clericorum Regens et Serenissimi Electoris a Consiliis ecclesiasticis designatur.

Vigesimo octavo Novembris communicatum est decretum clementissimum, quo praenobilis *Francisc. Xav.* **Moshammer** constitutus est Professor jurium extraordinarius. Simul praecipitur, ut denominentur ex Repetitoribus, quinam prae ceteris ad Professuram apti videantur. Deliberatum, quid ab Academia respon-

Ao. 1780. dendum, et conclusum est, contra Professores ejusmodi extraordinarios Universitatem debere humiliter protestari. Praeterea Facultas juridica distinctis literis id egit, ut D. Moshammer non suae sed philosophicae Facultati insereretur.

Professorum nostrorum industria hoc anno sequentes in lucem prodierunt libri et commentationes

in Facult. *theol.* auctoribus

Leopoldo **Leeb:** Jus canonicum in tres libros divisum, opus nunc tomo III edito absolutum; item *Kurzgefasste Schutzschrift für die Moral des Prof. Leeb,* Ingolst. 8. — Praelectiones theolog. pract. hucusque per biennium explicatae, in usum autem DD. Academicorum meliorem et commodiorem typis publ. II Partibus evulgatae, Monach. 8.

Benedicto **Stattlero:** Diss. De valore sensus communis naturae tanquam criterio veritatis, Monach. et Eichstad. 8; Refutatio amica reflexionum in literas retractatorias Justini Febronii, Eichst. 8.

in Facult. *medic.*

Palm. **Leveling:** Observationes anatomicae rariores de valvula Eustachii et foramine ovali, Inglst. 4.

in Facul. *philos.*

Jo. Nep. **Mederer:** Beiträge zur Geschichte von Bayern, Fasc. IV: Die Agilolfinger. Ratisb. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXI.

Ao. 1781. Rector DXXXI: **Benedictus** STATTLER S. Theol. et Philos. D^r^, Serenissimi Electoris Bavarici et celsissimi Principis Episcopi Eichstettensis a Consiliis ecclesiasticis actualibus; Theologiae dogmaticae Professor. p. o.

Ao. 1781.

Inscripti Illustres: 133.

Ferdinandus Aloysius Xaverius **Comes de et in Freyen-Seiboltstorf** et Hoergertshausen; Landishutanus Boj.

Anton. Nicodemus Aloysius **L. B. de Griessenbeck** a Griessenbach et Hanreith, Griessbacensis Bojus.

Jo. Nepom. **L. B. de Prielmayer** a Priel, Ach et Hienheim, Landishutanus Boj.

Novi Proff.

P. Wolfgangus **Froehlich**, O. S. B. ad S. Emmeramum Ratisbonae; Theologiae dogmat. Prof. p. o.

P. Aemilianus **Reiff**, O. S. B. Benedictoburanus; Theologiae moralis et pastoralis Prof. p. o.

P. Sebastianus **Seemiller**, Canonicus regul. Pollinganus; SS. Scripturarum et Linguarum orientalium Prof. p. o. et Bibliothecarius Universitatis.

P. Stephanus **Wiest**, O. Cisterc. in monasterio Aldersbacensi; Dogmaticae, Patrologiae et Historiae theologico-literariae Prof. p. o.

Antonius **Will**, Argentoratensis; Artis veterinariae, operationum anatomicarum et Therapiae Prof. p. o.

P. Gregorius Leonardus **Reiner**, O. Praemonstratensium Canonicus Steingadiensis; Philosophiae Prof. p. o.

P. Vicelinus **Schloegl**, Canonicus regul. Pollinganus; iterum sed Physices nunc et practicae Philosophiae Prof. p. o.

P. Gaudentius **Staudinger**, Canonicus regul. Rohrensis; Oratoriae sacrae Prof. p. o. et Gymnasio academico Praefectus.

P. Coelestinus **Steiglehner**, Canon. regul. ad S. Emmeramum Ratisbonensis; Matheseos, Physices experimentalis et Astronomiae Prof. p. o.

Ao.
1781. *Jo. Nep. Godofredus* **Krenner**, Monacensis Boj.; Jurium Prof. extraordinarius.
Georg. Xaverius **Semer**, Pruggensis Palatinus; Jurium Prof. extraordinarius.
Jos. **Fleischmann**, Solisbacensis Palatinus; Medicinae Prof. extraordinarius.

Novi DD.ri	5 Nov.	Plur. Rev. D. *Vicelinus Schlögl*	supra memorati Profess.	*Theol.*
	—	Pl. rev. D. *Seb. Seemiller*		
	—	Praenob. D. *Casim. Häffelin*, Elect. Consil. intimus		
	1 Jun.	*Petrus Engelhardt,* Monacensis		*Medic.*
	22 Aug.	*Jos. Maurit. Fleischmann,* Solisbacensis Palat. Prof. extraord. designatus		
	—	*Antonius Wihl,* Ambergensis Palatinus		
	—	*Carolus Engerer,* Schillingsfürstensis		
	—	*Aloysius Zollner,* Ratisbonensis		
	—	*Michaël Kalchgruber,* Fürstenzellensis		
	8 Aug.	*Jos. Carolus de Sasso*, Burghusianus Bojus	Sacerdotes	*Philos.*
	—	*Matth. Schmid,* Seensis Bojus		
	—	*Jos. Aloysius Adam,* Hippoltsteinensis Palatinus		
	—	*Dionys. Joseph. Lercher*, Erdinganus Bojus		
	—	*Jacobus Henricus Debattis,* Ambergensis Palatinus		
	—	*Conrad. Schleiss de Löwenfeld*, Solisbacensis Palatin.		
	—	*Francisc. Antonius Backhaus,* Landishutanus Boj.		
	—	*Joannes Nepom. Mendl,* Ingolstadiensis		
	—	*Jo. Evang. Gahr*, Ingerndorfiensis Bojus		
	—	*Rich. Ant. Wolfram,* Monacensis		

Ao. 1781.

17 Nov. *Anton. Trauner,* Canonicus ad S. Zenonem
— *Julius de Oberndorf,* Canonicus Indersdorf.
— *Dietram. Mauser,* Canonicus Dietramszellensis

} huj. Gymn. Proff. } *Philos.*

Ex eorum numero, qui Universitati nostrae hoc anno nomen dederunt, ad supra laudatos praecipue commemorandi accedunt: *Clemens Wenceslaus* et *Emmanuel Maximilianus,* fratres S. R. I. *Equites ac Nobiles de Branca,* Monacenses Boji; *Joannes Nepom. Gris,* Geblkofiensis Boj., S. R. I. Principis et Episcopi Ratisbonensis Consistorii et Consilii aulici Advocatus; *Francisc. Xav. Krüll,* Kelhemiensis Bojus, celeberrimus postmodo in Universitate Landishutana Jurium Professor; *Guilielmus Lorsbach,* Wetzlariensis, Serenissimi Principis de Hohenlohe-Schillingsfürst Consiliarius justitiae, primus Augustanae Confessionis, qui ad Doctoratum Jurium apud nos promotus est.

Controversia jam sub finem superioris anni in amplissimo Senatu academico discussa atque inde ad Serenissimum delata, num *Fr. Xaverius* **Moshammer,** Juris utriusque Licentiatus, Scientiarum cameralium Professor extraordinarius in juridicam Facultatem an in philosophicam recipiendus sit (ejus enim rei in rescripto designationis non expressa mentio facta fuerat), literis a summa Curatela die 5 Januarii demissis eo primum ad mandatum Serenissimi dijudicatur, ut in philosophica Facultate habere locum suoque muneri sacramento debeat obligari. Idem vero 17 Augusti hujus anni e philosophica in juridicam Facultatem translatus et praeter supra memoratas disciplinas etiam Jus cambiale docere jussus est.

Theologica Facultas aegre ferens, Facultatem philosophicam in decernendis suis gradibus academicis interdum nimiam et tanquam prodigam fuisse, Candidatos suos nonnunquam supremis in Theologia honoribus insignivit, priusquam gradum philosophicum receperunt. Cum igitur philosophica Facultas ea de re conquereretur, 5 Januarii clementissime rescriptum est, ut Magisterium philosophicum non in contemtum hujus dignitatis levi opera sed

Ao. 1781. praevio examine rigoroso iis tantum, qui vere eminuerint aut his proxime accedant, concedatur, neve quisquam ad Baccalaureatum theologicum admittatur, nisi philosophicum prius magisterium rite capessierit.

Secundum demississimam sacrosanctae Facultatis propositionem ab Electore clementissime approbatam Calendis Februarii emissum est decretum, vi cujus doctrina SS. Theologiae in quadriennium ita extenditur, ut Dogmatica demum tribus, moralis autem Theologia, doctrina Exegeseos, Historiae ecclesiasticae et Juris canonici binis annis absolvantur, Patristica denique cum Dogmatica, Homiletica autem et Catechetica ac Liturgia junctim cum Morali disciplina in posterum tradantur. Serenissimum collato prius cum reverendissimis Ordinariis consilio esse curaturum, ut examina Ordinandorum juxta supradictum ordinem institui, et ipsos sacros Ordines si fieri possit tempore potissimum feriarum placeat conferri. Ad gradus autem theologicos nonnisi Candidatos rite et rigorose examinatos et quoad morum integritatem honestatemque clericalem ab Ordinariis approbatos esse promovendos.

Etiam in Facultate juridica celsissimum mandatum jam prius editum severius d. 17 Augusti repetitur et inculcatur, ne quis in futurum ad gradus academicos admittatur, nisi tribus rigorosis examinibus absolutis publicam disputationem sustinuerit et materiam exquisitam rite exposuerit. Sperare Serenissimum, non ita facile futurum, ut sola juridica Facultas id sibi praesumat futilibus detrectare excusationibus, quod ad exemplum aliarum Universitatum introductum et a caeteris etiam nostrae Academiae Facultatibus nullo modo recusatum est.

Sub finem mensis Augusti e prelo prodiit P. I. *Annalium Academiae Ingolstadiensis*, atque P. IV. seu Codex diplomatorius auctore nostro Historiarum Professore *Jo. Nepomuceno* **Mederer.**

Mense Septembri magna et insperata in hac alma Universitate Professorum clericalium permutatio facta est. Ut enim necessariae ad erigendam novam quam dicunt Linguam equestris Ordinis Melitensium s. Joannitarum (Bavaricam scilicet) pecuniae suppeditarent, bona Societatis Jesu saecularisata, quorum pars magna sustentandis publicis scholarum Magistris nuperrime inserviebat, scholis subducere placuit et huic novo Instituto impendere.

Ao.
Itaque omnes omnium Scholarum Professores clerici tum seculares 1781.
tum S. Jesu Societatis antehac Presbyteri partim cum annua pensione ducentorum quadraginta florenorum dimissi partim ad beneficia ecclesiastica nominati atque non solum academicae tam Philosophiae quam Theologiae disciplinae sed etiam ceterae literarum humaniorum aeque ac inferiorum Scholae solis Monasteriis principalibus ex Congregatione Ordinis S. Benedicti demandatae sunt.

Hinc clarissimus *P. Benedictus* **Stattler** S. J. Presbyter Academia nostra relicta parochiam urbis Kemnath in Palatinatu superiori suscepit, sed paucis post annis Monachium se contulit ibique totus literarum studiis et amicis suis deditus vitam transegit, donec apoplexia tactus diem obiit 21 Augusti 1797. Omnem rem suam eamque non tenuem, exceptis nonnullis in servos domesticos per testamentum legatis, scholis publicis atque Pauperibus distribuendam curavit. Literariorum autem quae ad posteros transmisit operum praestantissima (omissis tamen iis, quae supra suo loco annotavimus) haec sunt: *Philosophia methodo scientiis propria explanata* Partt. VIII (Logica, Ontologia, Cosmologia, Psychologia, Theologia naturalis, Physica generalis et particularis), Oeniponti et Aug. Vind. 1770—72. 8; *Demonstratio evangelica sive Religionis a Chr. J. revelatae certitudo* &c. ibid. 1770. 8; *Demonstratio catholica s. Religionis Ecclesiae catholicae certitudo,* ib. 1774. 8. (cui libro, quum Sedi apostolicae minus esset probatus et in indicem librorum prohibitorum rejectus, refutatio quaedam submissa est s. t. *Authentische Actenstücke wegen dem zu Rom betriebenen Verdammungs-Urtheil u. s. w.* Francf. et Lips. 1796. 8); *Allgemeine katholisch-christliche Sittenlehre, für die obersten Schulen der kurpfalzbayer. Lyceen,* jussu Serenissimi Electoris, Ti. II. Monach. 1791. 8 (quod opus etiam in duplicem epitomen redegit auctor, quarum altera tribus superioribus Gymnasii classibus, altera inferioribus est accommodata); *Allgemeine kath.-christl. Religionslehre* &c.) item celsiss. jussu Elect., II Ti. Monach. 1793. 8. Praeterea complures elucubravit dissertationes et libellos tam apologeticos et refutatorios quam polemicos, quibus suam in rebus theologicis argumentandi rationem defendit et oppositam sibi Kantianam philosophiam impugnat. Quae scripta si lubet inspicere, ordine chronologico lecturis exhibentur in *Clem. Aloysii Baaderi*

Ao. 1781.

Lexicon verstorbener bayerischer Schriftsteller T. II. P. II. p. 179 sqq. Multos enim in vita quidem habuit et fortasse immodicos vituperatores aeque ac laudatores, post mortem vero neminem noveris adversarium, quin eundem Philosophum eximium, Theologum profundum et infinitae lectionis, Oratorem eloquentissimum, Virum denique pietate et integritate vitae venerabilem ultro laudaret. — In vacuam per abitum Stattleri Parochiam Mauritianam quoad temporalia Universitati incorporatam successit plurimum reverendus *Paulus Paur* Hirschaviensis e Palatinatu superiori, qui tamen 1787 libere resignavit, posteaque Curio Burghusii 4 Febr. 1804 obiit. Officium autem *Procancellarii,* quo idem ille fungebatur, plurimum reverendus S. Theologiae Professor *Maximil.* **Wibmerus** suscepit.

Ita etiam, qui superiori anno secundariam S. Theologiae dogmaticae cathedram susceperat, plurimum reverendus *P. Jo. Michaël* **Sailer** nunc annua cum pensione 240 florenorum dimissus est. Ex quo tempore privatam in literario secessu vitam degebat, donec quinquennio post a serenissimo Principe et Episcopo Augustano in almam quae Dilingae tunc floruit Universitatem publicus iterum Theologiae moralis ac pastoralis Professor clementissime arcessitus, ibique studiis pseudo-mysticis adversum ire prosperrimo cum successu conatus est.

Ex eadem causa cathedra sua cedere jussus est religiosissimus *P. Joannes* **Helfenzrieder** S. J., Philos. et Theol. D^r^, Academiae Monacensis Socius et Electoralis Consiliarius ecclesiasticus actualis, qui jam anno 1770 ab Academia Dilingana, ubi per annos quinque disciplinas mathematicas docuerat, huc translatus et *Caesario Ammano* valetudine affecto successor datus est, et multis cum a nobis suo loco recensitis tum a Scientiarum Academia Monacensi (1775. 1779), Erfordiana (1780), Danica (1781) evulgatis, verum etiam post suum a nobis discessum variis Ephemeridibus insertis lucubrationibus inclaruit. Reliquum autem vitae tempus vir praestantissimus invitatus ab Abbate *Theobaldo* in monasterio Raitenhaslacensi assiduis literariis laboribus occupatus peregit usque ad mensem Martium 1803, quo septuaginta novem annis natus pientissime in Domino obdormivit et eo ipso quidem die, quo illud Cisterciensium monasterium suppressum est. E multis ab eo

Ao. 1781.

post suum ab Universitate discessum exaratis Commentationibus, ut omittam quas variis Ephemeridibus inseruit, eas tantum sufficiat recensere, quae seorsim in lucem prodierunt; nempe: *Beiträge zur bürgerlichen Baukunst* &c. August. Vind. 1787; *Trocknungs-Scheune,* ib. ao. eod.; *Feuerschutz oder Mittel, die Häuser wider Feuersgefahr zu schützen,* ib. 1788; *Vollständiger und ausführlicher Unterricht, gute Sonnen-Uhren auf horizontale und verticale Flächen zu machen,* ib. 1790; *Vom Gebrauch der Erde, des Sandes, der Asche zur Löschung der Feuersbrünste* &c., ib. 1794; *Von den Fehlern der gewöhnlichen Maschinen, und wie sie zu verhüten seyen,* ib. 1795. 8.

Eandem cum his Exjesuitis fortunam experti sunt SS. Theol. et Philos. Doctores, Electorales Consiliarii ecclesiastici *P. Jo. Nepomucenus* **Mederer,** Scientiarum Academiae Monacensis socius, qui iterum cum exigua pensione dimittitur; et *P. Mathias* **Gabler,** socius Literarum Academiae Jenensis, qui per undecim continuos annos Professor Philosophiae p. o. Universitatem nostram praelectionibus et scriptis commentationibus illustravit. Is autem jam mense Junio Wemdingam Rhaetorum abiit, nominatus ab amplissimo Senatu ejus loci Parochus.

Venerabilis quoque *P. Stephanus* **Wishofer,** Ordinis S. Augustini Presbyter et per annos septem apud nos Linguarum orientalium et Exegeseos meritissimus Professor abiit, in monasterium suum receptus. Sed et plurimum reverendi ac doctissimi Viri *Balthasarus* **Schleibinger,** *Fr. Xaverius* **Gebhard,** *Joannes Nepom.* **Fischer,** quippe cum essent saeculares clerici, cum pensione dimissi sunt; clarissimus autem *Leopoldus* **Leeb** Parochiam Altdorfiensem Dioeceseos Ratisbonensis suscepit, ubi quinquennio post mortuus est.

In vacuas igitur per abitum *Stattleri* et *Saileri* cathedras Dogmaticae successerunt: plurimum reverendus *P. Wolfgangus* **Froehlich,** S. Theol. D.[r] et Electoralis Consiliarius ecclesiasticus actualis, qui Sinchingae in Bavaria inferiori 27 Maji 1748 natus, adolescentulus sedecim annorum Regulam O. S. B. in monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonensi professus et aetate legitima Sacerdos ordinatus per integrum sexennium S. Theologiam dogmaticam Novitiis Fratribus cum summa Superiorum laude tradiderat

Ao. 1781. et compluribus etiam Scriptis adversus auctorem: *„Demonstrationis evangelicae“* &c. *(Benedictum* nempe *Stattlerum)* Ratisbonae ao. 1779 et sequente in lucem editis satis innotuerat; item doctissimus *P. Stephanus* **Wiest,** Ordinis Cisterciensium in Abbatia Aldersbacensi Presbyter, S. Theologiae D.r et Elect. Consiliarius ecclesiasticus act., qui Teisbachii in Bavaria inferiori 7 Martii 1748 natus, jam antequam huc evocatus est, disciplinas philosophicas et mathematicas in monasterio suo professus duas commentationes: *„Initia Philosophiae purioris cum positionibus mathematicis“* Ratisbonae 1776. 8, et *„Positiones theoretico-practicas ex Philosophia et Mathesi“* ibid. 1779. 8. typis ediderat.

In locum *Wishoferi* plurimum reverendus Philos. Magister et Theol. D.r *P. Sebastianus* **Seemiller,** Veldensis Boj. natus 17 Octobris 1752, per decretum Electorale Serenissimi Consiliarius eccl. act. et SS. Scripturarum ac Linguarum orientalium Professor p. o. idemque Universitatis Bibliothecarius designatus est. Is autem, jam antequam ad nos pervenit, non solum theologicas disciplinas in monasterio suo Pollingano aliquamdiu cum laude docuit, sed etiam scriptis ibidem libris inclaruit, nempe *Psalmo* CXIX *ex ipso hebraico fonte in latinam linguam translato* (Norimberg. 1779. 12.) et editis *Institutionibus ad interpretationem S. Scripturae* seu *Hermeneutica sacra,* adjecta commentatione *„De studio linguae hebraicae cum theologia conjungendae“* (Aug. Vind. 8).

Leopoldo *Leebio* subrogatus est religiosissimus *P. Aemilianus* **Reif,** natus 16 Maji 1741, O. S. B. Benedictoburanus, Theol. D.r nunc Serenissimi Electoris a Consiliis ecclesiasticis actualibus et Theologiae moralis ac pastoralis Professor p. o. Sic sacrosanctae quidem Facultati quam potuit optime consultum est.

In Facultate autem philosophica *Helfenzriederi* ac *Fischeri* partes unus excepit plurimum reverendus *P. Georgius Christophorus* **Steiglehner,** Phil. et Theol. D.r, Sündersbühlensis ad Norimbergam d. 17 Augusti 1738 Chirurgo parente natus et 4 Novembris 1759 indito sibi Coelestino nomine in principali O. S. B. monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonae solennia vota professus; qui postquam per quindecim integros annos ibidem cathedram suam mathematico-physicalem non solum facundissimis sermonibus sed etiam scriptis monimentis et in his potissimum pretiosissimo quod primus

Ao.
tunc coepit edere *Diario meteorologico* ornarat, mense Octobri 1781.
hujus anni Ingolstadium advocatus, Electoralis Consiliarius ecclesiasticus act. ac Matheseos, Physices experimentalis et Astronomiae Prof. p. o. clementissime designatus est.

Muneris autem, quo *Mathias Gabler* hucusque functus est, partes explevit doctissimus *P. Vicelinus* **Schloegl,** gratissimae nobis jam ex superioribus annis memoriae Aesthetices tunc et Eloquentiae sacrae Professor, nunc iterum sed Physices et Philosophiae practicae cathedram nactus.

Loco *Gebhardi* Oratoriam novissimo tempore docentis plurimum reverendus *P. Gaudentius* **Staudinger,** Canonicus regularis Rohrensis, Philos. et Theol. D^r^, Serenissimi Electoris Consiliarius ecclesiasticus actualis et Eloquentiae sacrae Prof. p. o. clementissime nominatur.

Schleibingero denique in cathedra philosophica successit *P. Gregorius Leonardus* **Reinerus** Murnaviensis Ordinis Praemonstratensium Canonicus regularis in monasterio Steingadiano, natus 6 Februarii 1756; qui, postquam transmissus in monasterium Pollinganum studiis philosophicis et mathematicis duce praesertim *Gerhoho Steigenbergero* solidissime erat imbutus, ad suos reversus tanquam Professor domesticus Novitios aliquamdiu in Philosophia instituit, usque dum Consiliarius Electoralis ecclesiasticus nominatus publicum in hac Universitate docendi munus suscepit.

Hac igitur ratione Facultas tam *philosophica* quam *theologica* novis omnino Professoribus instaurata est. Cum autem novi Philosophiae Professores Doctoratus gradu nondum insigniti essent, atque etiam in Theologia unus praenobilis *D^r^ Maximilianus* **Wibmer,** *novus Procancellarius,* superesset; Serenissimus eidem Domino Procancellario in mandatis dedit, ut Neo-Professoribus insignia doctoralia illico conferret. Quod et factum est in Stuba academica praesentibus reliquis Professoribus saecularibus.

In reliquis duabus medica scilicet atque juridica Facultatibus hoc anno Professorum numerus auctus est; et in medica quidem clarissimus *Antonius Josephus* **Will** Argentoratensis Alsatus, qui jam per annos undecim cum maxima dexteritate Prosectoris ministerium adimplevit et proxime elapso anno non solum philosophicum gradum sed summos etiam in Medicina et Chirurgia

Ao. 1781. honores cum nota eminenti obtinuit, 13 Octobris Electoralis Consiliarius aulicus atque Artis veterinariae, operationum anatomicarum et Chirurgiae Professor p. o. designatus est, ea tamen conditione, ut cum voto et sessione contentus in praesens nonnisi eam quam habuit hucusque ducentorum nempe florenorum quotannis pensionem acciperet. Idem quam petiit a Serenissimo veniam impetravit, artis veterinariae causa Lutetiam Parisiorum, Lugdunum aliaque ea de re celeberrima loca suis sumtibus visitandi; ad quem finem postero mense, acceptis a Senatu academico literis commendatitiis iter suum instituit.

In eadem saluberrima Facultate ad preces meritissimi nostri *Josephi Antonii Carl* clarissimus *Josephus* **Fleischmann,** qui non solum apud nos sed etiam in almis Universitatibus Vindobonensi et Argentoratensi studiis Philosophiae ac Medicinae eximiam navavit operam et doctorales in utraque arte laureas capessivit, eo ipso tempore, quo Carlii filiam in matrimonium ducturus erat, ex speciali Serenissimi Electoris decreto dd. 15 Septembris Medicinae Professor extraordinarius nominatus est.

In juridica vero Facultate praenobiles ac doctissimi Juris utriusque Doctores *Georgius Xaverius* **Semer** Pruggensis Palatinus, et *Joannes Nepom. Godofredus* **Krenner** Monacensis, ille quidem Historiae imperialis et Juris feudalis, hic autem Germanico-imperialis regnorumque Europaeorum Historiae nec non Codicis judiciarii imperialis Professores extraordinarii clementissime designati sunt.

Idem autem *Godofredus Krenner,* vix designatus Jurium extraordinarius Professor, non solum datis ad Magnificum D. Rectorem literis postulavit, ut locum sibi in Calendario aulico immediate post ordinarios juridicae facultatis Professores designaret, atque in publicis extra Consiliis, conventibus in aula et ecclesia academica praecedentiam et sessionem ante medicae ac philosophicae Facultatis Ordinarios concederet; sed etiam die 14 Novembris quo plurimum reverendus *P. Aemilianus Reiff* S. Theologiae moralis Professor p. o. principium suum solemne habuit, medicae Facultatis Ordinarios protinus praecurrens coram omnibus in Aula spectatoribus proximam juxta Ordinarios ex Jure sellam vi occupavit tenuitque, imo ad duas ei per Notarium insinuatas commo-

Ao. 1781.

nitiones Magnificentissimi cum atrocia respondit. Quo facto omnes fere praesertim medicae ac philosophicae Facultatis Professores ita sunt exacerbati, ut proximo statim mane contra hesternum attentatum communi suffragio unanimique consensu querelam, protestationem et remedii petitionem Scripto singulari dirigerent ad Rectorem Universitatis. Vocatis igitur in concilium Patribus per resolutionem Pleni concluditur, ut D. Professor extraordinarius *Godofredus Krenner* de insolentia sua et contumacia in Rectorem acerbius reprehendatur eique iterum atque iterum declaretur, ex perpetua usque tradita observantia nemini Extraordinario prae Ordinariis cujuscunque Facultatis ullam praecedentiam concedi, et si quis tale quidquam in posterum ausus fuerit, Ordinarios ad unum omnes e concione esse discessuros. Placuit praeterea rem totam ad Serenissimum referre, qui statim d. 14 Decembris conclusum a Pleno comprobavit.

Vigesimo primo Novembris pie in Domino obiit Excellentissimus hujus urbis Gubernator *D. D. Franciscus Seraphicus* **Comes de Larosée**, cujus solennissime biduo post peractae sepulturae Patres academici, utpote perhumane invitati interfuerunt.

Hoc anno etiam mortuus est celsissimus ac reverendissimus **Antonius S. R. I. Princeps et Episcopus Eichstettensis** almae nostrae Universitatis Cancellarius, cujus Exequiae in Ecclesia hujate academica solennissime coram magna et Professorum et Studiosorum frequentia celebratae sunt.

De statu literario Universitatis testimonium maxime idoneum nobis praebent editae hoc iterum anno lucubrationes. Scripserunt enim

in Fac. *juridica*

Fr. **Siardi**, Von dem Rechte der Todesstrafe und der peinlichen Frage, cum 4 tabb. aeneis, Ingolst. 8.

in Fac. *medica*

Palm. **Leveling**, De utero bicorni et vagina prope uterum non infracta, Ingolst. 4; De munditie in avertendis et sanandis morbis, ib. 8; Anatomische Erklärung der Originalfiguren des Andr. Vesall sammt einer Anwendung der Wieslow-

Ao. 1781. schen Zergliederungslehre, VII Libri c. figuris, ib. fol.

Lud. **Rousseau,** Abhandl. von den Salzen, Eichst. 8. in Fac. *philos.*

Jo. Nep. **Fischer,** Die Theorie des Schielens, Ingolst. 8; cujus libri ansam dederat commentatio quaedam Comitis de Buffon super eadem materia evulgata.

Math. **Gabler,** Theoria Magnetis, Ingolst. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXII.

Ao. 1782. Rector DXXXII: **Francisc. Seraph.** SIARDI, Juris utr. Dr, Consiliarius Elect. aulicus act.; Pandectarum, Juris feudalis et criminalis comm. Prof. p. o.

Inscripti 147.

Illustres:

Josephus et *Thaddaeus* **LL. BB. de Deuring** de Hohenthan et Stezling, Fridbergenses Boji.

Jo. Nepom. **L. B. de Hauser** de Wilsdorf, Morisburgensis Suevus.

Maximilianus **L. B. de Verger** a Moosdorf, Straubinganus Bojus.

Judas Thaddaeus **L. B. de Leoprechting** ab et in Irlbach, Trieching, Lohe et Menning, Irlbacensis Bojus.

Aloysius et *Francisc. de Paula* **LL. BB. de Asch** de Oberndorf, Hagn et Pürgl, Straubingani Boji.

Clemens Desiderius Ludovicus **L. B. de Burgau** a Griesbaeckerzell, Bojus.

Augustus Clemens **L. B. de Fraunhofen** in Alt- et Neu-Fraunhofen, Fraunhofensis Boj.

Ao.

Nov. Prof. *Philippus* **Fischer**, Hörgertshusanus Bav., Chirurgiae Prof. p. o. 1782.

Novi DD. 26 Aug. *Simon Sebastianus Seyfried,* Ingolstadiensis
— *Joannes Nepomuc. Scherer,* Ratisbonensis } *Medic.*
— *Fr. Xav. Morasch,* Neoburgensis Neopalatinus

9 Aug. *Fr. Xav. Seidl,* Sacerdos, Collegii Albertini Alumnus
— *Sebast. Schaening,* Ingolstadiensis
— *Josephus Haberl,* Donauwörthanus } Boji
— *Martinus Huber,* Mainburgensis
— *Ignat. Laurent. Stroeller,* Dioeces. Augustanae Sacerdos } *Philos.*

Inter Immatriculatos hujus anni leguntur etiam *Fr. Valentinus Jos. Guilielmus Epplen* de Hertenstein, Oberndorfensis Algojus, insignis Ecclesiae Collegiatae ad S. Maurum Augustanae Canonicus capitularis; *Jo. Michaël Rockh,* Dietfurtensis Bojus, Chirurgus major Legionis pedestris supremi Ducis Poloniae; *Dietramus Mauser,* Canonicus regularis Dietramszellanus, h. t. I Grammatices, postea SS. Theologiae in hujate Academia Professor; *Georgius Augustinus Bertele,* Ingolstadiensis, Rhetorices Studiosus, non multo post celeberrimus Ingolstadii et Landishuti Professor Medicinae; *Josephus* et *Fr. Xaverius Baader,* fratres Monacenses Boji, Medicinae Candidati, postmodo scientiarum Academiae Monacensis socii ibidemque clarissimi Universitatis Professores.

Decimo sexto Januarii duo Professores *Franciscus* **Spengel** ex juridica et *Cosmas Damianus* **Klosner** e medica Facultate a Patribus academicis deputati illustrissimo Domino *Comiti de Papenheim,* utpote novo urbis Gubernatori, nomine Universitatis gratulatum missi sunt.

Custodes Musei Orbaniani sub finem prioris anni a Patribus nominati fuerunt *Ludovicus Claud.* **Rousseau** Chemiae et Historiae naturalis, *Vicelinus* **Schloegel** Physicae et Oeconomiae, et

Ao.
1782. *Coelestinus* **Steiglehner** Physices experimentalis et Mathematicae Professor. His 27 Januarii scriptum quoddam thesaurorum inventarium concreditum est, cui si, ut oportet, fides adhibenda, Museum illud plurimis praesertim pretiosis rebus dudum fuisse videtur spoliatum; necdum enim amplius adsunt.

In Conciliis plenis his diebus celebratis saepius non sine magno animorum aestu agitabatur quaestio, qua ratione Serenissimus Elector a nobis esset rogandus, ut redditus ac fundos Universitatis clementissime augeret. Quum enim jam diu salaria Professorum saecularium sint aucta, atque insuper eorundem Professorum numerus multiplicatus, mirum non erat, Universitatem prope ad incitas esse redactam. Unde quaestio erat, quaenam Serenissimo remedia proponenda; annon Universitati magis conduceret, si (ut reliquae in Bavaria scholae) sub suprema Studiorum Curatela staret. Haec non sine fervore agitabantur. Dissensio autem erat inter saeculares potissimum Professores, quum Religiosi rerum Universitatis minus gnari tranquilla mente sederent. Dissensioni huic porro ansam dedit praecipuam Statutum quoddam a Senatu paucis ante Religiosorum adventum diebus conditum, quum integra Facultas philosophica deficeret, et quidam insuper Professores saeculares abessent. Statutum autem istud praeter alia id quoque decreverat, ut perpetui essent Commissarii ex corpore Universitatis selecti, qui ratiocinia illius soli semper inspicerent, et ut Religiosi posthac adventuri ab omni prorsus inspectione ratiociniorum, reddituum et expensarum remoti essent perpetuo. Aegre igitur quidam ferebant, directionem rei cameralis et notitiam administrationis semper penes eosdem et eos quidem paucissimos fore. Unde istius statuti valorem impugnabant alii, alii defendebant. Postremo re varie discussa et tandem etiam ad Serenissimum delata placuit, ut Universitas praeter illustres Aulae Ministros, Praesides hactenus consuetos deinceps quoque Curatelam superiorem agnosceret, inter Commissarios autem rei cameralis semper etiam Rector Magnificus locum teneret.

Quum sanctissimus **Papa** PIUS VI. Germaniae provincias, praesertim Vindobonam, praesentia sua aestumatissima bearet, et *Monachium* quoque venire in animo haberet, quaestio inter Patres academicos movebatur, quidni Commissarii Universitatis illuc essent

Ao.
a nobis mittendi; et cum decernerent, ut hac de re supremae 1782.
Curatelae voluntas exploraretur, paulo post in responsis accepimus, ut domi remaneremus. Ceterum adventus Papae Monachii incredibilem Studiosorum copiam atque etiam Professores non paucos illuc attraxit ita, ut per tredecim omnino dies feriae necessariae essent, ac non exigua studiis remora poneretur.

Erat antehac in hujate Academia Juris canonici Professor plurimum reverendus *D. Chph. Ublacker,* S. J. Presbyter, et postmodo Parochus in Geisenfeld. Hic plurimos secum libros e Collegio abstulerat, quos suos esse et ex propriis emtos ajebat. At Serenissimus Elector **Maximilianus Josephus** p. m. libros illos ad Collegium Albertinum atque adeo ad Bibliothecam academicam restitui volebat, et ex peculio privati Clerici coëmtos esse negabat. Lite diu ex utraque parte agitata tandem *Ublackerus* libros suos Serenissimo dono se dare dixit deditque. Vigesima tertia demum Aprilis a. c. libri ad Universitatem restituuntur, D. *Ubelackero* dudum defuncto.

Leonardo Heinleth SS. Theol. Doctore Romano die sexto Martii defuncto ad vacuam parochiam *Wemdinganam* ab Universitate, cui jus est nominandi, 8 Maji designatus est plurimum reverendus theol. Dr. et meritissimus per annos undecim Professor *Mathias Gabler.*

Ex decreto Electorali dd. 17 Maji clementissime praescribitur, ut cujuscunque Facultatis Candidati, qui peractis suis studiis ad gradum academicum promoveri velint, prius dissertationem aliquam de themate a Facultate sibi proposito exarare teneantur. Quae si intra terminum praefixum Decano tradita, a Professoribus deinceps recensita et si non unanimi consensu tamen per majora vota approbata fuerit, Candidatus demum ad examen admittatur. Simul strenue injungitur Decanis, ne in censura dissertationis aut in tentamine rigoroso nimis indulgentes agant.

Praenobilis ac clarissimus *Philippus* **Fischer**, Hörgertshusanus, qui quum Chirurgiae studiosus Ingolstadii primum, deinde Argentorati, Parisiis, Londini, Göttingae, Giessae arti suae operam navasset, anno 1777 in patriam redux elucubrata dissertatione medico-forensi: *„An deligatio funiculi umbilicalis in neonatis absolute necessaria sit“,* summis a saluberrima nostra Facultate

Ao. 1782. honoribus insignitus et paulo post Serenissimi Electoris Maximiliani Josephi III Archiïatrus clementissime fuerat designatus, die 27 Julii h. a. Chirurgiae Professor nominatus orationem quidem statim habuit academicam; sed quum hoc ipso tempore nulla ordinarii Professoris cathedra vacaret, salario deficiente munus suum actutum noluit capessere et proxime futuram vacationem Monachii exspectavit.

Decimo septimo Augusti ad vesperam Excellentissimi Domini illustrissimi Melitensis Ordinis Repraesentatores, *D. de Flachslanden*, et *Comes de Morawizky* unacum Consilii ecclesiastici Directore *D. de Eisenreich* ad Collegium Albertinum cum comitatu suo advenerunt, ut et bonorum olim ad Jesuitas pertinentium et ipsius Collegii corporalem caperent possessionem. Hic non alienum a re videtur esse, paucis ad primordia hujus fundationis respicere. Anno 1671 (vd. Annales P. II. p. 390) *Sebastianus Denichius* Episcopus Almirensis Suffraganeus Ratisbonensis Collegium Societatis Jesu Ingolstadiensis testamento haeredem instituit ea lege, ut ex relictis bonis suis juvenes Theologiae et Philosophiae Studiosi ejusdem Societatis in Collegio praedicto alerentur. Extincta autem per breve *Clementis* XIV Societate Serenissimus Elector *Maximilianus Josephus p. m.* sensum fundationis cum cognitione causae correxit temporique adaptavit, variosque non modo Theologiae ac Philosophiae verum etiam Jurium ac Medicinae Candidatos ex fundatione Denichiana alere et in Collegio illo sustentare decrevit. Numerus Alumnorum indeterminatus erat; quinquaginta imo etiam ultra sexaginta quandoque numerabantur. Nunc ergo rebus Jesuitarum ad illustrem Ordinem Melitensem translatis illustrissimus *Comes de Morawizky*, qui non modo illius Ordinis in hac causa Repraesentator sed etiam supremae studiorum Curatelae socius erat, id effecit, ut Ordo Melitensis universum fundum Denichianum, ad 125,713 florenos aestimatum, in se quidem susciperet, ea tamen lege, ut censum annuum 3 pro centum solveret, eoque soluto censu Studiosos aleret; itaque centum viginti floreni in singulos Alumnos quotannis decreti sunt ita, ut duodecim Theologiae Candidati in Collegio Georgiano, duodecim item Candidati Jurium et quatuor Medicinae Studiosi in ipsa civitate degerent. Ne vero his quidlibet audendi licentia pateret, Ephorus

Ao. 1782.

constituebatur, cujus esset, moribus Stipendiatorum invigilare, et alius quidam, qui aerarii curam haberet, Studiosisque stipendia solveret. Erant autem hactenus in Collegio Albertino et alii Alumni, quos Quirinianos a fundatore Quirino Leonino appellant, septem numero. Hi in Seminarium S. Francisci Xaverii translocati sunt. Haec igitur erat his diebus permutatio Alumnatus in Collegio Albertino.

Anno elapso *Professores Religiosi* in Collegio *Albertino* habitabant, cubicula, ligna, lumina, victum potumque, cetera, quibus opus habebant, pretio compararunt. Hoc autem tempore cubicula in Collegio *Georgiano* praeparata sunt iisdem singulis, excepto *Coelestino Steiglehner,* qui quum Speculae astronomicae vicinus esse deberet, in Albertino habitare pergebat.

Quarto Novembris in superiori Ecclesia parochiali et academica solenne decantatum est officium pro salute Serenissimi Electoris, cujus hoc die dies onomasticus celebratus est. Solennitati interfuere Patres academici omnes. Id autem genus solennitatis anno elapso eodem die quarto Nov. instauratum est, cum Professores annis prioribus ad officium solenne in templo S. Mauritii decantatum invitarentur et interessent. 'Ast anno proxime elapso placuit Patribus speciale officium solenne in Ecclesia academica in prosperitatem Serenissimi nomine Universitatis celebrare.

Sub finem hujus anni Serenissimus Dux Elector duos almae Universitati nostrae summi Praesides praefecit, qui per aliquot viros specialiter a se deputatos rem omnem scholasticam administrandam curarent. Et Praesides quidem designati sunt Serenissimi Electoris intimi Conferentiarum Ministri illustrissimus D. *Josephus Fr. Maria S. R. I. Comes ab Seinsheim*, Ordinis equestris S. Georgii Cancellarius major summique S. Huberti domestici Ordinis Eques, et excellentissimus D. *Aloysius Wigulaeus L. B. de Kreittmayr*. Curatores autem deputati sunt Electorales Consiliarii intimi DD. *Jo. Theodorus Henricus Comes Tapor-Morawizky,* Ordinis equestris Melitensium Magister et equestris Ordinis S. Georgii Capitularis; *Casimirus Haeffelin,* S. R. Pontificis Praelatus infulatus, Ordinisque equestris Melitensium Magister; et *Carolus Albertus S. R. I. Eques de Vachiery,* Collegii Consiliariorum aulicorum Vice-Director.

Ao.
1782. Quae hoc anno in publicum prodierunt Professorum nostrorum opuscula literaria, haec sunt praestantiora:

in Fac. *jurid.* scrips.

Jo. Nep. Godofr. **Krenner:** Ueber das rechtliche Studium der deutschen Staatsgeschichte, Eichstad. 8.

Fr. Xav. **Moshammer:** Gedanken und Vorschläge über die neuesten Anstalten deutscher Fürsten, die Kameralwissenschaften auf hohen Schulen in Flor zu bringen, Ratisb. 8.

in Fac. *medica*

Ludov. Claud. **Rousseau:** Anfangsgründe der Chemie, Eichst. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXIII.

Ao.
1783. Rector DXXXIII: **Franciscus Antonius** STEBLER, Serenissimi Electoris Bav. Consiliarius actualis et Archiater, Medicinae forensis Prof. p. o.

Inscripti 134.

Illustres:

Adamus Josephus et *Carolus Ludovicus* **LL. BB. de Bartels,** Ambergenses Palatini.

Josephus et *Carolus* et *Fridericus S. R. I.* **Comites de Preysing,** Monacenses Boji.

Maximilianus Josephus **Comes de Holnstein** in Bavaria, Ambergensis Palatinus.

Joannes Nepom. **L. B. de Pelkhofen** a Wildthurm, Plaimbach et Teusing, Straubinganus Bojus.

Fr. Xaverius **L. B. de Ruffin** a Weyern & Planegg, Monacensis.

Maximil. Josephus **L. B. de Perfall** a Greiffenberg, Monacensis, Succenturio (quem Galli dicunt Lieutenant) Legionis peditum duce Carolo Principe Bipontino.

Ao.

Maximil. Antonius **L. B. de Leyden** ab Affing, Ellvacensis Suevus. 1783.

Novi Proff.

Francisc. Xaverius **Moshammer,** Scientiarum cameralium et Juris cambialis Professor p. o.

Jo. Nepom. Godofredus **Krenner,** Historiae imperialis et Statuum Europaeorum Profess. p. o.

Georgius Xaverius **Semer,** Juris publici et feudalis nec non Pandectarum Prof. p. o.

Novi DD.

24 Jan. *Jos. Sander,* Neoburgensis Neo-Palatinus, design. jam Medicus aulicus Principis Oettingensis in Wallerstein

— *Josephus Hasler,* Achdorfiensis Bojus

— *Josephus Steiner,* Waldsassiensis Palatinus

18 Mart. *Josephus Wiedmann,* Lauinganus Neo-Palatinus

5 Jul. *Jacobus Kriechbaumer,* Miesbacensis Bojus

— *Georgius Oeggl,* Fischensis Bojus

— *Josephus Saal,* Geiselhöringanus Bojus

Medic.

14 Aug. *Henricus Maria de Leveling,* Trevir, Medic. Stud.,

— *Joann. Bapt. Götz,* Seligenportensis Palatinus,

— *Jos. Utschneider,* Riedensis Boj., Juris utr. Licent.,

— *Anton. Seelmayr,* Egglkofensis Bojus,

— *Ignatius Spicker,* Neokirchensis Palatinus,

— *Josephus Kagerer,* Ingolstadiensis,

— *Henricus Josephus le Prieur,* Heidelbergensis Palatinus,

Philos.

Inter Inscriptos hoc anno commemorandi sunt etiam *Josephus Utschneider,* Riedensis Bojus, postea decoratus cruce civilibus

Ao.
1783. de Corona Bavarica meritis dicata, potentissimi Regis Maximiliani I a Consiliis intimis et ad Concilium publicum Ordinum provincialium Deputatus; et *Fr. Jos. Henricus Berard,* Argentoratensis, Jur. utriusque Licent., supremae Curiae regiae in Alsatia Advocatus, linguae Gallicae et Italicae in hac alma Universitate Magister.

Literis Serenissimi Electoris die 27 Januarii ad nos delatis praenobiles ac clarissimi DD. *Fr. Xav.* **Moshammer,** *Jo. Nep. Godofr.* **Krenner** et *Georgius Xav.* **Semer,** e superioribus annis jam egregie laudati, ob eximiam a Superioribus redditam commendationem Professores Jurium ordinarii pariterque Electorales Consiliarii aulici clementissime designantur.

Eodem 27 Januarii ad mandatum Electoris proprium de pecuniis honorariis in juridica Facultate iterum inducendis clementissime rescribitur: Serenissimo haud quidem displicere, Professoribus praeter annua salaria etiam Honoraria quaedam attamen aliquanto minora iis, quae percipere antea solebant, concedere. Cum autem tunc temporis maxima quae aegre ferebantur incommoda eo potissimum enata fuisse viderentur, quod Docentes plures eandem saepe docerent disciplinam, atque ita, cum alter alteri auditores subtraheret, non mediocres obtrectationes et inimicitiae excitarentur; nunc ubi de honorariis denuo introducendis agitur, necesse erit, legis instar decernere quae sequuntur: Ut scilicet quaenam in juridica Facultate tradendae sint disciplinae prius accurate describantur, et ex iis cuique Professorum una atque altera ceteris exclusis tanquam propria assignetur; ut ea deinde disciplina in perpetuum ab uno competente Professore publice doceatur, nec sibi quisquam alius eandem sive publice sive privatim sub poena amotionis tradere praesumat; horae denique praelectionum ita dispertiantur, ut quilibet Candidatus intra triennium omnia et singula cuique docenti assignata collegia possit absolvere. Verum haec celsissima resolutio tot tantaeque in exsecutione difficultates invenit, ut Professores ad unum omnes datis 20 Martii humilibus ad Electorem literis gratiam istam ultro deprecarentur, hoc ipsum consilium nescio quibus sed certe iis excusantes argumentis, quae a Serenissimo summa cum benevolentia excepta sunt.

Ao. 1783.

Primo Februarii in Consilio angariali conclusum est, scribendum esse ad Serenissimum, ut redditus ad Bibliothecam pertinentes separentur a redditibus Melitensium. Occasionem dedit denegatio census de summa capitali 1500 fl., quem Magistratus civicus persolvere recusavit, eo quod etiam Convictus persolvere recuset tributa civica. Decendio post communicatum est decretum Electorale ratione tributorum, a quibus immunes viduae Professorum. Clausula decreti habet, quod, si Magistratus civicus non cesset turbare membra Universitatis in suis juribus et antiquis privilegiis, Serenissimus se videat coactum, Universitatem transferre in aliam civitatem, quae ambabus manibus eam esset amplexatura.

Duodecimo Februarii advenit rescriptum reverendissimi Directorii, quo ea, quae typis edituri sunt Professores, loco Censurae Monacensis ad censuram Directorii et Curatelae avocantur. Responsum est, Facultates ipsas gaudere jure censurae, idque anno 1780 denuo a Serenissimo esse confirmatum; rescriptum igitur illud Gymnasiorum quidem ac Lyceorum Professores, non autem Academicos posse spectare. Requievit reverendissimum Directorium.

Decimo octavo Martii praenobilis *Jos. Wiedmann* Lavinganus Neo-Palatinus obtenta prius licentia per actum publicum solemnem Medicinae Doctor creatus est. De hoc actu solemni memoratu dignum est, quod excellentissimi et illustrissimi Comites Gubernator *de Pappenheim* et Vicegubernator *de Preysing* cum uxoribus et reliqua tunc temporis hic frequentissima nobilitate utriusque sexus hunc actum sua praesentia condecoraverint. Collato gradu doctorali Dominus Promotus gratiarum actionem Germanica lingua facere a Decano jussus argumentum tractavit de saltu immoderato sanitati summopere nocivo. Qua oratione finita amplissimus consessus fuit dimissus, sexu amabili Domino *Henrico Palmatio* **Levelingio** hujus anni Decano nonnihil ob argumentum istud rixas faciente.

Clarissimus *D. Frey,* Chirurgus Augustanus jam senex vigesimo Maji ad Facultatem medicam scripsit, petiitque, ut ad doctoratum admitteretur. His literis adjecit diploma Magisterii chirurgici, quod jam Vindobonae obtinuerat, aliaque addidit testi-

Ao.
1783. monia Argentoratensia et Viennensia, quibus nobis ostendere conatus est, quod etiam Medicinae se suo tempore applicaverit. Praeterea exhibuit nonnullas commendationes celebrium urbium, in quibus felicissimam praxin fecisse dicitur. Cum tamen omnia haec testimonia non fidem facerent de integro in aliqua Universitate frequentato cursu medico, Facultas saluberrima supradictum Dominum *Frey* ad examen pro obtinendo gradu doctorali non admisit.

Primo Julii Decano medicae Facultatis praesentatum fuit rescriptum intimae Electoralis Curatelae concernens petitum Facultatis, ut Medicinae Professores titulo Consiliariorum aulicorum actualium aeque ac juridici Professores essent honorandi. Cujus rescripti tenor hic est: „dass derselben (medicinischen Facultät) Gesuch von darum nicht stattfinden könne, weil eigentlich Niemand als Hofrath prävaliren kann, als der da bei einem Justiz-Dicasterio Sitz und Stimme nehmen könnte; sie Professores auch überhaupt in qualitate als kurfürstliche wirkliche Räthe mit denen juridischen Professoren ohnehin parificirt sind. München, den 21 Mai 1783.“ Subscriptus est *Comes de Seinsheim.* Si haec resolutio, quae unice a Curatela fuit emanata, petito Facultatis non absolute satisfaciat, Medicinae Professores id tamen inde lucrati sunt, ut Professores juridicae Facultatis nullam sibi praerogativam cum titulo Consiliarii aulici vindicare possint. Itaque senium Consiliarii actualis inter Collegas omnium Facultatum praerogativam conciliat, cum scilicet haec declaratio expressissimis verbis Professores Medicinae Juridicae Facultatis Professoribus dicit parificatos.

Verum etiam triste severioris disciplinae exemplum hoc anno editum invenio. Quatuor enim et ii cuncti Straubingani Boji (sed nescio cujus criminis causa) acerbius puniti in matriculis perhibentur, quorum unus Logices studiosus in biennium dimissus est, ceteri Medicinae Candidati ab hac alma Universitate in perpetuum relegati.

Quinto Novembris per vota prope unanimia in novum Rectorem Universitatis electus est plurimum reverendus clarissimus Mathematicae et Oeconomiae Professor Dominus *Vicelinus* **Schloegl;** votis fere omnibus adjecta erat ratio, quod sit Senior Facultatis, utpote jam ante annos novem ejusdem socius.

Ao. 1783.

Quarto decimo Decembris Convivium Rectorale celebratum est eo potissimum ex capite, quod hac ipsa die inceperit annus jubilaeus actualis Professurae praeclarissimi Domini *Fr. Anton.* **Stebler** Medicinae Professoris, quippe qui anno 1734 die 14 Decembris Principium solemne habuit, quamvis jam anno 1733 designatus fuerit Professor.

Singulares hoc anno Elucubrationes memoriae prodiderunt:

in Facult. *theolog.*

Wolfg. **Fröhlich,** Bedenken über die Toleranz, dissertatio e lingua Gallica translata, Ingolst. 8.

Sebast. **Seemiller,** SS. Jacobi et Judae Apostolorum Epistolae catholicae, ad Graeci textus fidem latine reddidit cum vulgata versione e regione posita exacte contulit et perpetuis adnotationibus illustravit; Norimberg. 8.

in Fac. *jurid.*

Jo. Nep. Godofr. **Krenner,** Kurze Uebersicht des dreissigjährigen deutschen Krieges, Ingolst. 8.

Fr. Xav. **Moshammer,** Sammlung der neuesten Instructionen für die pfalzbayr. Dicasterien, Ulm. 8.

in Fac. *philos.*

Coelest. **Steiglehner,** Atmosphaerae pressio varia observationibus horoscopicis propriis et alienis quaesita, Ingolst. 4. — Ueber die tägliche Abwechslung des Steigens und Fallens des Quecksilbers im Barometer, typis edita diss. in Ephemerid. Societ. meteorolog. Palatinae, Manhem. 4.

Vicel. **Schlögl,** Prima elementa analyseos infinitorum, Ingolst. 4.

Ao. 1784.

ANNO DOMINI MDCCLXXXIV.

Rector DXXXIV: **Vicelinus** SCHLOEGL, Canonicus regularis Polinganus, SS. Theol. et Philos. Dr, Elect. Bav. Consiliarius eccles. actualis, Philosophiae Prof. p. o.

Inscripti 169.

Illustres:

Josephus **L. B. de Etzdorf** in Pfettrach, Weihenstephan, Effenbach et Degenbach, Landishutanus Boj.

Sigismundus **L. B. de Hueber** a Maurn, Burghusianus Boj.

Nicolaus **L. B. Kostelezky** *Topor de Madova,* Monacensis Boj.

Fr. de Paula **L. B. de Fraunberg,** Fraunbergensis Boj., Ephebus aulicus.

Fridericus **L. B. Gemmingen** de Massenbach, Altenstadiensis Neo-Palatinus.

Maximilianus **L. B. de Widmer,** Monacensis, Universitatis Ingolstadiensis Subbibliothecarius.

Jo. Adamus **L. B. de Aretin** a Niederstraubing, Ingolstadiensis Boj.

Joachim Adamus Carolus **L. B. de Niedermayr** ab Altenburg et Singenbach, Altenburgensis Boj.

Jo. Adamus **L. B. de Reisach** a Kirchdorf et Steinberg, Neoburgensis Neopalat.

Christophorus **L. B. de Junker** a Ruprechtsreith, Solisbacensis Palatinus.

Novi Proff.

Jo. Nepom. **Mederer,** Elect. Consiliarius eccl., Historiae patriae Prof. p. o.

Fr. de Paula **Schrank,** Farmbacensis Boj., Elect. Consiliarius eccl., Oeconomiae et Botanices oeconomicae Prof. p. o.

				Ao.
Novi DD.	13 Aug.	Rev. *Anton. Seelmayr*, Hohenegglkofiensis Boj.	*Theol.*	1784.
	—	Rev. *Ignatius Spicker*, Neokirchensis Palatinus	*Theol.*	
	16 Febr.	*Nicol. Lengriesser*, Chambiensis Bav.		
	—	. . . *Reither*, Seiboldsdorfensis Bav.		
	—	*Fr. Xav. Haberl*, Erlkamensis Bav.		
	—	. . . *Grill*, Zeidelbacensis Bav.		
	—	. . . *Hiebel*, Feldsbergensis Austriacus		
	20 Aug.	*Jos. Conr. de Schleiss a Loewenfeld*, Solisbacensis Palatinus	*Medic.*	
	—	*Steph. Zipf*, Klingenmonasteriensis Palatinus	*Medic.*	
	—	*Josephus Zollner*, Ratisbonensis	*Medic.*	
	—	*Georg. Plöderl*, Neokirchensis Boj.	*Medic.*	
	—	*Ant. Bachmayer*	*Medic.*	
	—	*Aloysius Herr*	*Medic.*	
	—	*Luc. Schubauer*, Lechfeldensis Suevus	*Medic.*	
	m. Aug.	. . *Ziegeldrum*, Presbyter Beneficiatus in Parochia superiori Ingolstad.		
	—	. . *Bernard*		
	—	. . *Leop. Staudacher*		
	—	*Ant. Meier*, Canonicus regularis Diessensis, Prof. Grammat. in huj. Gymnas.	*Philos.*	
	—	*Ant. Hunhauser*, Hohenburgensis Boj.	*Philos.*	
	—	*Car. Waltel*, Wasserburgensis Bojus	*Philos.*	
	13 —	*Fr. de Paula Schrank*, S. Theol. D., Oeconomiae publ. Profes. design.	*Philos.*	

Ingolstadienses: Presbyteri saec. Dioec. Frising.

Pro honore Universitatis nostrae juvat commemorare, matriculae academicae nomen dedisse hoc anno illustrissimum ac generosissimum *Jo. Adamum L. B. de Aretin*, qui posteriori tempore ceu Equitum civilium meritorum de Corona Bavarica Praefectus, Serenissimi Regis Maximiliani I a Consiliis intimis et Cubiculariis nec non de gerendis rebus publicis Consiliarius et in Principum Germanicorum confoederatione Francofurtensi legatus inclaruit; item

Ao.
1784. *Franciscum de Paula L. B. de Fraunberg,* Equestris postea Ordinis civilium de Corona Bavariae meritorum Praefectum et regium Consiliarium intimum. Sed et praeter hos ceterosque genere aeque ac rebus gestis illustres memoriam nostram ob literariam laudem merentur doctissimi VV. *Gabriel Knogler*, O. S. B. Schyrensis, Philosophiae et Matheseos studiosus, postea Professor primum Ingolstadii dein Landishuti academicus; *Cajetanus Fischer,* Canonicus regularis Rottenbucensis, Physices et Matheseos in Electorali Lyceo Monacensi Professor et Scientiarum Academiae ibidem Socius; *Fel. Josephus Lipovsky,* Wiesensteigensis Bojus, non ita multis annis post Elect. Directorii generalis Consiliarius et Socius literarum Academiae Monacensis.

Undevigesimo Januarii communicatum est nobis Serenissimi decretum, quo almae nostrae Universitati aeque ac Collegio Georgiano immunitas a decimatione in quinguennium clementissime conceditur.

Plurimum reverendus *Jo. Nepom.* **Mederer,** quem anno 1781 cum annua pensione ducentorum et quadraginta florenorum (scilicet ut victum quotidianum crucigeris vix quadraginta in diem sibi subministrari cogeretur) misere dimissum legimus, quamvis paulo post ad cathedram Historiarum in Academia Heidelbergensi invitatus esset, tamen suis assuetus laribus in egestate vitam trahere, quam relicta patria honorifico ac quaestuoso fungi munere satius duxit; imo opus illud praestantissimum, cui prope integro decennio indefessam operam navarat, eo ipso tempore perpolivit et confecit, et proximo inde anno tomis quatuor comprehensum in literatum orbem emisit, qui non magis admiratus est improbam collatoris industriam quam purissimam latinitatem et singularem eruditionem, qua res et personas notabiliores illustravit. Prodiit isthoc opus s. t. *„Annales Ingolstadiensis Academiae“*; Ingolst. 1782. IV. 4. Quo egregio monimento in lucem edito Vir religiosissimus frustratis novis in se machinationibus per literas ipsius Serenissimi Ducis Electoris tertia vice et nunc quidem Historiae patriae nec non Artis criticae, Chronologiae, Diplomaticae, Numismaticae et Heraldicae Professor p. o. nobis restitutus, eique praeter pensionem supradictam annuum quoque quingentorum florenorum salarium clementissime assignatum est.

Ao. 1784.

Sub initium aestatis plurimum reverendus ac praenobilis D. *de Ursino* Parochus Oberstimmensis haud mediocrem effarcitarum avium collectionem pretiosissimo nostro rerum naturalium thesauro dono dedit. Qua re Monachium nunciata Serenissimus die 21 Julii Senatui academico rescripsit mandavitque, ut eundem literis certiorem faceret, quod Serenissimus Elector donationem gratiosissime acceptaret, et nomen ejus in perpetuam memoriam Catalogo inseri juberet.

Universitas hoc anno Virum nacta est prorsus memorabilem, admodum nempe reverendum ac doctissimum *Franciscum de Paula* **Schrank.** Is Farnbacensis ad Oenum Bojus die 21 Augusti 1747 natus, in Caesarea literarum Universitate Vindobonensi publicis ex Philosophia et universa Theologia disputationibus insigniter habitis duplici laurea doctorali ornatus, deinde in patriam redux Ambergae primum Mathesin et Physicam docuit, et paulo post Societatis oeconomicae Burghusianae Director ac Serenissimi Electoris Comitis Palatini et utriusque Bavariae Ducis Consiliarius ecclesiasticus clementissime designatus est. Verum anno 1781, quo omnes ubique in Bavaria scholas solis Religiosorum Ordinum Professis tradere placuit, ipse quoque cum annua pensione amotus vitam in literario otio degebat, donec hoc anno ad nostram Universitatem, cujus mox decus insigne futurus erat, a Serenissimo Electore proprio motu die 28 Augusti translatus et in noviter fundatam eamque philosophicae Facultati pro tempore attributam Scientiarum Cameralium cathedram immissus est. Is jam antequam ad nos pervenit, complures libros et commentationes in lucem edidit, e. gr. *Beiträge zur Naturgeschichte*, Lips. 1776. 8; *Vorlesung über die Art, Naturgeschichte zu studiren*, Ratisbon. 1780. 8; *Abhandl. über die Stallfütterung des Rindviehes*, Burghus. 1780. 4; *Enumeratio Insectorum Austriae indigenorum*, Aug.-Vindel. 1781. 8; *Abhandl. über den Nutzen der Theorie der Landwirthschaft*, Monach. 1781. 4; alia.

Doctissimus *Antonius* **Bertele**, Hortulani academici nostri filius Koeschinganus Bojus, quem ob eximiam eruditionem industriamque indefessam et bonis moribus enixe commendaverat clarissimus *Henricus Palmatius Leveling*, mense Octobri Prosector sed is prorsus ab ordinario Anatomiae Professore dependens designatus est.

Ao. 1784. Summorum Universitatis Curatorum numerus auctus est addito nimirum iis, qui jam ab anno inde 1782 fuerunt designati, excellentissimo D. *Maximiliano Josepho Clemente S. R. I. Comite ab Seinsheim,* Caesareae Majestatis et Electoris Bavariae Camerario.

Praenobilis ac clarissimus Artis veterinariae Professor p. o., *Antonius* **Will**, ab itinere literario reversus denuo praelectiones suas excepit, eique ex clementissimo decreto dd. 4 Novembris annuum sexcentorum florenorum stipendium ex aerario summo scholastico assignatum est.

Dissertationes aliaque scripta literaria hoc iterum anno complures in lucem publicam emiserunt Professores,

et in *theologica* quidem Facultate

Wolfg. **Froehlich:** Die Religion aus der Philosophie, oder die Nothwendigkeit der Religion aus dem Daseyn Gottes und der Unsterblichkeit der Seele erwiesen, dialogus philosophicus, Aug. Vind. 8. — De libertate animae humanae, praelectiones philos. et theologg., Ingolst. 8.

Sebast. **Seemiller:** Progr. theolog. Notitiam continens de antiquissimo Codice Mss., latinam Quatuor Evangeliorum versionem complectente et in Bibliotheca academica Ingolst. adservato; descripsit Codices, variantes Lectt. &c., Ingolst. 4.

in Fac. *jurid.*

Casparus **Kandler:** Naturrecht, Sect. I., Aug. Vindel. 8.

Fr. Xav. **Moshammer:** Einleitung in das gemeine und bayersche Wechselrecht, Ratisbon. 8.

in Fac. *philos.*

Jo. Nep. **Mederer:** Plan der öffentlichen Vorlesungen über die historischen Hülfswissenschaften und die vaterländische Geschichte, cum tabulis genealogg., Ingolst. 8.

Fr. de Paula **Schrank:** Naturhistorische Briefe über Oestreich, Salzburg, Passau und Berchtes-

Ao.
gaden, in Gesellsch. des Ritters K. E. 1784.
v. Moll; T. I. Salisb. 8.

Coelest. **Steiglehner:** Ueber die Analogie der Electricität und des Magnetismus, Quaestio c. praemio praeposito coronata, ed. in Novis philosoph. Commentationibus Scientiarum Academiae Monacensis. T. II. p. 227 sqq.; quae etiam in linguam Gallicam translata est ab *Jo. Henrico van Schwinden,* ed. à la Haye 1785. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXV.

Ao.
Rector DXXXV: **Casparus** KANDLER, Jur. utr. Dr, Consiliarius 1785.
aulicus act., Institutionum Juris Rom., Romanarum Antiquitatum & Juris feudalis communis Prof. p. o.

Inscripti 95.

Illustres:
Fr. Xaverius et *Ferdinandus* **LL. BB. de Schleich** ab Haarbach, Haarbacenses Boji.
Fr. Xaverius **L. B. de Leoprechting** a Randsberg &c., Randsbergensis Bojus.
Antonius **L. B. de Berchem** a Niedertraubling, Monacensis.
Fridericus Emanuel **L. B. de Andrian** a Werburg, Treitendorfensis Neo-Palatinus.
Jo. Nep. **L. B. de Silbermann,** Strassensis Neo-Palatinus.

Novi Profess.
P. Carolus **Klocker,** O. S. B. Benedictoburanus, Juris canonici Prof. p. o.

Ao.
1785. *P. Heribertus* **de Grafenstein**, Ord. Praemonstrat. Canon. Speinshartensis; Logices, Metaphysices et Philosophiae practicae Prof. p. o.

Novi DD^rr

17 Febr.	*Heribert de Grafenstein*, ut supra, Philos. D^r, ejusdemque Prof. design.,		
19 Nov.	*Carolus Klocker*, vd. supra, Philos. et Juris utr. D^r, ss. Canonum Prof. designatus	*Theol.*	
19 Nov.	*Carol. Klocker*, Philos. D^r, vd. supra,		
—	*Clem. Wencesl.* S. R. I. Eques *de Branka*, Canonicus capit. Monac.	*Jur.*	
26 Aug.	*Aloysius Haas*, Oettinganus Rhaetus		
—	*Felix Casp. Freyhamer*, Arnstorfensis Bojus		
—	*Jos. Hildesberger*, Beilngriesensis Franc.	*Medic.*	
—	*Anton. Hell*, Eichstettensis Franco		
—	*Casp. Hackl*, Merzenschlagensis Styrus		
—	*Jos. Gierl*, Münkhofensis Bojus		
—	*Casparus Köck*, Straubinganus Bojus		
12 Jan.	*Clemens Aloysius Baader*, Monacensis		
17 Febr.	*Heribertus de Grafenstein* &c. (vd. supra)		
m. Aug.	*Franc. Xav. König*	Monacenses	
—	*Philipp. Müller*		
—	*Fr. X. Burk*, Freistadiensis Palatinus		
—	*Jos. Sauter*, Monacensis, Profess. Ratisbonae	*Philos.*	
—	*Sylvan. Gmelch*, Tirschenreith. Palat. Sacerd.		
—	*Petr. de Leveling*, Trevir, Medic. Cand.		
19 Nov.	*Carol. Klocker*, Neo-Prof. supra dictus		

Collegium Electorale medicum Monacense datis ad Electorem literis petierat, ut Universitatis saluberrima Facultas filios eorum, qui fuerint Serenissimi a Consiliis medicis, si cetera, quae a Doctorandis requirantur, rite praestitissent, gratuito ad gradus academicos promoveret. Explorata vero medicae Facultatis ea de

Ao. 1785.

re sententia, quum facile appareret, quod etiam in aliis Collegiis essent, qui eandem suis quoque filiis gratiam auderent implorare, precibus istis non placuit satisfacere. Ceterum supremam Universitatis Curatoriam et ipsam medicam Facultatem propensissimo animo esse curaturam, ut Consiliariorum medicorum filii parentum professionem secuturi, si qui rei familiaris angustia laborent, quantum fieri possit adjuventur.

Die 12 Januarii doctorali laurea Philosophica et SS. Theologiae Licentiatu insignitus est *Clemens Aloysius Baader,* Monacensis, idem ille, qui postea Academiarum Monacensis et Erfordiensis Socius ac potentissimi Bavariae Regis in Gubernio Salisburgensi a rebus scholasticis Consiliarius et elegantiorum artium atque historiarum Scriptor extitit. Proximo inde anno duo quoque Clementis fratres, *Josephus* et *Franciscus Baader,* cum jam quatuor annis ante Albo nostro nomina dedissent, a saluberrima Facultate Doctores creati sunt. Sed de his plura sequiores Annales enarrabunt.

Gregorius Leonardus **Reiner,** Philosophiae theoreticae pariter ac practicae hucusque Professor anno elapso etiam Historiae universalis novissime erectam susceperat cathedram. Cum autem et liberius verba faceret, et vestitu regularem scilicet clericum minus decente uteretur, docendi munere se abdicare et ex ipsa urbe decedere jussus est. Abiturus igitur et auditoribus suis valedicens nonnullas nec dubias significationes jecit, quod plurimum reverendus P. *Wolfgangus Froehlich* Theologiae dogmaticae Professor depositionis ejus auctor fuisse videretur. Qua divulgata suspicione non mediocris tumultus in delatorem ut putabatur excitatus est, ita ut turbae ad aedes ejus congregatae nocturno tempore lapidibus fenestras frangerent, imo adeo minas jactarent capitales. Haec quidem petulantia cito Rectoris Senatusque auctoritate sopita est. Atvero ne in posterum simile quid accideret, re statim ad Serenissimum nunciata die 4 Februarii adlatum est celsissimum decretum, ut Patres academici non solum in omnes istius nefarii sceleris participes diligentissime inquirerent et convictos nominatim Serenissimo designarent, sed etiam facta propalam in Albo Universitatis proscriptione ediceret quam severrime, quod in omnes, qui perperam suspectum Virum verbo factove

Ao. 1785. injurare vel alios in eum concitare, dissensiones motusve facere ausi fuerint, carcere, relegatione, aliis acerbissimis poenis nullo personarum habito discrimine animadverteretur. Punitis iis, qui magis in culpa fuisse convicti sunt, alta pax rediit. *Reineri* autem cathedram philosophicam 19 Februarii nactus est plurimum reverendus *P. Heribertus* **de Grafenstein**, disciplinam vero Historiae universalis clarissimus *Mederer* jussus est suscipere.

Ille autem Jo. Bapt. *de Grafenstein* Philos. & Theol. Dr, Altneohusanus Franco natus 5 Maji 1747, S. Ordinem Praemonstratensium in monasterio Speinshartensi professus ac Heriberti nomine inditus est. Suscepto jam anno 1774 docendi munere primum Novitios coenobii sui in Theologia dogmatica et morali per annos octo instituit, proximo vero inde biennio Landishuti secundae Rhetorices ac Philosophiae Magister et Electoralis ibidem Seminarii Inspector magnam sibi pepererat existimationem. Unde hoc ipso anno Serenissimi Electoris Consiliarius ecclesiasticus actualis et in hac alma Universitate Philosophiae Professor p. o. designatus est.

Maximilianus **de Widmer**, Subbibliothecarius Universitatis, qui insigni diligentia et probitate maximam sibi perfecerat Superiorum commendationem, ad preces suas ab officio, quo adhuc fungebatur, cum magna laude dimissus, et in ejus locum plurimum reverendus *Josephus* **Oeggl**, Fischensis Bojus, Philosophiae Dr et Canonicus Domicellaris Straubinganus, ob vitae honestatem, sedulitatem, eruditionem ac praesertim linguarum peritiam summopere laudatus per decretum Electorale 7 Martii cum annuo salario 250 florenorum et iisdem cum altero Subbibliothecario reverendo *D. Antonio Drexelio* conditionibus clementissime substitutus est.

Quod jam emissa sub 1 Septembris 1777 Ordinatione scholastica § 71 et Mandato generali dd. 30 Octobris 1780 severe vetitum est, ne quis literarum studiosus, qui in patria ad munus publicum vellet promoveri, extraneam Universitatem frequentaret nisi speciali a Serenissimo venia impetrata, id 5 Aprilis hujus anni denuo inculcatum est. Contravenientes si statum clericalem vel religiosum fuerint secuturi, neque in titulum mensae neque in monasterium recipiantur; laicis vero non solum non publicum

Ao. 1785.

quoddam suo tempore munus, sed ne admissio quidem ad studia sive Medicinae sive Jurisprudentiae in Bavarica aliqua Academia concedatur. Ab ista tamen prohibitione per rescriptum Domini Ducis et Electoris speciale de 30 Octobris ii eximuntur Studiosi, qui in extranea civitate propinquum aliquem aut benefactorem inveniant, a quo habeant unde vivant, vel qui stipendio ibi adjuventur, vel informatione et educatione puerorum victum necessarium sibi valeant suppeditare.

Maxima vero hujus anni parte in supprimenda secta Illuminatorum laboratum est, cujus secretae societatis auctor et praepositus generalis ficto nomine *„Spartacus“* praenobilis ac clarissimus *Adamus* **Weishaupt,** Electoralis Consiliarius actualis et Jurium in hac alma Universitate per annos undecim Professor fuit. Is primus erat Doctor laicus, cui publica juris canonici cathedra fuerat concredita. Quae res haud parum sibi obtrectationis odiique peperit, cum praesertim ipse ex observantissimo olim Jesuitarum alumno, in quorum scholis educatus et enutritus erat, mox acerbissimus eorundem inimicus factus esset. Ut igitur adversus eos, qui hominem novum et intrusum loco suo submovere semel atque iterum conabantur, sese tutum redderet, id facillimum sibi factu videbatur, si in Liberorum Murariorum seu Latomorum Ordinem reciperetur, de cujus instituto atque fine maximam sibi initio fingebat existimationem. Cum autem ejus cooptatio nescio quo casu de die in diem esset dilata, et Latomorum quidam ostentator Ingolstadium perveniret, ut literarum Studiosos in suas partes traheret, jam ipse novum quoddam et secretum conciliabulum condere properavit et hanc societatem *Illuminatorum ordinem* appellavit. Nec sane impar erat consilio suo exsequendo. Praeterquam enim quod numerosissimum ad praelectiones suas attraxerit auditorem, maximam etiam cautionem et diligentiam adhibuit in seligendis iis, quibus opiniones suas cosmopoliticas inserere tentavit. Verum etiam extra Universitatis limites retia sua tendens omnes undecunque, quos mobiles et novarum rerum cupidos intellexit, illecebris corruptelarum irretire sibique conciliare studuit. Haec autem societas eo potissimum spectabat, ut ejus asseclae totius mundi sese incolas et cives esse arbitrarentur ac proinde doctissimum et potentissimum quemque nullo neque generis neque

Ao.
1785. patriae neque religionis habito discrimine sibi consociarent, amplissima munera alia atque alia capesserent et summa denique rerum publicarum potirentur. Haec omnia, prout auctor ipse ingenue fatetur, iisdem se consecuturum sperabat artibus, quibus Jesuitarum institutum toto orbe terrarum tamque mirum in modum temperatum est: communi scilicet omnium sub uno Ordinis Magistro imperio, data reliquorum Superiorum ad singulas dignitates per varios gradus ascensione, jurata Subditorum fide et obedientia, et factitatis invicem ad Superiores clam denunciationibus. Jam vero obortis inter socios non ita multo post dissidiis nonnulli a societate segregati sunt, alii ultro recesserunt, in his praesertim clarissimus *Josephus Utschneider,* Serenissimi postea Regis Consiliarius intimus, qui tunc communicatas *Fridericum* Borussiae regem inter et *Mariam Antoniam* Bavariae Ducem literas Illuminatis prodere strenue recusarat. Serenissimus autem Elector de perniciosa conspiratione commonitus jam 22 Junii superioris anni adversus secretas cujuscunque nominis societates legem tulit et hoc ipso anno funestis Latomorum et Illuminatorum consiliis magis magisque patefactis eorum suppressionem per totam Bavariam edixit.

Quod autem ad ipsum auctorem attinet, is saepius ab Universitatis Bibliothecario impense petiit et ab ipso etiam Senatu flagitavit, ut Petri Baylei opus *„Dictionaire historique et critique“* librosque Simonis Richardi sumtibus academicis comparari juberet. Quod quum nescio quo nuncio ad aures Ducis Electoris pervenisset, Serenissimus 1 Februarii literas demisit, valde sibi mirum esse, quod publicus et is quidem sacrorum canonum Professor impiorum auctorum Baylei et Richardi libros, quibus fundamenta christianae religionis subrui et Scepticismi haereseosque semina perniciosa dispergi manifestum sit, in publicum usum velit acquiri. Quapropter Rector Universitatis non tardabit diutius, ex commissione speciali scriptam ab eo purgationem illico exigere eamque sub termino bidui a die recepti ad intimum perferre. Quae excusatio quum Serenissimo Electori minus esset probata, die 11 ejusdem mensis alteris literis decreta sunt quae sequuntur: Non Baylei pessimum opus, imo vero Bibliotheca Zabusnekiana, qua Bayle, Voltaire, Rousseau, alii hujus generis pseudo-

philosophi acutissime decribantur, quo facilius cunctis perversa eorum doctrina innotescat, in scriniis publicis collocetur; *Adamus Weishaupt* coram Patribus academicis apertis januis sinceram catholicae fidei professionem pronunciet; porro sciat, se finito hoc anno scholastico a publico docendi munere fore dimissum, ex quo tempore sibi annua quadringentorum florenorum pensio solvetur, qua tamen neque Monachii neque Anglipoli neque usquam alibi locorum, qui urbibus istis circumjacent, frui sibi licebit. Ille vero his vixdum publicatis declaravit, sibi esse in animo, munere suo se confestim abdicare, nec mendicare aliquam pensionem, sed intra decendium urbe et agro et tota Bavaria cedere. Quo juste ac legitime Monachium nunciato jam triduo post rescriptum est Patribus, ut hominem jactatorem et ferocem Latomorum Magistrum actutum cathedra sua depositum haberent, et profecturum cum copia hujus Rescripti fidemata loco syngraphi dimitterent. De redditu autem quem ille habuit mille florenorum sub d. 9 Maji singulari quadam concessa exceptione sexcenti quidem floreni inter tres meritissimos ejusdem juridicae Facultatis Professores ad augenda eorum annua stipendia dividuntur ita, ut *Fr. Xav. Moshammer, Georg. Xav. Semer* et *Jo. Nep. Krenner* ducentos quilibet recipiat, reliqui vero quadringenti ad fundum academicum redeant. Ao. 1785.

In vacuam vero Juris canonici cathedram, quam more prius solito nunc iterum clerico Professori placuit committere, plurimum reverendus *P. Carolus* **Klocker** Fridbergensis, 13 Januarii 1748 natus, O. S. B. professus in monasterio Benedictoburano, Philos. item SS. Theol. et utriusque Juris Dr die 2 Aprilis Serenissimi Electoris Palatino-Bavarici Consiliarius ecclesiasticus actualis et sacrorum Canonum Professor clementissime designatus est.

Interea *Adamus Weishaupt* fuga se subtraxit supplicio, et Gothae Saxonum a Serenissimo *Ernesto II* Duce exceptus posteaque Ducalis Consiliarius aulicus nominatus est. Post suum a nobis discessum varia in lucem emisit opuscula e. gr. *De lapsu Academiarum,* Papenhemii 1785; *Apologie der Illuminaten,* Francof. et Lips. 1786; *Das verbesserte System der Illuminaten,* ibid. 1787 (Ed. II. ib. 1788, Ed. III. Lips. 1818); *Ueber geheime Welt- und Regierungskunst,* Francof. ad Moenum 1795; aliaque multa.

Ao.
1785. Mortuus est senex 18 Nov. 1830 aetatis anno fere septuagesimo tertio.

Atvero avulsa sodalitii stirpe non ita protinus etiam virgulta fuerunt eradicata. Cum igitur Serenissimus Elector satis sibi compertum haberet, Illuminatorum societatem etiam Ingolstadii adversus vetitum nihil fere remisisse, nisi quod aliquanto cautius pergant clandestina habere conventicula, et venenata sua placita latius indies propagare; plura et quasi continua scilicet 27 Maji, 28 Junii, 6 Julii ea de re decreta huc pervenerunt, quibus Patres academici omnibus remediis opportunis innocuos dehortari et in suspectos quam diligentissime inquirere jubebantur. Inquisitionibus autem submissi fuerunt: *Jo. Nep. Godofr. Krenner* et *Fr. Xaverius Semer*, Electorales Consiliarii aulici et Jurium Professores publici ordinarii; *Joannes Fischer*, Ingolstadiensis supremus Judex civicus; *Antonius Drexel*, Universitatis Subbibliothecarius et ad S. Mauritium Beneficiatus; *Jo. Duschl*, Collegii academici tunc temporis Repetitor; *Fr. de Paula L. B. de Fraunberg* et *Carol. Ludov. L. B. de Bartels*, Jurium Studiosi; denique militum quidam Succenturio nomine *Kaltner;* quippe qui accusati sunt, partim quod abeuntem Exulem familiariter Ratisbonam usque comitarentur, partim quod etiamnum in latibulis noctu conveniant, sermones ibi lascivos misceant et protervos, quibus edicta imperialia institutaque publica atque ipsam sacram disciplinam et religionem de invocatione Sanctorum, de purgatorio, de jejunio, ceteris derideant, partim quod libros prohibitos secum asservare aliisque legendos communicare non vereantur. Responsionibus igitur Inquisitorum in tabulis redditis et ad intimum insinuatis die 3 Augusti ex mandato Serenissimi proprio sententia dicta est: *Fischerus* Ecdicus urbanus jam in jus eductus legitimas suo tempore poenas luet. Succenturio *Kaltnerus* ab urbe relegatus sub speciali publicae disciplinae custodia tenebitur. *Drexelius* autem beneficio suo privatus in Seminarium quoddam clericorum vel ad Parochum plebanum sese conferat et pastorali curae per aliquot annos inserviat, donec ad meliorem frugem conversus novo munere cum bona conscientia queat provideri. Porro *Duschelius* ab officio suo depositus alibi viderit unde vivat, modone in loco, quo Latomi soleant aut Illuminati convenire. Duo item illustres *LL.*

Ao. 1785.

BB. de Fraunberg et *de Bartels* ab hac alma Universitate ad familias suas remittantur, usque dum ab erroribus suis resipuerint. Duo denique Professores supradicti ab instantia absoluti serio commoneantur ut caveant, nequid in posterum sibi pariant suspicionis.

Atvero in ipsa hujus sententiae exsecutione parum abfuit, quin etiam in alios complures acerbius animadverteretur. Cum enim (sic fama ferebat) *L. B. de Fraunberg* ex urbe decederet, non ut Dimissum decuit sed vehiculo publico cum praecinente cornice vectus, comitati sunt eum octo equites commilitones academici et ii quidem omnes illustrissimo genere nati, ita ut fere in derisum severioris disciplinae pompam ducere viderentur. Quae res adeo speciem prae se tulit odiosiorem, quod ipse reverendissimus Universitatis Procancellarius e fenestra domus suae praeterequitantes comiter salutasse et huic pessimo procacitatis exemplo quodammodo assensisse diceretur. Nova tamen et curatissima desuper habita inquisitione rem longe aliter ac putabatur evenisse verisimile est; etenim 31 Augusti celsissima Senatui academico demissa est resolutio, quod Serenissimus Elector non solum Dominum Procancellarium penitus excusatum habeat, sed etiam quod ceteros attinet siquidem ex sola animi levitate et inconsiderantia illud factum fuisse constiterit, in graviori objurgatione velit acquiescere.

Locus alterius Subbibliothecarii per amotionem *Drexelii* vacans in posterum omnino cessabit; officia autem inter duos hucusque divisa omnia uni reverendo *Oeggelio* Canonico attribuuntur, eidemque etiam, quod habuit Drexelius, centum florenorum stipendium assignatur.

Ad humillimam Universitatis propositionem sub 20 Augusti decretum est, ut in testimoniis finalibus abiturientium diligentia, profectus, mores Candidatorum non praedicatis hucusque usitatis (e. gr. *eminens, prorsus insignis, valde laudabilis* &c.) sed solis numeris scil. de *prima, secunda, tertia nota* in posterum exprimantur, et quodvis ejusmodi testimonium etiam a Decano Facultatis subscribatur. Similiter eodem die alia Senatus academici rogatio, ut sicut Albertini Stipendiati ita Georgiani quoque et Alumni in Seminario clericorum saecularium coenobitae (iis vide-

Ao.
1785. licet exceptis qui de propriis vivant) a solutione pecuniae, quae datur sub nomine *Submissionis,* eximantur, clementissime confirmata est.

Decretum Electorale jam 4 Novembris superioris anni evulgatum, ut cathedra veterinariae medicinae Monachium transferretur, hoc demum anno executioni datum est. Itaque doctissimus *Antonius* **Will,** Artis veterinariae per quadriennium Professor p. o. 28 Augusti ab hujate Academia illuc translatus et in Electorali Collegio medico Monacensi receptus est. Sexcenti autem floreni, quos ei Universitatis aerarium quotannis praestitit, etiam in futurum ex eodem academico fundo solvantur, donec fons alius fuerit exquisitus, unde illos recipiat.

Ex decreto Serenissimi dd. 9 Nov. Collegium Georgianum a jurisdictione Universitatis penitus eximitur et quoad disciplinaria, oeconomica et personalia Electorali summo Consilio ecclesiastico subjicitur. Omnia Stipendia ecclesiastica et beneficia fundata pro presbyteris junioribus qui literarum studiis vacant, sive confundantur sive dividantur ita ut quilibet Stipendiatus aut Beneficiatus pro necessaria sustentatione florenos centum viginti percipiat. Vestitus Alumnorum simplex, omnium uniformis (nempe tunica talaris laneumque cingulum colore nigro et album collare), victus autem quotidianus sobrius esto, ne mensam, qualem Parochi plebani seu rurales suis Capellanis et Cooperatoribus apponi soleant, cum nausea dedignentur. Quivis Seminarii Regens in posterum honore ac titulo Electoralis Consiliarii ecclesiastici gaudebit, et per annos decem suo munere cum laude functus, si petierit, ad opimiorem parochiam vel ad aliud beneficium melioris notae ecclesiasticum promovebitur.

Ex mandato celsissimi ac reverendissimi **Joannis Antonii** III *Episcopi et Principis Eichstadiani,* Cancellarii nostri, dd. 2 Decembris clarissimus *Josephus Maximilianus Wibmer* Universitatis Procancellarius ab omnibus hujatis Academiae sociis ex perantiquo more juramentum de profitenda et defendenda immaculata Conceptione B. V. M. recepit, eaque de re rite gesta literas unacum juramenti formulis remisit.

Hujus anni historiam claudunt literaria opuscula a Professoribus edita. Scripserunt autem

Ao. 1785.

in Facult. *theolog.*

Wolfg. **Froehlich,** Philosophische Gedanken über die Körper- und Geistes-Natur sonderheitlich des Menschen, Ingolst. 8.

Aemil. **Reiff,** Programma De originibus typographicis, Ingolst. 8.

Sebast. **Seemiller,** Progr. theolog. continens notitiam historico-criticó-literariam de Bibliis polyglott. Complutensibus, Ingolst. 4. — De latinorum Bibliorum cum nota anni 1462 impressa duplici editione Moguntina; ib. 4.

Steph. **Wiest,** Demonstratio religionis christianae contra aetatis nostrae incredulos sive Institutionum theologicarum T. I, Aistadii 8.

in Fac. *philos.*

Fr. de Paula **Schrank,** Anfangsgründe der Botanik, Monach. 8. — Mayers Feldbau-Katechismus in Bayern, umgearbeitet; ibid. 8. — Naturhistorische Briefe &c. (vd. ad a. 1784) T. II, Salisburg. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXVI.

Ao. 1786.

Rector DXXXVI: **Georgius Ludovicus Claudius** ROUSSEAU, Philos. et Med. D.r, Elector. Consiliarius aulicus actualis; Medicinae forensis, Chemiae et Historiae naturalis Prof. p. o., Societati oeconomicae Burghusianae adlectus.

Inscripti 90.

Illustres: *Hugo Jo. Nepom.* **L. B. de Khistler** a Loewenthurm; Monacensis.

Ao.
1786. *Alexander* **L. B. de Imhof** a Spielberg et Oberschwanbach; Balmershofensis Suevus.
Fr. Xaverius **L. B. de Prielmayer** a Priel, Donauwörthanus Bojus.
Clemens **L. B. de Nyss,** Matticofensis Boj.

Novi DD.ⁿ	m. Jun.	*Carol. Sedelmayr,* urbis Monacensis a Consiliis Procurator		*Jur.*
	m. Oct.	*Jos. Wanner,* ss. Canonum Professor Dilinganus		
	6 Apr.	*Benno Obermayr,* Straubinganus Boj.		*Medic.*
	—	*Franc. Xav. Baader*	Monacenses	
	—	*Josephus Baader*		
	—	*Fr. Xav. Siber*		
	—	*Fr. Sales. Reiner,* Eringanus Bojus		
	20 Jul.	*Franciscus Leiner,* Monacensis		
	22 Aug.	*Anton. Klieber,* Weilheimensis Bojus		
	—	*Joseph. Schoening,* Ingolstadiensis		
	5 Aug.	*Aloysius Heiss,* Sacerdos	Monacenses	*Philos.*
	—	*Ant. Stechbauer,* Diacon.		
	—	*Francisc. Xaverius Ott*		
	14 Aug.	*Dominicus Schlammer*		
	—	*Edmund. Schmid,* O. S. B. Thierhauptensis	Proff. Neoburgi	
	—	*Ang. Maria Lang,* O. S. B. Oberaltacensis		
	—	*Placidus Pugl,* O. S. B. Weihenstephanensis		
	—	*Felix Brunner,* Canon. reg. S. Augustini Garsensis		

Inter Inscriptos hoc anno, qui praecipue memoriam nostram merentur, nominandi sunt etiam *Zacharias Voith de Voithenberg* ab Herzogau et Hildesried, Herzogaviensis Palatinus; et *Franciscus Amadeus Primbs,* Ord. Cisterc. in monasterio B. V. M. Aldersbacensi, Philosophiae Studiosus, post in hac alma Universitate Professor.

Ao. 1786.

Admodum reverendus *Jo. Nepom.* **Fischer,** Consiliarius ecclesiasticus et Matheseos in sextum annum apud nos Professor, literario orbi cum ingenii sui dexteritate tum crebri, quo cum permultis viris doctis utebatur epistolari commercio, egregie probatus, relicta nostra Academia Manhemium dimigravit, Astronomus ibi aulicus futurus.

In concilio angariali 10 Augusti habito lectum est Rescriptum Serenissimi Principis Electoris manu subscriptum in quorundam Academicorum causa, quae hucusque pluribus Conciliis plenis Decanicisque occasionem dedit, ideoque altius repetenda est. Academici quidam ante portam ad Crucem dictam in rivo Schutter prope moenia balnearunt, loco ab hominibus omnis conditionis in eundem finem frequentato. Egerant forte eo die milites legionis Serenissimi Ducis Bipontini, *Caroli,* excubias jam pluribus abhinc annis erga Academicos amico animo nequaquam insignes. Miles, qui in vallo tum forte stationem tenebat, ad clamores ludentium juvenum accessit, cumque eos in torrente conspicaretur, exire hinc jussit. Illi autem reposuerunt, nihil hunc locum ad eum pertinere, publicus cum esset. At militem excipit Succenturio nomine *Kahn,* qui inter aspera verba jussum gregarii sui militis repetit, idemque responsum fert. Excedunt tamen loco balneantes, sed dum se vestibus suis induunt, adsunt quinque milites armati a Succenturione missi, qui Studiosos primum ad domum excubiarum, quae ad ipsam portam est, tum media die ad principem excubiarum locum spectante copioso populo ducunt, ubi tamen a militari urbis Praefecto illico dimissi sunt. Conqueruntur juvenes coram Collegio Decanico de injuriosa hac Succenturionis animadversione, petiturque eorum nomine a Praefecto urbis, ut jubeat iisdem satisfieri. Vocat is *Kahnium* acriterque objurgatum abs se dimittit. Atvero Succenturio ad legionis suae tribunum *L. Baronem de Dalwig* se contulit, actionemque contra Academicos instituit, injuriis sese ab illis lacessitum ait, testimoniisque suorum militum confirmat, quibus tamen ea testimonia, quae Dauniani quidam milites, qui forte aderant, et nihil se audivisse praeter comminationem cujusdam Academici, *Gabrielis* nomine natione Suevi, qui effecturum sese *Kahnio* spoponderat, ut sibi satisfiat, asserebant, consentientia non erant. Dum haec Universitatem inter et

Ao.
1786. Legionem militarem agerentur ultro citroque, res nova intercidit. Ebrius quidam Studiosus Saxo natione, nomine *Janko,* noctu in platea convitia in legionem *Carolinam* jecerat, addito nomine suo quasi confirmaturus eo uberius, quae dixerat. Milites ejusdem legionis, qui tum ad castellum in excubiis erant, comprehensos quosdam Academicos, qui forte in eadem platea steterant, nihilque cum ebrio illo, ab amicis clam inde amoto, habentes consortii ad suam stationem abducunt, maleque per eam noctem habent. Altero autem die conqueruntur hi juvenes de injuriis sibi illatis, conqueritur etiam legio ista de convitiis a *Jankone* in se jactis. Is vero interim in oppidum Wetstedium ditionis Eichstettensis secesserat, extra vim, quam sibi a militibus metuerat, futurus; mittit tamen supplices ad Universitatem literas, quibus se ad qualemcunque poenam Academicam offert, crapulam et in crapula dicta deflet, et revocaturum se, quaecunque ebrius dixisset, promittit. Dum Patres academici consultant, quo pacto rem satis difficilem componant, cum legio honorem Principis haereditarii laesum esse palam quereretur; ecce inconsulti quidam juvenes *Jankonem* curru in urbem reducunt comitantibus duobus aliis Academicis equo vectis. Reduci *Jankoni* Patres academici octiduanum carcerem in pane et aqua, ejusque comitantibus biduam domi custodiam in poenam statuerunt. Interea exasperabantur utrinque animi; timere milites ab Academicis, juniores econtra Centuriones de Patrum academicorum hac in re cauta sollicitudine triumphare; Academici numerosiores simul ire, gladiis sese armare, et turbarum occasiones quaerere. Quod cum comperisset Rector, serio a concursionibus dehortatur, gestare arma prohibet; praeterea Jankoni injungit, ut scripto testaretur, poenitere se de iis, quae ebrius dixisset, et quae sibi excidissent, crapulae, non suo sensui esse tribuenda. Scriptum ad legionem missum est, quae tamen publicam in suo foro quam aiunt deprecationem flagitare perstitit. Abnuit Universitas rem insuetam, et legione causam suam ad supremum tribunal militare deferente, suam ad supremam Curatelam detulit, petiitque ab Electore, clementissime concedat, ut, quando utrinque non conveniret, coram Revisorio quod vocant rem agi permitteret. Curatela rescripsit, parendum esse legionis petitioni, imo etiam addidit quasdam in ipsam Universitatem tanquam

Ao. 1786.

nimis benignam objurgationes. Vix autem de hoc rescripto inaudierat *Janko,* cum quasi negotiorum causa Eichstadium discessit inscio Rectore Magnifico. Is igitur de resolutione intimae Curatelae *Baronem de Dalwig* certiorem fecit; hic autem exspectandam sibi esse a supremo militum tribunali resolutionem asserit. Re sic aliquamdiu dilata, inopinato adest, quam supra commemoravi, ipsa Serenissimi Electoris manu signata Resolutio, qua Universitatis ea in causa decreta confirmantur, carceris poena Jankonis scriptaque quam dicunt sinceratione legioni plane satisfactum esse affirmatur, ideoque lis tota in Universitatis favorem dirimitur. Additum est in fine praeceptum, ne in posterum in ejusmodi causis suprema Dicasteria interpellarentur, sed urbis Gubernatorem inter et Rectorem Universitatis res tales transigerentur.

Hoc anno alma literarum Universitas Heidelbergensis festum saeculare quartum celebratura literis mature huc transmissis Rectorem magnificum, amplissimum Senatum omniumque ordinum Professores ac cives academicos ad imminentem solennitatem suam humanissime invitavit. Itaque ex mandato Domini Electoris proprio sign. 9 Octobris duo Serenissimi a Consiliis actualibus, *Henricus Palmatius Leveling* Medicinae, et *Coelestinus Steiglehner* Philosophiae Professor p. o. sumtibus Administrationis academicae congratulatum illuc deputati sunt.

Scripta literaria hoc iterum anno complura in lucem emiserunt Professores:

in Facult. *theol.*

Aemil. **Reiff,** De originibus typographicis, Progr. II., Ingolst. 4.

Steph. **Wiest,** Demonstratio religionis christ. sive Institutionum theologicarum T. II & III, complect. P. I et II. Theologiae dogm. generalis; Eichst. 8.

in Fac. *jurid.*

Casp. **Kandler,** Beitrag zur „Vollständigen Geschichte der Verfolgung der Illuminaten in Bayern", zur Bestärkung der historischen Gewissheit dieses Werkes, T. I. Francof. et Lips. 8.

Ao.
1786. in Fac. *medica*
Palmat. **Leveling,** Observationes anatomicae rariores, iconibus aeri incisis illustratae, Fasc. I. Ingolst. 8.
in Fac. *philos.*
Fr. de Paula **Schrank,** Bayerische Reise, Monach. 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXVII.

Ao.
1787. Rector DXXXVII: **Coelestinus** STEIGLEHNER, O. S. B. e principali monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonae, S. Theol. D^r, Elector. Consiliarius eccles. actualis; Physices experimentalis et Meteorologiae Prof. p. o.

Inscripti 112.
Illustres:
Josephus **Comes de Rambaldi** ab Almanshausen; Neostadiensis Bojus.
Ignatius Ludov. **Comes de Preysing** ab Altenpreysing et Lichtenegg; Lycensis Austriacus.
Marcus Antonius **L. B. de Mayr** a Scherneck; Monacensis.
Fr. Xav. **L. B. de Welden** a Laubheim &c., Campodunensis Algojus.
Fridericus **L. B. de Reisach;** Trefelsteinensis Palat.
Ignatius Antonius **L. B. de Saur** a Schreyrhofen; Ambergensis Palatinus.

Novi DD^r 16 Febr. Pl. rev. *Damianus Phil. L. B. de Lehrbach,* Landishuti ad S. Jodocum Parochus
— Pl. rev. *Paulus Paur,* Consiliarius eccl. et Ingolstadii ad S. Mauritium Parochus
} *Theol.*

			Ao.
2 Aug.	Pl. rev. *Jos. Heckenstaller,* reverendiss. Consistorii episcop. Ratisbon. Secretarius	*Theol.*	1787.
23 Maj.	*Christophorus Ipscher,* Solisbacensis Palatinus	*Jur.*	
16 Nov.	Pl. rev. *Paul. Paur,* Theol. Dr Consil. eccl., nunc Curio Burghusianus		
10 Febr.	*Carol. Nobilis de Teim* (antea *Hertel* dictus) Manhemiensis Palatinus	*Medic.*	
20 Jul.	*Bernard. Jos. Renlander,* Juliacensis		
—	*Jos. David Hartung,* Magonus Trevirensis		
—	*Michaël Gandorfer,* Altdorfensis Bojus		
14 Aug.	*Castulus Wohlmuth,* Ord. Praemonstr. Canonicus reg. Neocell. prope Frising., Electoralis Lycei et Gymnasii Landishut. Rector,	*Philos.*	
—	*Milo Griegseis,* Ord. Praemonstr. Canonicus reg. Scheftlariensis, I Rhetorices in Gymnasio Landishut. Prof.		
—	*Augustinus Hacklinger,* Canonicus reg. S. Augustini Garsensis, Grammatices superioris in hujate Gymnasio acad. Prof.,		
—	*Ambrosius Werner,* Canonicus reg. S. August. Schlehdorfensis, inferioris Grammat. in Gymnasio nostro academico Prof.,		
—	*Josephus Rössler,* Ingolstadiensis		
—	*Andreas Forster,* Postsalensis Bojus,		
—	*Andreas Träger,* Kelhemiensis Bojus,		
—	*Josephus Burgholzer,* Mosinningensis Boj., Juris utriusque Cand.,		

Inter Inscriptos hoc anno digni sunt etiam, quos fasti nostri commemorent: *Augustinus Hacklinger,* Professor Grammatices

Ao.
1787. tertiae, Canonicus regularis in Gars, sequiori tempore Propositus ibidem et Archidiaconus, postremo Ecclesiae Metropolitanae Monaco-Frisingensis Canonicus ejusdemque Capituli Senior; *Bernard. Jos. Hartz,* Coloniensis ad Rhenum, Medicinae Studiosus, postea ejusdem et Chirurgiae D.r, scientiarum Academiae Monacensis Socius, Regiae Majestatis Bavariae Archiïatrus et Consiliarius intimus actualis, Ordinis civilium de Corona Bavarica meritorum et Austriaci Ordinis Leopoldini Equitum Praefectus, nec non reg. Saxon. civil. merit. Ordinis Eques; *Laurentius Kappler,* Koenigshemiensis Moguntinus, deinde meritissimus Ingolstadii et Landishuti Professor academicus; et *Josephus de Stichaner,* Waldsassiensis Palatinus, regius postea de gerendis rebus publicis Consiliarius, Commissarius generalis et Gubernii Rhenano-Bavarici Praeses, magna cruce Ordinis civilium de Corona Bav. meritorum decoratus et reg. Francogall. Ord. Legionis quam honorariam dicunt Equitum Praefectus.

Sedecimo Februarii gradus Baccalaureatus, Licentiatus & Doctoratus theologici in Stuba academica coram amplissimo Senatu academico Promovente *D. Wolfgango Froehlich* S. Facultatis p. t. Decano collati sunt plurimum reverendo perillustri *Damiano Hugoni Philippo L. B. de Lehrbach,* Ordinis S. Georgii Equiti, Ecclesiae cathedralis Frisingensis Canonico domicellari, serenissimi Ducis et Electoris Palatino-Bavari celsissimique Principis et Episcopi Frisingensis Consiliario intimo et ecclesiastico, Landishuti ad S. Jodocum Parocho; dein plurimum reverendo praenobili *D. Paulo Paur* potentissimi Electoris Palatino-Bavari Consiliario ecclesiastico, Ingolstadii ad S. Mauritium Parocho. Ambo in Philosophia erant promoti Magistri, alter in Universitate Heidelbergensi, alter in Wirceburgensi, atque hic nuperrime designatus Curio Burghusianus 16 Novembris etiam juridici doctoratus gradu insignitus est.

Secundo Martii in templo academico celebratae sunt ab Universitate solemnes Exequiae pro nuper defuncto illustrissimo ac excellentissimo *D. Josepho Maria S. R. I. Comite de Seinsheim* Domino in Sünching, Weng &c., equestrium Ordinum S. Huberti et S. Georgii Magno-Commendatore ac Cancellario, Universitatis hujatis ac summae scholarum Curatelae Praeside. Celebravit has

Ao. 1787.

Exequias Senatus academicus in signum et contestationem gratitudinis suae, quam suo per plures annos Curatori gratiosissimo ob insignia in Universitatem merita debitam existimavit; idque eo magis, quod mors ipsius per filium suum illustrissimum D. *Maximilianum Josephum Comitem de Seinsheim* itidem Universitatis Curatorem Senatui academico specialibus literis intimata fuit.

Duodecima Aprilis Concilium plenum habitum est in causa Parochiae *Abensbergensis,* quae per obitum Parochi *D. Ponschab* vacare coepit. Jus enim nominandi ad eam Universitati, praesentationis vero jus Serenissimo Electori competit. Advenit autem *D. Plab* Parochus in Hofendorf suppliciter petens ab amplissimo Pleno, ut ad Parochiam Abensbergensem nominetur. Sciendum est autem, quod ipsi ad intercessionem illustrissimi Comitis *Theodori de Morawitzki* summi Curatoris hujatis Academiae jam anno 1782 adpromissio de danda nominatione ad parochiam Abensbergensem in casu proximae vacaturae, hac tamen expressa lege facta est, ut dein amplissimo Pleno pro hac unica vice relinquatur jus nominandi ad parochiam Hofendorf, ad quam alias jus praesentationis penes Capitulum Ecclesiae collegiatae ad S. Martinum Landishutensis est. Mediante igitur eodem excellentissimo D. Comite jus nominationis in parochiam Hofendorfensem per reversales ut vocant literas a Capitulo Landishutano Universitati concessum est. Itaque ad parochiam Abensbergensem nominatus est *D. Plab,* ad Hofendorfensem autem *D. Wandl,* in hujate superiori parochia per plures annos cooperator meritissimus. Postero jam die *D. Leuthner* Sacerdos ab excellentissimo *Domino de Vacchiery,* summo pariter hujus Universitatis Curatore, Monachio attulit literas, quibus ab eo, in cujus aedibus per aliquot jam annos munere Instructoris fungebatur, pro obtinenda parochia Abensbergensi, vel si circa hanc res non foret amplius integra, pro ecclesia Hofendorfensi summopere commendabatur non solum amplissimo Pleno sed etiam singulis speciatim Facultatibus. Atvero facta jam heri ad utramque parochiam nominatione, votis excellentissimi Curatoris satisfieri non poterat. Nihilominus Rector Magnificus literas commendatitias amplissimo Pleno in pera legendas communicavit addita hac motu proprio quaestione, annon huic Supplicanti facienda sit promissio de danda nominatione vel praesentatione ad proxime va-

Ao. 1787. caturam parochiam juribus Universitatis subjectam. Id quod unanimi fere consensu factum est.

Summae Curatoriae academicae Praesidium ab hoc anno inde unus tenet illustrissimus *Fr. Xaverius Aloysius Wigulaeus L. B. de Kreittmayr*, et in Curatorum numero praenobilis *Jo. Baptista S. R. I. Eques de Vacchiery*, Elect. Consiliarius act. loco fratris sui *Caroli* suffectus est.

In Ecclesiam parochialem *S. Mauritii* per abitum *Pauri* hucusque Parochi vacantem plurimum reverendus ac clarissimus Historiarum Professor et Electoralis Consiliarius ecclesiasticus *Jo. Nep.* **Mederer** clementissimo decreto dd. 9 Novembris nominatus, eique integer hujus beneficii usufructus assignatus est, deductis tamen quae hucusque obtinuerat non solum annuo salario sed etiam Ordinis Melitensium pensione.

Calendis Decembribus ab intima Electorali Universitatis Curatoria rescribitur, Serenissimum velle ac praecipere, ut Statuta academica pro temporum nostrorum natura et ratione reformata et a Se Ipso clementissime approbata (cf. Append. Nr. I) strenue observentur, et in hunc finem quovis ineunte anno scholastico non solum viva voce cunctis Academicis publicentur, sed unicuique etiam copia typis impressa ad manus tradatur, nequis ignorantiam legis possit praetendere aut excusare reatum. Quae qualia sint ista Statuta lege sis infra in Codice Constitutionum seu Appendice Partis V. Nr. I.

Sexto Decembris lectae sunt in Concilio pleno literae reverendissimi *D. Casimiri de Haeffelin* Episcopi Chersonesi, quibus gratias agit Universitati pro gratulatoriis ad dignitatem Episcopalem. Per hunc excellentissimum Virum, tanquam Ministrum plenipotentiarium gloriosissimi **Maximiliani Josephi** *I.* Bavariae Regis, collatis cum eminentissimo S. R. E. Cardinali *Hercul. Consalvi* Secretario Status Sanctissimi Patris **Pii** *VII.* die quinta Junii 1817 conclusum est *Concordatum* de iis, quae ad res catholico-ecclesiasticas in regno Bavarico pertinent.

Dissertationes iterum complures hoc anno in lucem publicam typis evulgarunt

Ao.
1787.

in Facultate *theologica*

Wolfg. **Froelich**, De conjugio sacerdotibus permittendo &c., nunc bini Programm. theol. materia, Ingolst. 4.

Aemil. **Reiff**, Systema theologiae moralis, T. II. Ingolst. 8.

Sebast. **Seemiller**, De graecis Bibliorum V. T. versionibus Progr. I: De versione LXX interpretum, Ingolst. 4. — Bibliothecae academicae Ingolstadiensis Incunabula typographica; Fasc. I. libros continens ante 1477 impressos; ibid. 4.

Steph. **Wiest**, De justitia Dei punitiva, Ingolst. 8.

in Fac. *juridica*

Fr. Xav. **Moshammer**, Joh. v. Sonnenfels Grundsätze der Polizei-, Handlungs- und Finanz-Wissenschaft, abgekürzt und in Tabellen gebracht, in usum praelectt. suarum; Monach. 8.

in Fac. *medica*

Palmat. **Leveling**, Observationes anatomicae rariores, iconibus aeri incisis illustratae, Fasc. I. Ingolst. 4.

in Fac. *philos.*

Fr. de Paula **Schrank**, Verzeichniss der bisher bekannten Eingeweidewürmer, Monachii 8.

ANNO DOMINI MDCCLXXXVIII.

Ao.
1788.

Rector DXXXVIII: **Stephanus** WIEST, Ord. Cisterc. in Abbatia Aldersbacensi professus, SS. Theologiae Dr., Elect. Consiliarius eccles.; Theologiae dogmaticae, Patrologiae et Historiae theol.-literariae Prof. p. o.

Ao. 1788. Inscripti 113.

Illustres:

Marquardus Aemilianus **L. B. de Syrgenstein** (deest in matriculis patria).

Fr. Xaverius **L. B. de Schoenbrunn** (deest patria).

Maximil. Nicolaus **L. B. de Pienzenau** de Niedernpoering (patria non notatur).

Antonius et *Carolus* **LL. BB. de Lilien,** Knippenburgenses Westphali.

Maximilianus **L. B. de Gugl** a Wolfersdorf, Burglengenfeldensis Neopalatinus.

Novus Prof. *Henricus Maria* **Leveling,** Ingolstadiensis; Medicinae Prof. extraordinarius.

Novi DD.ri	3 Jan.	*Henr. Maria Leveling*	Treviri, AA. LL. & Phil. Mggstri,
	—	*Pet. Theod. Leveling*	
	26 Febr.	*Franciscus de Pipan,*	Posoniensis Hungarus,
	5 Aug.	*Sebast. Richter,*	Eichstadianus Franco,
	—	*Magnus Dosch,*	Straubinganus Bojus,
	—	*Joann. Nepom. Pessenbacher,*	Murnaviensis Bojus,
	28 Aug.	*Bernardus Hartz,*	Coloniensis,
	—	*Ignatius Gottschmann,*	Rohrensis Boj.,
	—	*Vendelinus Vollhann,*	Breitensis Franco,
	8 Oct.	*Jacobus Giel,*	Monacensis,
	—	*Godofredus Carolus Orff,*	Nördlingenus Suevus,
	19 Jul.	*Fr. Xaverius Lautenschläger,*	Ambergensis Palatinus,
	—	*Josephus Pezel,*	Dorfensis Boj., Theol. Stud. Sacerdos,
	—	*Marquard. Pichler,*	Neoburgensis Neo-Palatin., Theol. Cand.
	—	*Wolfg. Schmid,*	Wurzelhofensis Boj.

Medic.

Chirg.

Philos.

Hic annus fertilissimus fuit Neo-Doctoribus in Facultate medica. Et in his quidem clarissimo *D. Henrico Palmatio* **Leveling**

Ao. 1788.

tunc temporis saluberrimae Facultatis Decano rara contigit fortuna, ut tertio Januarii, postquam coram numerosissimo ac splendidissimo auditorio in praesentia Primatum tam militarium quam civilium orationem dixerat inauguralem de incunabulis atque progressu Anatomiae et Chirurgiae ad haec usque tempora, duos filios suos dilectissimos, fratres germanos *Henricum Mariam* et *Petrum Theodorum*, alterum 23, alterum 22 aetatis annorum, data per plurimum reverendum Procancellarium licentia, Medicinae Doctores creaverit. Haec sane rara Patris fortuna nova felicitate fuit aucta, cum Serenissimus Elector filium ejus natu majorem **Henricum** die 26 Septembris, tunc temporis cum fratre Petro Theodoro Parisiis degentem clementissime suum Consiliarium actualem et Medicinae Professorem extraordinarium designaret.

Decimo quinto Aprilis exhibita est in Concilio pleno imago Serenissimi Electoris **Caroli Theodori** ad vivum expressa, ab eodem Serenissimo Universitati dono transmissa. Conclusum est, per speciales literas Serenissimo gratias agendas esse pro pretiosissimo munere, simulque excellentissimo *Domino de Vacchiery* Consilii aulici Cancellario, cujus intercessione et cura illud munus nobis obtigisset.

Doctoratus ex sola Chirurgia (primo in hac alma nostra Universitate exemplo) octava Octobris collatus est *D. Godefrido Carolo* **Orff**, militari Anatomices Professori ac Collegii medici Assessori Monachii, et *D. Jacobo* **Giel**, artis obstetriciae Professori civico itidem Monacensi. Prior, cum esset protestanticae confessionis, professionem fidei non edidit; alter, Catholicus quidem, sed linguae latinae ignarus, eandem lingua vernacula ex formula Concilii Tridentini recitare jussus est.

Plurimum reverendus *Fr. de Paula* **Schrank** Censurae Facultatis philosophicae subjecit Floram suam Boicam, petiitque privilegium impressorium, quo gaudent singulae Facultates Universitatis. Pro merito operis concessum est, quod petiit. Idem ab Academia scientiarum Monacensi ad scrutandam historiam naturalem Bavariae iter literarium ejusdem Academiae sumtibus instituere per ferias auctumnales jussus est.

Iteratis 30 Octobris ab Universitate praesertim a sacrosancta Facultate querelis, quod plerique fere Candidati ad studia

Ao. 1788.

theologica latinae linguae minus gnari accesserint, Serenissimus Elector specialem Philologiae cathedram erigere constituit, eamque plurimum reverendo et linguarum peritissimo *Sebastiano Seemillero* SS. Scripturarum Professori p. o., quippe qui uno omnium collegarum suffragio summopere commendatus esset, sub 13 Decembris tradere dignatus est.

Die 4 Decembris diem obiit supremum praenobilis ac clarissimus *Josephus* **Prugger**, Jurium D.r et Professor, Serenissimi Electoris Palatino-Bavarici a Consiliis aulicis actualibus, nec non Universitatis Archivarius et Collegii Juridicorum Ingolstadiensis Director, cujus laudes funebri oratione complexus est doctissimus *Ge. Xaverius Semer*, ejusdem Facultatis Professor. Vir p. m., natus 1717 Landsbergae ad Lycum, quum studiis juridicis triennalibus in hac Universitate absolutis Monachii aliisque locis in causis agendis per aliquod tempus esset versatus, anno 1741 militiae nomen dedit et voluntarius cum exercitu in castra secessit. Finito autem bello et ipse sacramento solutus ab illustrissimo *Comite de Fugger* villicus fundo Zinebergensi praepositus nec multo post Collegii Societatis Jesu Neoburgensis ad Danubium tanquam Syndicus et in judiciis civilibus Procurator aliquamdiu adhibitus est. Anno vero 1753 mense Octobri in hac alma Universitate cathedram Joannis Georgii Weishaupt suscepit, et primum quidem Institutiones imperiales et Jus criminale, deinde Codicem et Pandectas, mox etiam Jus patrium explicavit. Idem scriptis nonnullis, quarum jam P. III. Annalium p. 282 & 292 mentio facta est, dissertationibus inauguralibus rem literariam ditavit, et in colligenda horum Annalium appendice diplomatica auctori praestantissimo *Joanni Nepomuceno Mederer* operam suam benignissime impendit. Occidit vir clarissimus tertio Rector creatus et per annos sex et triginta continuos Professor p. o., magno apud omnes, qui vivum norunt, desiderio sui relicto. Erat enim justitiae integerrimus cultor; et insigni sua prudentia ingeniique modestate et singulari morum tum facilitate tum elegantiâ omnium in se animos convertit. Uxorem nunquam duxit, solis literis totus deditus; exquisitas autem sibi comparaverat et fossilium et picturarum collectiones.

Cathedram *Pruggeri* in posterum vacuam relinquere, praelectiones autem Juris patrii tam publici quam privati distribuere

Ao. 1788.

et alteram quidem partem *Joanni Nep. Godofredo* **Krenner**, alteram vero *Francisco* **Siardio** unacum Archivarii munere et emolumentis eidem annexis tradere et eundem academicae Administrationis Assessorem designare placuit. Quod autem ad salarium Defuncti attinet, duceni *Moshammero*, *Krennero* et *Semero* Professoribus, quibus legitimum inde stipendium suppleretur, additi sunt floreni, reliqua pars ad aerarium academicum redacta.

Singulares hoc anno libros et dissertationes ediderunt

in Facult. *theolog.*

Aemil. **Reiff**, Systema theologiae moralis, T. II. Ingolst. 8.

Sebast. **Seemiller**, De graecis Bibliorum V. T. versionibus Progr. II: De versionibus Aquilae, Symmachi et Theodotionis aliorumque, quas Hexaplis suis Origenes inseruit, Ingolst. 4. — Bibliothecae academicae Ingolstad. Incunabula typographica, Fasc. II. complectens libros ab ao. 1477—1483 impressos; ibid. 4.

Steph. **Wiest**, De necessario scientiae cum pietate nexu, ibid. 4. — Institutionum theologg. T. IV. qui compl. P. I. Theologiae dogmaticae special., ib. 8.

in Fac. *juridica*

Ge. Xav. **Semer**, Oratio funebris in obitum clarissimi Jo. Jos. Prugger; ib. 4.

in Fac. *medica*

Jos. Ant. **Carl**, Catalogus plantarum secundum systema Linnéanum editionis XIV. in usum horti botanici, Ingolst. 8.

Ao. 1789.

ANNO DOMINI MDCCLXXXIX.

Rector DXXXIX: **Franciscus Xaverius** MOSHAMMER, Jur. utr. D^r^, Electoris Palatino-Bavarici Consiliarius aulicus act.; Scientiarum politicarum, Juris cambialis, Encyclopaediae et Methodologiae juridicae Prof. p. o.

Inscripti 132.

Illustres:

Josephus **L. B. de Limpoeck** a Riekofen, Riekofensis Bojus.

Franciscus **L. B. de Donnersberg** ab Igling, Iglinganus Bojus.

Alexander **L. B. de Jett** a Münzenberg, Ratisbonensis Bojus.

Joannes Maria **L. B. de Bassus** a Sandesdorf, Mendorf et Eggersberg &c.; Posciavensis Rhaetus.

Sigismundus **Comes de Kreith** a Gutteneck, Ambergensis Palatinus.

Ignatius **L. B. de Asch** ab Oberndorf, Straubinganus Bojus.

Maximilianus **Comes de Lerchenfeld** a Koefering, Monacensis.

Maximilianus **L. B. de Burgglach** a Wiesenfelden, Monacensis.

Fr. Xaverius **L. B. de Hofmihlen** ab Edelhausen, Burghusianus Bojus.

Novus Prof. *P. Beda* **Aschenbrenner**, Benedictinus Oberaltacensis, Juris canonici Prof. p. o.

Novi DD^r^ 28 Nov. *Beda Aschenbrenner,* ss. canonum Professor. design. ut supra, } *Jur.*

16 Mart. *Josephus Mayer,* Wolnzachensis Boj., }

— *Matthias Lang,* Kirdinganus Eichstettensis, } *Medic.*

			Ao. 1789.
1 Aug.	*Blasius Geiger,* Landishutanus Bojus,	*Medic.*	
—	*Paul. Wanckerl,* Diepoldsriedensis Boj.,		
—	*Ant. Voraus,* Laberensis Neo-Palatinus,		
—	*Joann. Bapt. Bachauer,* Monacensis,		
—	*Thaddaeus Hermanseder,* Berchinganus Franco,		
7 Dec.	*Josephus Müller,* Partenkirchensis Boj.,		
14 Aug.	*Augustus Jos. de Degen,* Heidelbergensis, Patritius Monacensis, Ecclesiae collegiatae ad D. Virg. Monachii Canonicus domicellaris,	*Philos.*	
—	*Josephus Maria Dorizi,* Pesclaviensis Griso,		
—	*Josephus Ehrensberger,* Donaustaufensis Bojus,		
—	*Josephus Häckl,* Landishutanus Bojus,		
—	*Adamus Staub,* Ingolstadiensis,		

Complures autem hoc anno etiam absentes Gradu Magisterii philosophici insigniti sunt, nempe plurimum reverendi DD. *Casimirus Baur de Heppenstein,* Marisburgensis Acronianus, celsissimi Principis et Episcopi Constantiensis Consiliarius eccles. et Sacellanus aulicus; Fr. *Josephus Widmann,* Gerzensis Bojus, Decanus Isensis ac Principum Episcoporum Frisingensis et Ratisbonensis Consiliarius eccl.; *Anselmus Greinwald,* Ecclesiae collegiatae S. Augustini Canonicus Rottenbuchensis, in Elect. Lyceo Monacensi Theologiae dogmaticae et Historiae eccl. Professor nec non generalis Studiorum Directorii Secretarius et Aerarius; *Frigdianus Greinwald,* Eccl. colleg. S. Augustini Pollinganae Canonicus capitularis, Seminarii Monacensis Inspector, Ecclesiae Melitensium Praepositus et Officiator; *Franciscus Krumm,* Canonicus capitularis in Diessen et in Elect. Lyceo Monacensi Theologiae moralis Professor et Rector Scholarum; *Aquilinus Holzinger,* Ecclesiae colleg. Canonicus capit. Inderstorfensis et in Lyceo Monacensi Juris canonici et Eloquentiae sacrae Prof.; *Magnus Singer,* ad S. Magnum Pedeponti Canonicus capit. et in Elect. Gymnasio Monacensi Grammatices Prof.; *Augustinus Haitmayr,* Canonicus reg. Pollinganus p. t.

Ao.
1789. Bibliothecarius; *Fr. Xaverius Nöbl,* Vilshofenensis Bojus, Sacerdos curatus. In his duobus prioribus immediate post gradum philosophicum die 27 Aprilis collatus est etiam Baccalaureatus, Licentiatus et Doctoratus theologici gradus.

Inter reliquos hoc anno Inscriptos memorandi merito veniunt *Maurus Magold,* O. S. B. professus in Tegernsee, Philos. Studiosus, post celeberrimus Univers. Ingolstadiensis et Landishutanae Professor, et *Bernardus Ernstorfer,* Landishutanus Bojus, Vir postea meritissimus de condenda schola olim Frisingensi nunc Monacensi, in qua educantur miseri utriusque sexus adolescentuli, quibus a natura et auditus negatus est et sermonis usus ablatus. Albo academico inscriptus etiam legitur *Salomo Berner,* Berolinensis Borussus, Medicinae Candidatus, religionis Mosaicae; verisimilius primus Israëlitarum, qui inde ex eo tempore Universitatem nostram frequentarunt.

Vigesimo octavo Maji solenne Missae sacrificium cum hymno Ambrosiano in gratiarum actionem pro recuperata **Caroli Augusti** Serenissimi *Ducis Bipontini* valetudine decantatum est. Res divina in Ecclesia parochiali et academico ad D. Virginem Speciosam magnifice peracta; comparuerunt enim hujatis urbis praesidium militare, Magistratus civicus, omnium Ordinum Professores et cives academici per Senatum humanissime invitati. Accepto hac de solemnitate nuncio Dux Serenissimus summa cum benevolentia signatis die 12 Julii propria manu literis Rectori Magnifico et amplissimo Senatui gratias dixit.

Parochia *Abensbergensi* 2 Junii per obitum *Jo. Georgii Plabii* vacante *Michael Leuthner* presbyter ac p. t. Caroli Alberti S. R. I. Equitis de Vachiery magister domesticus eo ipso die datis ad Rectorem Magnificum Senatumque academicum, quibus jus nominandi successorem competit, supplicissimis literis exoravit, ut gratiam, quam sibi exspectandam dudum promisissent, nunc data occasione clementissime concederent. Adnuebant Magnificentissimus et Patres conscripti, et expedito postridie nominationis instrumento praesentationem Designati ceu clerici optime meriti ab Electore humiliter petierunt. Factum est autem, ut eodem die, quo preces desuper Monachium transmiserunt, a Serenissimo literae ad-

Ao. 1789.

venirent, quibus Ipse alium presbyterum curatum nomine *de Münsterer* Senatui nominandum proposuit et commendavit. Accepto tamen novo ea de re nuncio, quo Senatus quae jam peracta sint ingenue ac sincere retulit et quam humillime potuit excusavit, Serenissimus Elector in nominatione facta clementissime acquievit.

Sedecimo Junii cum insolito Bavarorum concursu, applausu et solatio *Serenissimus* **Elector** rediit Manhemio, quo jam decimo Octobris anni praeteriti abierat, ibique ad hoc usque tempus haeserat. Conclusum est autem in Concilio pleno, ab Universitate ablegandos Deputatos Monachium, qui Serenissimo Electori pro reditu in patriam grates referrent. Deputati sunt ex Facultate theologica D. Procancellarius *Wibmer;* ex Facultate juridica *Fr. Xaverius Moshammer* t. t. Rector Magnificus; ex Facultate medica loco Decani aegroti *Josephus Ant. Carl,* Senior Universitatis; et ex philosophica Decanus *Vicelinus Schlögl.* Hi vigesimo secundo abiere Monachium posteroque die a Directore Universitatis et Consiliario intimo *Carolo de Vacchiery* praesentati Serenissimo et ab hoc clementissime excepti per horam fere dimidiam circa res varias Universitatem concernentes paene dixerim amicabili modo cum eo collocuti sunt. Eadem benignitate die 25 a *Serenissimo Principe Birkenfeldensi,* tunc temporis Monachii degente, et ab omnibus Universitatis Curatoribus sunt excepti. Reversis deinde Deputatis statim postero die celebratum est solemne officium ob felicem reditum Serenissimi.

Die 11 Junii aetatis anno octogesimo quarto placidissime diem suum obiit Jubilaeus emeritus et totius Universitatis nostrae venerabilis Senior, quippe in qua per annos quinque et quinquaginta Medici experientissimi et diligentissimi Professoris partes omnes explevit, clarissimus *Franciscus Antonius Ferdinandus* **Stebler,** Monachii 20 Maji 1705 natus, Philos. et Medicinae Dr., Pathologiae, Therapiae ac Medicinae forensis Prof. p. o., Serenissimi Electoris Bavariae Consiliarius aulicus et eminentissimi S. R. E. Cardinalis Joannis Theodori Principis et Episcopi Frisingensis Archiatrus in Annalibus hisce jam multoties laudatus. Qui quantum in scientiis medicis praestiterit, et scripta loquuntur et honorum tituli, quibus vir pretiosissimus est decoratus. Praeter duas supra jam memoratas, quibus anno 1772 Jubilaeum academicum illu-

Ao. 1789. stravit, commentationes jam aliquanto prius typis erant impressae: *Optima seu non annorum sed virtutum numero computata Medici aetas deducta*, Ingolst. 1736. 4; *An modice vivere sit misere vivere?* Ibid. 1737. 4; *An et quomodo verum sit: Dat Galenus opes,* ib. 1738. 4; *Galenus per anagramma Angelus, num bonus an malus in medicina habendus sit?* ib. 1739. 4; *Aristoteles atomista, seu Principiis apud Atomistas explicari solitis conformis est omnino Aristotelis doctrina,* ib. 1740. 4; *In medicina dogmatica de Novitate triumphans Veritas,* ib. 1748. 4; *In medicina dogmatica de Auctoritate triumphans Ratio,* binis discursibus auditorio academico propos., ib. 1749. 4; alia.

Salario per *Stebleri* obitum disponibili praenobilis ac clarissimus *Philippus Fischer* Serenissimi Electoris Archiater, quem jam septennio ante Chirurgiae Professorem p. o. fuisse designatum commemoravimus, nunc demum 13 Junii in cathedram vacuam immissus praelectionum suarum initium fecit. Quum autem Serenissimus decrevisset, ut Vir iste Sibi carissimus non solum plenum ordinarii Professoris stipendium et cetera cum voto ac sessione connexa emolumenta perciperet, sed etiam praecedentiam in gremio Collegarum secundum senium obtineret, et id quidem a 16 Februarii 1777, quo die et anno scilicet eundem Consiliarium medicum nominarat, computare placuisset; Senatus academicus id aegre ferens ad intimam Universitatis Curatelam conqueritur obtestans, quod ex antiquissima pluribusque adeo clementissimis rescriptis munita observantia quicunque Professorum in cathedram ordinariam successerit, novissimo inter Collegas ejusdem Facultatis loco contentus esse debebat. Quodsi vero pro hac sola vice et absque omni in posterum praejudicio exceptio quaedam facienda foret, Patres conscriptos lubentissime decreto velle acquiescere. Etenim ab iis, quorum potissimum interesset, Professoribus cum bona pace impetratum esse, ut ultro cederent viro optime merito. Ad haec suprema Curatoria sub 18 Julii rescripsit, Serenissimum Electorem tam diuturnae quam praetendant consuetudini nihil velle derogare, nec quidquam in praejudicium ejus esse susceturum, ea tamen sibi reservata lege, ut etiam Professores, si qui in alia dicasteria seu collegia Principis transferri velint aut promoveri, simili modo ceteris ibidem Collegis postponantur.

Ao.
1789.

Josephus Burgholzer, Moosinninganus Bojus, Philosophiae Doctor, ob egregiam, quam superiori anno in novem majoribus foliis Monachii ediderat, Chartam Bavarico-historicam a Facultate juridica Licentiatu praemii causa donatus est.

Mense Augusto plurimum reverendus ac clarissimus *P. Carolus* **Klocker**, per annos quatuor SS. Canonum Professor p. o., improviso a cathedra et Universitate decessit. Quum enim ejus dissertatio „*De clausula Aschaffenburgensi*“ summis Curatoribus Universitatis minus esset probata, reverendissimo Abbati Benedictoburano datis a Serenissimo Electore die 25 Augusti literis insinuatum est, ut illum in monasterium revocaret. Quae sententia ingentem fere ubique movit dolorem; nec solum plures illius Collegae alius alium potentissimum quemque ex intimis Universitatis Curatoribus supplicarunt, sed etiam *Amandus* reverendissimus Abbas Benedictoburanus defensionem solidissimis fundatam rationibus ad manus Serenissimi commisit. Praeterea perillustris *Casparus Kandler* tunc temporis Prodecanus suo et totius juridicae Facultatis nomine commendatitias ad reverendissimum D. Episcopum *de Haeffelin* dedit literas, imo etiam devotissima a Rectore Magnifico omnibusque Professoribus Consiliariis Electoralibus cum ecclesiasticis tum aulicis actualibus subscripta intercessio ad excellentissimum atque illustrissimum D. *Julium Caesarem* Archiepiscopum Athenarum et apostolicae Sedis pro terris Palatino-Bavaricis Nuncium Monachii residentem directa est. Sibi, aiunt, non esse in animo, doctrinam in ista dissertatione ex scriptis aliorum in orbe catholico consummatissimorum Doctorum recoctam cum debita submissione ad superiorem judicem non remittere; id tamen sibi persuasum esse, siquid in ea dissertatione foret, quod non ad genium omnis terrae sapiat, id certo nullo pravo consilio sed incuria auctoris fuisse interpolatum. Liceat sibi insuper contestari, dictum Professorem esse impigerrimum ad labores academicos, ejusque praelectiones frequentibus auditoribus utilissimas haberi; illum leni esse et remisso animo erga Collegas suos, studiosamque juventutem verbis et exemplis ad virtutem allicere, denique satis sibi superque esse compertum, eum acerrimum defensorem jurium potestatis sacrae non minus quam politicae qua data occasione existere. Ad haec illustrissimus Nuncius apostolicus 3 Cal.

Ao.
1789. Octobr. respondit, esse Patri Carolo Klockero maxime gratulandum, quod occasione reditus ad suum monasterium tam honorabiles attestationes acceperit et de se desiderium reliquerit. Atvero ita decet virum religiosis obstrictum votis, toties quoties opus fuerit ad sua claustralia septa non tantum incunctanter sed etiam perlubenter remeare, cum quaecunque ab iis absentia, licet ad longum tempus studiorum causa concessa, tamen nonnisi privilegiata exemtio semper temporanea consideranda sit. Quidquid igitur in vulgum feratur pro causa Serenissimi Electoris decreti (ut epistola innuit), id extraneum sibi porro videri, ut ulterius discutiatur. Sufficere, ut agatur de monacho, cui si commissum fuerit ad lares professionis suae redire, hoc quidem pro instituto non pro alicujus ignominiae nota interpretandum esse. Iteratis postremo a Facultate consultissima ad ipsum Electorem precibus, die 29 Octobris per intimam Universitatis Curatelam rescriptum est, Serenissimum a decreto dimissionis nullo pacto velle decedere, neque ullam ea de re recipere remonstrationem. Videat igitur Directorium, ut ad vacuam cathedram alium idoneum successorem inveniat, et eum quidem ob imminentem novum annum scholasticum sub termino octo dierum designet. *Klockerus* autem, cum omnem sibi ad nos redeundi spem vidit ademtam, literas saltem testimoniales a nobis petiit atque impetravit his verbis: „Nos Rector, Doctores, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Pa„latino-Bavarici Consiliarii aulici et ecclesiastici actuales ac in „alma catholica et Electorali Universitate Anglipolitana Professores „hisce notum testatumque facimus, quod plurimum reverendus ac „praenobilis Dominus Pater Carolus Klocker, Benedictinus Bene„dictoburanus, SS. Theologiae et Juris utriusque Doctor, per id „tempus, quo in praefata celeberrima Universitate nostra munus „Professoris Juris canonici obiit, non solum ex cathedra tanta „doctrinae et eruditionis soliditate atque in explicando methodi „claritate docuerit, ut ejusdem auditores in ipsius praelectionibus „publicis summum reportaverint fructum, verum etiam in aliis „quotidie occurrentibus exercitationibus practicis et laboribus aca„demicis impigerrimum sese exhibuerit. Ac sicut praeterea tam „in professionis suae quam aliis sibi concreditis negotiis cum as„sidua industria indefessum quoque conjunxit studium, ita etiam

Ao. 1789.

„talem morum et vitae integritatem animique candorem semper „praesetulit, ut maximum de se desiderium in nobis reliquerit. „Hinc eidem plurimum reverendo ac praenobili Domino Patri *Ca-* „*rolo Klocker* petitas hasce vitae suae apud nos actae literas testes „sub Universitatis nostrae sigillo majori et Notarii academici manu „propria expediri lubentissime curavimus. Ingolstadii die 9 mensis „Novembris ao. Dmni 1789.“ De reliquis vitae fatis hujus gratiosissimi viri parum habeo addere. Biennio postquam in monasterium rediit, ad S. Emmeramum Ratisbonae et proximo inde anno ibidem in Lyceo Juris canonici Professor designatus est. Scripsit ibi dissertationem s. t. *„Von den Barschalken in Bayern“* proposito praemio donatam et in *Novis historicis commentationibus* Electoralis scientiarum Academiae Monacensis T. V. p. 387 sqq. evulgatam. Anno denique 1796 mense Martio in conventu Capitularium ultimus Abbas Benedictoburanus electus est; sublato vero monasterio suo non ultra biennium superstes 22 Junii 1805 diem obiit supremum.

Reverendissimo autem *Klockero* in cathedram Juris canonici vi clementissimi decreti dd. 7 Novembris successit religiosissimus plurimumque reverendus *P. Beda* **Aschenbrenner**, Haselbacensis Bojus, 6 Martii 1756 natus, qui O. S. B. in monasterio Oberaltacensi professus jam Neoburgi et Straubingae per quinquennium Artem poëticam totidemque fere annis in Abbatia sua Jus canonicum et Historiam ecclesiasticam docuerat atque etiam *„Elementa praelectionum canonicarum“* tribus tomis absolutum, item *„Breviarium Historiae sacrae“* intra annos 1786—1789 Ratisbonae typis publicis ediderat.

Proponente summo Collegio medico Monacensi Serenissimus Elector die 16 Decembris praenobili ac doctissimo *Josepho* **Fleischmann** D. Medicinae ejusdemque apud nos per novem annos Professori extraordinario Physicatum Gubernii Ambergensis clementissime conferre dignatus est.

Postremo in historia academica literaria hujus anni memoranda sunt opuscula, quae Professores typis ediderunt;

in Facult. *theolog.*

Wolfg. **Froehlich**, Diss. An Bossuetus vere sit auctor libri, cui titulus: Defensio Gallicanae declarationis &c., Ingolst. 4.

Ao.
1789. *Aemil.* **Reiff,** De originibus typographicis, Progr. III., Inglst. 4.
Sebast. **Seemiller,** Bibliothecae academ. Ingolstadiensis Incunabula typographica, Fasc. III, complect. libros ab ao. 1484—1489 impressos, Ingolst. 4.
Steph. **Wiest,** Demonstratio dogm. theol. cathol. sive Institutionum theolog. T. V et VI (ultimus), qui continent P. II et III Theologiae dogm. special., Ingolst. 8. — Progr. historico-theolog. I & II: De Wolfgango Maria Abbate Aldersbacensi Ord. Cisterc. &c., ib. 4.

in Fac. *philos.*
Fr. de Paula **Schrank,** Die bayerische Flora, opus h. a. II tomis absol.

ANNO DOMINI MDCCXC.

Ao.
1790. Rector DXL: **Cosmas Damianus** KLOSNER, Philos. & Med. Dr., Electoris Palatino-Bavarici Consiliarius aul. act. et statuum provincialium pro circulo Ingolstadiensi Physicus; Medicin. forensis Prof. p. o. IIdo

Inscripti 108.
Illustres: *Carolus* **L. B. de Widmer,** Monacensis.
Maximilianus Josephus **L. B. de Gravenreuth** in Purk et Haag; Vilseckensis Franco.
Sebastianus **L. B. de Schrenk** in Hillstaedt, Palatinus.
Clemens **L. B. de Leyden** in Affing, Berg, Essenbach; Ellwacensis Suevus.

Novi Profess. *Josephus* **Oeggl,** Canonicus Domicellaris Straubinganus; Theologiae Prof. extraordinarius.

Ao.

P. Rhaphaël **Thaller**, Benedictinus Weihenstephanensis; Theologiae practicae Profess. p. o. 1790.

P. Georgius **Schneller**, Benedictinus Oberaltacensis; S. Theologiae moralis et pastoralis Prof. p. o.

Novi DD.

4 Jun. *Raphaël Thaller* } O. S. B. Proff. designati } *Theol.*
22 Nov. *Georg. Schneller* }

6 Aug. *Joannes Graf,* Neuneggensis Palatinus, } *Medic.*
13 Aug. *Fr. de Paula Lechner,* Monacensis, }
1 Sept. *Lucas Mussinan,* Viechtachensis Bojus, }

4 Jun. *P. Raphaël Thaller,* O. S. B. Weihenstephan., Theol. moralis et pastoralis in hujate Acad. Prof. design.,
12 Jul. *Nicolaus Carron Du Val,* Donauwörthanus Bojus,
— *Jacobus Mehlsteibel,* Neohofiensis Boj.,
— *Fr. Xaverius Kagerer,* Ingolstadiensis,
— *Gabriel Ziegler,* Ambergensis Palatinus, } Sacerdotes
— *Maximilianus Chardée,* Monacensis, }
— *Francisc. Stich,* Pfreimdensis Palatinus, Diaconus } *Philos.*
— *Josephus Eberle,* Monacensis,
— *Antonius Weinseisen,* Berchtolshofiensis Palatinus,
7 Aug. *Fr. Samuel Schwab,* Ambergensis, Beneficiatus curatus ad S. Martinum ibidem,
22 Nov. *Georgius Schneller,* O. S. B. Oberaltacensis, Theol. moralis et pastoralis in hujate Academia Prof.
— *Petrus Puchstett,* Canonicus regularis Rohrensis, in Gymnasio hujate academico supremae Gramm. Prof.

Inter Inscriptos hujus anni praeter Illustres supra laudatos eminuere *Jacobus Distlbrunner,* Monacensis, Rhetorices Stu-

Ao. 1790. diosus, postea Ordinis civil. merit. de Coron. Bav. Eques et Regiae Majestatis archiatrus; *Carolus S. R. I. Eques de Hellersberg,* Burghusianus Bojus, Physices Studiosus, non ita multo post celeberrimus Ingolstadii & Landishuti Jurium Professor; *Anselmus Rixner,* Benedictinus Mettensis, Jur. utr. Candidatus, sequiori tempore meritissimus in Lyceo Ambergensi Philosophiae Professor.

Ex decreto Serenissimi dd. 9 Januarii plurimum reverendus *Josephus* **Oeggl**, Philos. et Theol. Dr, Ecclesiae Collegiatae Straubinganae Canonicus, qui integro quinquennio in hac alma Universitate Subbibliothecarium egit et ob praeclaras in philologia scientias industriamque indefessam junctam cum integerrimis moribus omnium comprobationem sibi conciliavit, Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et Philologiae Professor extraordinarius, sed in praesens absque salario designatus est.

Decimo sexto Januarii perillustris *Heribertus* **de Grafenstein,** Metaphysices Professor, Decanum suum conveniens attulit sequentem copiam clementissimi mandati, quod ad *D. Aemilianum* **Reif,** Decanum theologicae Facultatis ab intima Curatela fuit demissum: „Dem sicheren Vernehmen nach hat der Canonicus *Degen* allschon im vorigen Jahre die Epikuräischen Sätze *Grafensteins* öffentlich defendirt, und sich unlängst viele sowohl Glaubens- als Sittenlose Bücher angeschaft. Dem Professor *Reif,* Decano Facultatis Theologiae, wird also die specielle Commission übertragen, mit Zuziehung des Universitäts Notarii eine ganz unversehene Bücher-Visitation und Beschreibung bei ermeldtem *Degen* vorzunehmen, denselben, soviel die unzulässige Bücher betrift, hierüber zu constituiren, und das Protocoll anhero einzuschicken.“ Quum ex hisce pateat, Dominum *de Grafenstein* Epicureismi esse accusatum, isque a Facultate sua peteret auxilium, conscripta est ad supremam Curatelam remonstratio prolixa, actorum et argumentorum monumentis authenticis munita, quibus Facultas philosophica demonstravit luce clarius, nihil ab eo aliud doceri, nisi quod semel atque iterum ab ipso supremo loco praescriptum est. Interea Domino Professori **Froehlich** nocturno insultu fenestrae lapidibus fuerunt confractae. Quod inde fortasse evenit, quia plurimi Academici suspicionem habuere, *Froehlichium* delatorem fuisse occul-

Ao.
1790.

tum Domini *de Degen*, qui a Decano theologico *Aemiliano Reif* et publico Universitatis Notario inopinato praeoccupatus et libros omnes quos habuit ostendere coactus est. Addunt, Dominum Commissarium hac occasione in conficiendo catalogo librorum Domini *de Degen* non bene potuisse discernere inter lepram et lepram, unde factum esse dicunt, libros quoque nigro calculo fuisse notatos, quos bonus juvenis *de Degen* quondam praemiorum loco in publicis scholis acceperat. Interim Professor *Fröhlich* suspectos sibi Academicos publice prostituit. Etenim lapides secum in Collegium suum publicum occulte tulisse dicitur, et finita praelectione duos ex auditoribus suis, quos nocturni insultus suspectos habuerat, provocasse et utrique lapidem dedisse dixisseque, ut in sequenti nocte id ipsum facerent, quod praeterita fecissent. Quo facto hi duo Theologiae Candidati actionem injuriarum formalem instituerunt et Professorem ad proferendos testes provocarunt. Commissarius erat Professor jurium *D. Franciscus* **Siardi.** Verumtamen argumenta *Fröhlichii* in exceptione allata non ejusmodi erant, ut suspectos Studiosos facti potuissent convincere. His igitur aliisque cum se circumventum videret molestiis plurimum reverendus ac doctissimus *P. Wolfgangus* **Froehlich,** Consiliarius ecclesiasticus et S. Theologiae dogmaticae secundarius in hac Universitate per novem annos Professor p. o. sua sponte necdum impetrata Electorali licentia in monasterium suum sese recepit. Postero anno Romam perrexit, unde demum sexennio in Congregatione S. Benedicti Cassinensi peracto Ratisbonam rediit, ibique rursus Professoris partes suscepit. Obiit 1812. Ejus autem in hac nostra Universitate cathedra Theologiae nempe dogmaticae pomeridianae sive secundariae ex decreto Serenissimi dd. 10 Februarii h. a. cum primaria unita est, ut unus duntaxat in posterum Professor Dogmaticam publice traditurus esset.

Ineunte mense Aprili religiosissimus *P. Aemilianus* **Reiff,** Benedictinus Benedictoburanus, SS. Theologiae D. ejusdemque per novem integros annos Professor p. o., ob infirmam valetudinem in monasterium suum receptus, die 9 Junii aetatis anno vixdum quinquagesimo mortem oppetiit. Huic ex clementissimo Electorali decreto die 27 Aprilis successit venerabilis *P. Raphaël* **Thaller,** Benedictinus in monasterio Weihenstephan prope Frisingam, ibi-

Ao.
1790. que jam ultra viginti annos S. Theologiae D.r et reverendorum Fratrum ejusdem Ordinis ac loci Director.

Inscrutabili Dei consilio die 23 Junii celsissimus ac reverendissimus D. **Joannes Antonius** III Dei gratia Episcopus et S. R. I. Princeps Eichstettensis idemque Universitatis nostrae Cancellarius perpetuus gravissimum morbum octo dierum mira cum patientia perpessus ex hac vita miserrima avocatus est. Exequiis inde solenniter habitis Senatus academicus illustrissimo D. **Josepho** Episcopo Principi successori congratulatus est, qui datis die 24 Octobris ad Rectorem Senatumque academicum literis benignissime cum gratiarum actione respondit suamque in eos benevolentiam iterum iterumque asseveravit.

Haec dum geruntur, causa supra memorata praenobilis *Augusti de Degen* ab intima Curatela probe discussa, attamen nihil inventum est, quod vel levissimam suspicionem in illum probaret. Quapropter non solum ipse Canonicus *de Degen* sed etiam perillustris D. Professor *de Grafenstein* ab omni culpa declarantur innocui, imo testimonium hoc innocentiae jubente Serenissimo Electore die quinto Augusti publicis etiam novellis Monacensibus insertum ideoque omnino publicatum est.

Hoc anno praenobilis ac clarissimus *Henricus Palmatius* **Leveling,** Medicinae D.r & Professor p. o. ac Serenissimi Electoris Bav. Consiliarius a S. R. I. Vicariatu in splendidissimum Ordinem equestrem promotus unacum filiis suis legitimis nobilitatus; et simili diplomate sub 13 Augusti Serenissimi nostri Consiliarius aulicus actualis et Jurium Professor p. o. D.r *Franciscus Xaverius* **Moshammer** unacum ligitima sobole inter S. R. I. Nobiles c. t. Eques de Moshamm a Penzing et Neudeck receptus est.

Supra dictus Professor *Raphaël* **Thaller,** cum vix per integrum mensem suo functus esset officio, praeter omnem exspectationem per speciale Serenissimi decretum, datum jam tertio Julii, amotus est a cathedra sua recens obtenta. Quod cum comperisset, omnes intendit vires, ut se in suo munere conservaret. Procuravit sibi in hunc finem tria attestata de vita sua inculpate aeta, videlicet a Suo Conventu, a Reverendissimo Ordinariatu Frisingensi et a celsissimo Praeside Congregationis Benedictino-Bavaricae. Haec tria testimonia de prima ac optima nota tradidit

Ao. 1790.

Reverendissimo Studiorum Directorio, petens ut causam suam agere et defensionem coram Serenissimo in se suscipere vellet. Et factum quidem est ita, sed frustra. De vera autem hujus amotionis causa hic loci nemini unquam legaliter constitit. In *Thalleri* proin locum substitutus est plurimum reverendus et doctissimus Philos. et Theol. D^r, *P. Georgius* **Schneller** natus 25 Februarii 1746 Pfaffenbergensis Bojus, Ord. S. Benedicti in monasterio Oberaltacensi professus, qui postquam proximo abhinc anno Ambergae non solum Theologiae Professor verum etiam Seminarii ibidem Inspector fuit, optimam sibi Superiorum promeruit commendationem. Is igitur die 26 Augusti Elect. Consiliarius ecclesiasticus et in Universitate nostra SS. Theologiae moralis ac pastoralis, Liturgiae et sacrae Eloquentiae Professor p. o. designatus est.

Nona Octobris Decretum manu Serenissimi propria subscriptum advenit, quo *Collegium Georgianum* a directione Consilii ecclesiastici Monacensis iterum liberatur, ejusque directio resuscitatis (ut in eodem Decreto dicitur) antiquis juribus rursus Facultati philosophicae concreditur; porro duo Universitatis Commissarii denominantur et constituuntur, nempe ex Facultate juridica Dominus *Casparus de Kandler* et ex philosophica Professor ac Parochus civitatensis inferior *Jo. Nep. Mederer;* denique Facultati philosophicae injungitur, ut jam nunc novum Subregentem in eodem Collegio constituat, cum is, qui hactenus illo officio fungebatur, beneficium suum ecclesiasticum per semet ipsum, non (ut volebat) per Vicarium debeat exercere.

Die 27 Octobris mortuus est excellentissimus et perillustris D. *Fr. Xav. Wigulaeus Aloysius L. B. de Kreittmayr* ab Offenstetten et Hatzkofen, Serenissimi Electoris a Ministris intimis, Vicariatus Imperialis Cancellarius, summus feudalitiae rei Praepositus et de hujate Academia per annos decem meritissimus Curatoriae scholasticae Praeses. In memoriam hujus jurisperitissimi Viri sexaginta fere post annos gloriosissimus ac potentissimus *Rex* **Ludovicus** *I.* aeneam in publico ambulacro suis sumtibus statuam erexit. Loco autem Defuncti vi clementissimi decreti de 17 Decembris hujus anni ad supremam Universitatis nostrae ac totius rei scholasticae Curatelam perillustris ac generosissimus D. *Fride-*

Ao.
1790. *ricus L. B. de Hertling,* Serenissimi Electoris Minister Conferentiarum et intimi Electoralis Consilii Cancellarius adlectus est.

Denique non sunt praetermittenda monumenta literaria, quae h. a. publici juris fecerunt clarissimi VV. DD. Professores, et in *theologica* quidem Facult.

Wolfg. **Froehlich,** Quis est Petrus seu Qualis Petri Primatus? Ratisb. 4.

Aemil. **Reiff,** De originibus typographicis, Progr. IV. Inglst. 4.

Sebast. **Seemiller,** Septem Psalmi poenitentiales, quos ex ipso fonte hebraico latinos reddidit, cum vulgata versione e regione posita exacte contulit et perpetuis adnott. illustravit, Ingolst. 4.

in Fac. *medica*

Phil. **Fischer,** Von der Gebrechlichkeit des menschlichen Verstandes, Monach. 4.

Henr. Maria **de Leveling,** Introductio anatomica, Ingolst. 4.

Ludov. **Rousseau,** Chemisch-mineralogische Abhandlungen, welche in die Naturlehre, Arznei-, Kameral- und Polizei-Wissenschaft einschlagen, Norimb. I Alphabet. 8.

ANNO DOMINI MDCCXCI.

Ao.
1791. Rector DXLI: **Joannes Nepomucenus** MEDERER, S. Theol. & Philos. D^r^, Serenissimi Electoris Bav. nec non Celsissimi Principis et Episcopi Eichstettensis Consiliarius ecclesiasticus actualis; Historiae universalis et patriae, Criticae, Chronologiae, Diplomaticae, Numismaticae et Heraldicae Prof. p. o., Scientiarum Academiae Monacensis socius et Ingolstadiensis ad S. Mauritium Parochus.

Ao. 1791.

Inscripti 93.

Illustres:

Josephus **L. B. de Pechmann** in Brunn et Zanth; Rengenensis Bojus.

Cajetanus **L. B. de Magerl** a Wegleuten; Reisbacensis Bojus.

Fr. Xaverius **Comes de Holnstein**, Ambergensis Palatinus.

Novi Proff.

Henricus Maria **de Leveling** *jun.*, nunc Medicinae Prof. p. o.

P. Geroldus **Bartl**, Canonicus regularis Pollinganus, Matheseos Prof. p. o.

P. Placidus **Heinrich**, O. S. B. ad S. Emmeramum Ratisbonae, Physices Prof. p. o.

P. Benedictus **Holzinger**, S. Ord. Cisterc. ex Abbatia Raitenhaslacensi; Oeconomiae publicae, rei mercantilis et Technologiae Prof. p. o.

Andreas **Rohr**, Pfelkofensis Bojus; Jurium Prof. extraordinarius.

Josephus **de Sasso**, Burghusianus Bojus; Jurium Prof. extraordinarius.

Novi DD^r	2 Aug.	*Andreas Rohr* } Jurium Proff. extraord.	*Jur.*
	—	*Joseph. Sasso* } jam designati,	
	16 Aug.	*Aloysius Winter*, Badenbadensis,	*Medic.*
	17 Aug.	*Jos. Haberl*, Möhringanus Palat.,	
	16 Mart.	*Joan. Bapt. Spanger*, Romanensis ex foro Juliae, Beneficiatus Frisingensis,	*Philos.*
	7 Aug.	*Antonius Koenigsbauer*, Pfarrkirchensis Bojus,	
	—	*Michaël Kornpropst*, Lizensis Franco,	
	—	*Franciscus Thaddaeus Gottfried*, Ingolstadiensis Bojus,	
	—	*Placidus Heinrich*, Eccl. ad S. Emmeram. Ratisbon. Capitularis, scientiarum Academiae Monacensis et	

Ao. 1791.

Societatis meteorologicae Manhemiensis Sodalis, Philos. et Mathem. in hac alma Univers. Prof.

7 Aug. *Jos. Aloys. Rink*, Weissensteinensis Suevus, Parochus in Böhmkirchen, Notarius Caesarius &c.

— *Ge. Ant. Weitzenbeck*, Vet.-Oettinganus Boj., Societatis oeconomicae Burghusianae Sodalis, Sacerdos curatus,

— *Nicolaus Karner*, Mittenwaldensis Boj., Presbyter curatus,

— *Nicolaus Ziegler*, Pfarrkirchensis Boj.,

— *Joseph. Gräzl*, Straubinganus, Eccl. colleg. ad S. Martinum Landishuti Canonicus domicellaris, } *Philos.*

— *Ant. Mayr*, Beilngriesensis Franco, Philos. II anni Candidatus,

9 Sept. *Georg. Leonard. Auer*, Consil. eccl. Ratisbon. & Parochus in Feldkirchen,

14 Nov. *P. Benedict. Holzinger*, Ord. Cisterc. Raitenhaslacensis, Technologiae in hujate Academia Prof. design.

— *Geroldus Bartl*, Canonicus reg. Pollinganus, Matheseos Prof. design.

— *Aloys. Kern*, Canonicus capitul. Pedeponti, in hujate Gymn. Gramm. I. Prof.

20 Dec. *Andr. Führer*, Monacensis, Canon. domicell. ad S. Andream Frisingae,

Ex Inscriptorum numero specialiter notari meretur praenobilis *Aloysius Winter*, Rastadiensis Suevus, Medicinae Cand.; postea Ordinis civil. merit. de Corona Bavar. et Caesar. Austriaco-Lepoldini Ordinis Eques, summi Collegii medicinalis Consiliarius et regius Archichirurgus.

Ao. 1791.

Ad submississimas preces Domini *de Roethlein* tunc temporis familiae Penzianae Senioris, ut stipendium jam ao. 1579 a reverendo *Penzio* Canonico Passaviensi in Collegio Georgiano fundatum ab eo stipendio, quod *Eisengreinius* olim legarat, sejungeretur, et ad Fuldensem Academiam transferretur, sub 17 Martii clementissime rescriptum est, translationem quidem stipendii Penziani, quum ex intentione piissimi Fundatoris Ingolstadii debeat in perpetuum remanere, nequaquam posse concedi; quod autem ad separationem ejus a stipendio Eisengreiniano, utpote pro solis clericis fundato, attinet, nihil omnino esse quod impediat, quominus istis precibus indulgeatur, cum praesertim Serenissimo Electori nunquam in mentem venerit, hujusmodi confusionem clericalium stipendiorum et laicalium Collatoribus invitis irrogare.

Henricus Maria S. R. I. Nobilis **de Leveling** in saluberrima nostra Facultate Professor extraordinarius nunc clementissimo decreto Electorali dd. 6 Aprilis Anatomiae, Physiologiae et Diaeteticae ordinarius Professor designatur ea tamen expressa conditione, ut praerogativis atque emolumentis, queis ordinarii alias gaudent, ad tempus careat, donec ordinaria cathedra vacaverit. Quae tamen sententia per rescriptum ad instantiam petentis die 3 Septembris subsecutum ita explicatur, ut Serenissimus Elector Henricum de Leveling juniorem ab iis duntaxat emolumentis velit esse exclusum, quorum participatio ceteris Professoribus ordinariis praejudicium quoddam aut detrimentum afferret. Quare istam conditionem neque de senio neque de voto decisivo aut activo ad electionem rectoralem esse intelligendam, siquidem haec omnia utique jam cum ipso officio ac munere ordinarii Professoris cohaereant.

A spectatissimo Domino *Decano consultissimae Facultatis* fuit relatum, quod quidam jurium Candidati nimis sero, mensibus videlicet Januario, Februario, imo Aprili huc advenire soleant, id quod a Candidatis tertii ut vocant anni plerumque practicari assolet. Deliberatum igitur est de remedio huic malae consuetudini ferendo ac denique conclusum, ad finem anni scholastici ad valvas academicas affigendum esse publicum proclama, quo omnibus severissime inculcatur, ut ad initium mensis Novembris huc comparere satagant sub poena statuta et certo certius executioni

Ao. 1791. danda, ut scilicet sero advenientes necdum in prima inscriptione sexta circiter Novembris habenda praesentes eo anno non amplius ad studia admittantur.

Andreas **Rohr,** Pfelkofensis, et *Josephus* **Sasso,** Burghusianus, Boji Juriumque Licentiati ac Repetitores publici ad iteratas supplicationes vi clementissimi decreti dd. 19 Aprilis Professores extraordinarii designantur ea tamen expressa reservatione, ut nihil sibi de juribus et praerogativis Ordinariorum arrogare praesumant, nec quidquam salarii ex aerario Universitatis accipiant, sed solis ex praelectionibus honorariis contenti suo tempore de ordinaria si qua vacaverit cathedra ceteris paribus competant. Obortа autem inter utrumque de senio et praecedentia dubitatione, intima Universitatis Curatoria die 3 Septembris rescripsit, Serenissimum non inconsulto jam in decreto promotionis primo loco nominasse Rohrium Professorem, utpote aetate non solum physica sed etiam officii, quo tanquam Repetitor publice fungebatur, ideoque eundem senio et praecedentia significasse potiorem.

Acceptis a potentissimo Domino Electore literis d. 21 Junii nunciatur, sibi pro certo esse delatum, quod *Fr. Xaverius L. B. de Prielmayer* Jurium Candidatus proxime elapso festo S. Ivonis in Ecclesia academica inter Missae solemnia Orationem et eam quidem lingua vernacula habuerit, in qua non solum omnes religiones esse tolerandas asseverarit, verum etiam pro confirmanda hac temeraria propositione ad Praeceptorum suorum auctoritatem provocaverit. Cum autem Serenissimus longe absit, ut sententias ejusmodi erroneas et offensionis plenas palam effutiri atque propagari patiatur, Senatus academicus jubetur, diligentissime inquirere ac referre, an omnino sit oratio ista et a quo Professore recensita, et quinam sint, qui dictam thesin in scriptis aut praelectionibus suis audeant docere. Itaque L. B. de Prielmayer lege interrogatus tradita confestim quam peroraverat autographa oratione ad manus Magnifici Rectoris ingenue profitetur, esse illam ex iis potissimum libris, quos a Patre *Beda Aschenbrenner* reverendo suo Professore commodatos habuit, compilatam et a perillustri Domino *Francisco Spengel* juridicae Facultatis p. t. Decano recensitam. Interrogatis etiam hisce Professoribus et assertis eorum in tabulas consignatis acta integra ad intimum Electorale

Ao.
Consilium ecclesiasticum transmissa sunt, et in annum posterum 1791.
ibi retenta. Re denique penitius disquisita 24 Martii 1792 ad mandatum Serenissimi proprium omnes ejus rei participes cum gravissima objurgatione commoniti sunt, ne in posterum tale quidquam auderent committere, alioquin severius in eos esset animadvertendum.

Plurimum reverendus ac doctissimus *P. Benedictus* **Holzinger,** patre Musico Electorali aulico Monachii 25 Junii 1753 natus et adolescens undeviginti annorum in monasterio Raitenhaslacensi Cisterciensium Ordinis sacra professus sacerdotioque initiatus, jam ab anno inde 1781 in Lyceo Burghusiano Philosophiam publice tradiderat Rectoris quoque munere functus, cum per decretum Serenissimi d. 3 Septembris ad Universitatem nostram et in cathedram eamque novam de Oeconomia publica promotus est.

Eodem tempore plurimum reverendus *Josephus Hallmayr,* Philos. et utr. Juris D.r ac per novem annos Seminarii Georgiani Regens, jam vero Consiliarius consistorialis et Capellanus aulicus Eichstettensis designatus, ad preces suas ab officio, quo hucusque maxima cum religione et fide fungebatur, 9 Septembris clementissime dimittitur; et ejus loco doctissimus *Josephus Oeggl,* Philologiae Professor extraordinarius et Universitatis Subbibliothecarius nominatur.

Praenobilis ac clarissimus *Jo. Nepom. Godofredus* **Krenner,** Consiliarius aulicus actualis et Jurium Professor datis ad Serenissimum supplicibus literis ultro confessus et humillime deprecatus est, quod cum Illuminatis aliquamdiu habuisset commercium, ac proinde enixe petiit, ut se poenitentem in gratiam recipiat, et ad alia munera probatum habeat atque declaret. Quod quidem a clementissimo Principe per rescriptum dd. 3 Octobris facile impetravit adjecta tamen gravi commonitione, ut totus ab ista pestifera et abominanda secta recedat; alioquin fore ut ausus suos severius aliquanto luat, quam in edicto adversus Illuminatos dd. 15 Decembris superioris anni pronunciatum est.

Hoc anno plurimum reverendus *P. Vicelinus* **Schloegl,** Philos. et SS. Theol. D.r ac sedecim per annos in hac alma Universitate primum Aestheticae et Eloquentiae postea Matheseos Professor p. o. vi decreti Electoralis sed nulla addita causa amotus abiit, ex quo

Ao.
1791. tempore in monasterio suo Pollingano Matheseos Professor et speculae ibidem astronomicae Inspector ad saecularisationem usque vitam egit, denique Augustae Vindelicorum ad S. Udalricum parochus 12 Februarii 1811 pientissime mortem oppetiit. Successor ei in cathedra nostra mathematica die 9 Novembris anni currentis datus est admodum reverendus *P. Geroldus* **Bartl**, Habbacensis Palatinus 5 Maji natus, Canonicus et ipse regularis Pollinganus nec non SS. Theol. et Philos. D.r et Elect. Consiliarius ecclesiasticus actualis.

Calendis Decembris reverendissimus *P. Coelestinus* **Steiglehner**, celeberrimi monasterii ad S. Emmeramum Ratisbonensis Praesul electus atque ita ad illustrissimam S. R. I. Principis et infulati Abbatis dignitatem promotus ab hac alma literarum Universitate discessit relinquens post se ingens omnium desiderium. Praeterquam enim quod numerosissimum cujuslibet ordinis ad suas praelectiones attraxerit auditorium ac doctrinae soliditatem mira claritate temperaverit, singulari etiam studio religionis et eximia morum comitate simul ac probitate omnium animos sibi conciliavit, Vir Deo dilectus et hominibus, cujus extrema vitae fata laudesque succincte contexuit Professor Jos. Placidus Heinrich. Mortuus est Princeps Abbas Ratisbonae dudum jam Jubilaeus Sacerdos meritorum non minus ac dierum plenus die 21 Februarii 1819 aetatis anno octogesimo primo. „Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enunciabit Ecclesia.“

In vacuam per abitum *Coelestini* Abbatis cathedram 17 Decembris immissus et Physices, Astronomiae et Meteorologiae Professor p. o. nec non Electoralis Consiliarius eccles. designatus est plurimum reverendus et religiosissimus *P. Placidus* **Heinrich**, Schirlinganus Bojus, 19 Octobris 1758 natus et 1776 regulam O. S. B. in principali ad S. Emmeramum monasterio Ratisbonensi professus, qui jam ante quam ad nos pervenit, ab anno 1785 inde Philosophiam et Mathesin Novitios in coenobio suo docuit et elucubratis nonnullis iisque proposito praemio ornatis inclaruit commentationibus, quas Scientiarum Academia Monacensis in Novis suis operibus philosophicis Tomo V et VI evulgandas curavit.

Ao. 1791.

De multiplici Professorum nostrorum eruditione luculentum nobis praebent testimonium Scripta, quae typis publicis hoc anno ediderunt

in Fac. *theologica*

Sebast. **Seemiller,** Quindecim Psalmi graduales, quos ex ipso fonte hebraico latine reddidit, c. versione Vulg. contulit et annotationibus illustravit; Ingolst. 4. — De vita et scriptis Joannis Angeli Aichachensis Boji Dissert. qua ad dignitatem S. R. I. Principis et Abbatis viro meritissimo Coelestino Steiglehner gratulatur; ibid. 4.

Steph. **Wiest,** Institutiones Theologiae dogm. in usum acad. T. I (Dogm. general.) et II (Dogm. special.) ab ipo auctore e majori opere compilatae et in compendium redactae; Ingolst. 8.

in Fac. *juridica*

Fr. Xav. **de Moshamm,** Ueber das Bierbraurecht in Bayern, Ingolst. 8.

in Fac. *medica*

Palmat. **de Leveling,** Historia chirurgico-anatomica Facultatis medicae Ingolstad. ab Universitate condita usque ad a. 1788; Ingolst. 4.

in Fac. *philos.*

Jo. Nep. **Mederer,** De villa Ingoldestat, Schedion historicum, quo ad publicam Statutorum acad. promulgationem praefatus est 31 Januar., Ingolst. 8.

Fr. de Paula **Schrank,** De somno plantarum, ib.

Ao. 1792.

ANNO DOMINI MDCCXCII.

Rector DXLII: **Sebastianus** SEEMILLER, Canonicus regularis Pollinganus, S. Theol. D^r^, Serenissimi Electoris a Consiliis eccles. actualibus; S. Scripturae et Linguarum orientalium Prof. p. o., Universitatis Bibliothecarius et Elect. Seminarii Inspector.

Inscripti 116.

Illustres:
Maximilianus Emanuel **Comes de Loesch** ab Hilgertshausen et Stein, Hilgertshusanus Bojus.
Carolus et *Ludovicus* **Comites de Berchem,** Burghusiani Boji.
Joannes Nepom. **L. B. de Donnersberg,** Iglingensis Bojus.
Carolus **L. B. de Stingelheim** de Kürn, Schoenberg &c.; Kürnensis Palatinus.
Jac. Anton. Fr. Xav. Josephus **L. B. de Hertling,** Manheimensis Palatin., Canonic. Eccl. equestr. in Wimphen et ad S. Martinum Wormatiae.

Novi Proff.
Georgius Augustinus **Bertele,** Ingolstadiensis, Medicinae Prof. p. o.
P. Dietramus **Mauser,** Canonicus regul. Dietramszellanus, Aesthetices Prof. p. o.

Novi DD^rr^ 13 Aug. *Augustus Jos. de Degen,* Philos. D^r^, Patritius et Canonicus ad D. Virg. Monacens., — *Theol.*

8 Aug. *Augustinus Bertele,* Ingolstadiensis, Legionis pedestris XI Palatino-Bav. Chirurgus primarius — *Medic.*
— *Christophorus Maendl,* Ambergenses
— *Andreas Merkl,* Palatini

m. Mart. *Jac. Ant. Xav. Jos. S. R. I. Lib. Baro de Hertling* (vd. supra), — *Philos.*

Ao. 1792.

9 Aug. *Jos. de Brentano a Moreto,* Ingolstadiensis,
— *Carol. Ludovicus de Degen,* Manhemiensis Palatinus,
— *Max. Jos. Mayr,* Elect. Consiliarius eccl., Parochus in Hohenthan,
— *Carolus Georgius Rieder,* Decanus et Paroch. in Rosenheim,
— *Jos. Carol. Braun,* Landishutanus, et ibid. ad S. Martini Canonicus,
— *Sebastianus Karges,* Mosbacensis Palatinus, Sacerdos, } *Philos.*
— *Carolus Wirth,* Ratisbonensis, Theologiae Cand.
— *Antonius Primbs,* Niederaltacensis Boj., Theol. Cand.
— *Josephus Klöckl,* Pötmesensis Boj.,
— *Josephus Morasch,* Pförringanus Boj.,
— *Emmeramus Toni,* Gerzensis Bojus,
12 Nov. *Josephus Hazl,* Furthensis Boj., Seminarii cleric. Frising. Director,

Inter eos, qui hoc anno laurea doctorali insigniti sunt, praecipue memoratu dignus videtur praenobilis *Augustus Josephus S. R. I. Eques de Degen,* qui per integrum sexennium in hac alma Universitate philosophicis, theologicis et juridicis disciplinis cum ingenti laude operam dedit, 13 Augusti habita dissertatione „*De jure patronatus Serenissimorum Ducum Bavariae*“ (typis edita Ingolstadii in 4^to^) ad summos etiam in SS. Theologia honores promotus est.

Quarto Januarii in Concilio pleno relatum est a Decano medico *Henrico Palmatio de Leveling* de rebus a Deputatione Ratisbonae gestis. Jam enim decimo septimo Decembris anni superioris, cum novus ad S. Emmeramum Princeps Abbas **Coelestinus** suam electionem Universitati nunciaret et sui loco *Placidum Heinrich* successurum in Universitatem significaret, conclusum fuit a Patribus academicis, gratulandum illi esse scriptis literis, simulque

Ao.
1792. imminentibus feriis natalitiis mittendam Deputationem, quae vota Universitatis coram esset explicatura. Erant autem Deputati Sebastianus *Seemiller h. a. Rector* Magnificus, Henricus Palmatius a *Leveling* Decanus medicae et Fr. de Paula *Schrank* philosophicae Facultatis Decanus. Decanus autem juridicus Casparus de *Kandler* varia causatus atque adeo rem totam in vitium trahere conatus domi remansit. Itaque vigesimo sexto Decembris Ratisbonam pervenerunt, ibique in ipso monasterio, quum eos adventuros esse jam ante dies aliquot innotuisset, amicissime recepti sunt. Coenantibus Princeps ipse supervenit, et posita quasi dignitate sua pro veteri consuetudine cum suis antehac Collegis confabulatus est. Postero die solemni ritu tres Deputati Principem accesserunt causam sui adventus exposituri novamque dignitatem congratulaturi. Is autem et gratias pro praestito sibi ab Universitate honore retulit amplissimas et aegre se ab illa dimoveri contestatus atque amisissimum sibi virum (nobis suis in rem physicam meritis longe clarissimis jam alias notissimum) *P. Placidum Heinrich* sui loco missurum iterum professus est. Finito sermone Decanus philosophicus dissertationem suam, quam celsissimo Principis nomini inscripsit, *„De somno plantarum affinibusque in regno vegetabili phaenomenis“* obtulit. Sub meridiem splendidissimo prandio accubuere Professores. A prandio autem philosophicae Facultatis Decanus de sociorum consilio reverendissimum **Josephum Conradum** Principem et Episcopum Ratisbonensem pro veteri necessitudine convenit, rogans horam ut indicet, qua eum Deputati salutent. Sed responsi loco Princeps Episcopus Decanum sociosque ad prandium in sequentem diem invitavit. Quo igitur die circa mediam secundam magnifico curru ad aulam episcopalem vecti salutato Principe mensae accubuerunt. Constituerat autem Deputatio 29 Decembris domum repetere; verum negavit Princeps Abbas *Coelestinus* id se prius permissurum, quam negotia sibi aeque ac ipsis nota praesentiam eorum Ingolstadii exigerent. Tandem die 31 Ratisbona discesserunt. Pridie autem ejus diei ad vesperum, cum Principi essent valedicturi, parata erant, quae Celsissimus Legatis in memoriam donare constituerat, magni pretii munera, baculus ex calamo Rotang cum aureo nodo elegantissimae fabricae pro Rectore, suppellex scriptoria cum duobus candelabris

Ao. 1792.

argentarii fabri opus pro Domino de Leveling, et pyxis aurea pro Decano philosophico. Sublata denique coena Celsissimus in seram noctem confabulationem cum iisdem produxit, multum contestatus, quam aegre ab ipsis divelleretur. Omni autem tempore, quo ad S. Emmerami versabantur, et lautissime habiti et omnibus humanitatis benevolentiaeque officiis non a Principe solum sed etiam ab omnibus Capitularibus cumulati sunt.

His relatis et a Patribus academicis non sine magna voluptate exceptis *D. de Moshamm* praelegit ideam *Instituti cameralis* quod vocant. Etenim jam superiori mense habitus fuerat consessus eorum Professorum, qui vel scientias camerales vel earum subsidiarias docent, et imaginem quandam seu conspectum illius Instituti elaboraverant, cujus haec fere erant capita: 1) Membra hujus Instituti sint ii omnes Professores, qui Chemiam, politicam Oeconomiam, Sylvarum culturam, artem fodendi metalla, Botanicam puram (quae Botanicae oeconomicae nomine venit, ut a medica distinguatur), Physicam, Meteorologiam, Mathesin, Technologiam, scientiam mercatoriam profitentur. 2) Ii Academici, qui officia cameralia suo tempore gesturi sunt, peculiari anno, qui forte tertius Philosophiae sit, hisce studiis vacent. 3) Nemo ad examina de cameralibus admittatur, quin testimonia attulerit, se hisce scientiis magnam locasse operam aut hic loci aut Heidelbergae. 4) Professores hujus Instituti in suis quisque Facultatibus permaneant earumque emolumentis gaudeant; in iis vero rebus, quae ad Institutum pertinent, more Facultatum conveniant, eligantque quotannis unum e suis, qui consultationibus praesideat. Atque haec norma unanimi consensu probata Monachium missa est.

Perillustres pristini Universitatis Curatores hoc anno abierunt ad alia munera promoti, exceptis excellentissimo D. Conferentiarum Ministro et Cancellario *L. B. de Hertling*, intimae Curatoriae Praeside, et praenobili D. *Joanne Baptista Maria Nobili de Vacchiery*. Avocatis autem ex clementissimo decreto Electorali d. 29 Februarii succedunt illustres DD. *Carolus S. R. I. Comes de Bettschart*, Elect. Camerarius ac Consiliarius intimus, et *Jo. Casparus Nobilis de Lippert*, intimus item Consiliarius actualis et in rebus ecclesiasticis et scholasticis Referendarius.

Ao. 1792. Octavo Februarii allatae sunt literae commendatitiae a Consilio intimo ad Universitatem pro praesentatione cujusdam clerici ad parochiam *Weiheringianam.* Cum autem Regens Collegii *Georgiani* esset in possessione jurispatronatus ad hanc ecclesiam, idque jam ante aliquot dies exercuisset ideoque res non amplius esset integra, opera quorundam, qui id juris Universitati adserere laborabant, effectum est, ut scriberetur ad Regentem, quibus fundamentis hoc jus niteretur. Respondit Regens, se ideo praesentasse, quod praecessores sui in quieta praesentandi possessione fuissent, hoc ergo jus sese a majoribus accepisse. Conventum est autem in sessione desuper habita votis majoribus (a quibus tamen et *D. de Kandler,* unus ex Commissariis ad curiam Collegii deputatis, et tota Facultas philosophica discedendum duxerunt), ut datis ad summam Curatelam literis motiva Universitatis proponerentur et ab ea peteretur, quid factu opportunum judicet, num ut res in contentionem deducatur, an ut dato mandato Regentem ad edenda acta et causae suae argumenta adigat. Decanus autem philosophicus post sessionem cum nonnullis suae Facultatis Professoribus collocutus optimum factu judicavit, ut Regentem conveniret, de re omni quantum opus esset edoceret, et moneret, si quod forte resriptum a suprema Curatela ad eum mitteretur, se illud cum Facultate philosophica communicasse respondeat, propterea quod a Consilio intimo jussus sit in rebus omnibus, quae ad Collegium Georgianum pertinent, huic Facultati auscultare; ipse vero rem omnem ad Facultatem deferat.

Per festa paschalia quum Decanus philosophicae Facultatis ex Regente Collegii Georgiani intellexisset, Alumnos vestis talaris pertaesos in animo habere, per aestatem sibi potestatem brevibus indutis vestibus exeundi extorquere, vidissetque ipsemet quosdam hanc potestatem inconsulto Regente sumsisse; veritus, ne haec res ad labefactandam disciplinam viam sterneret, ad Regentem retulit, videri sibi utile, ut lex ante aliquot annos ab Electore lata, qua Alumni veste talari jubentur uti, renovetur. At mox conqueri Alumni de lege incommoda, dispensationem in ea petere enixe, observantiam contrariam praetendere, concursare ad Decanum, aliorum Seminariorum morem adferre, denique 19 Aprilis libellum supplicem porrigere. Sed nihil illos sperare jussit Decanus, gravi-

busque verbis eorum contumaciam increpavit, libellum tamen supplicem recepit atque Directorio tradidit, cum monito, petere Alumnos dispensationem in lege, quam non Directorium sed Elector ipse tulisset. Atvero spe sua frustratus est Decanus, ac votis unanimibus decisum intellexit, Alumnis, quod peterent, sub certis et iis quidem minime gravibus conditionibus esse concedendum. Doluit Decanus ob nimiam clementiam, quia verebatur, ne res ea novarum rerum appetentes animos quorundam Alumnorum, qui non alia causa, quam ut disciplinae clericali se subducerent, nomina Collegio dederunt, magis excitaret. Sed quod ei reliquum erat vulneri mederi, id conatus est efficere ut quam levissimum esset. Abstinuit itaque omni scripto, sed cum Regente familiariter collocutus, quae gesta sint exposuit, quae vereretur apperuit, hortatusque est virum, sua natura disciplinae studiosum, rem omnem clam habeat, data potestate quam parcissime cautissimeque uteretur, tanquam id sua auctoritate faceret, atque ita Directorio liberum relinqueret, quod nunc nimia indulgentia forte peccatum esset, data occasione sine suae auctoritatis dispendio emendare. Ao. 1792.

Decimo sexto Julii pientissime in Domino obdormivit *Joannes Jacobus* **Rousseau,** Ludovici nostri de Chemia meritissimi Professoris frater, ipse vero Linguae Gallicae Magister. Is in testamento suo simplex beneficium ecclesiasticum fundavit, cujus annui redditus in pecunia centum et viginti quinque florenorum consistant, jus autem praesentandi penes Universitatem in perpetuum resideat. Idem etiam stipendium academicum legavit ad 120 florenos annuos, cujus collatio est penes Facultates ex ordine sibi succedentes.

Serenissimus *Dux* **Birkenfeldius** Landishuto Onoldum petens, Regem Borussiae, qui per eos dies ad illam urbem adesse nuntiabatur, conventurus, Ingolstadium venit. Monuerat is antea Facultatis philosophicae Decanum, *Fr. de Paula Schrank,* praemissis literis, quibus volupe sibi futurum asseruit, si is decimo octavo Julii a meridie ad domum veredarium praesto esset; neque enim se diutius, quam commutandis equis necesse foret, moraturum esse, simulque petiit, nequis praeterea sibi obviam fieret. Paruit, ut debuit, Decanus optimo Principi, qui redux quaecunque apud Universitatem et apud milites spectanda essent, se visurum pro-

Ao. 1792. miserat. Statuto die, quo post solemne medicae Facultatis anniversarium Concilium plenum indictum erat, ut convenirent Patres deliberaturi, quibus eum honoribus excipiant, ecce adest jam media octava matutina Princeps. Curaverat autem Decanus philosophicus, ut quam ocyssime de ejus adventu certior fieret. Rem igitur cognitam Rectori nuntiavit, et Principem solus interea salutaturus accessit, a quo non gratiose tantum sed etiam amice exceptus tempus sibi dari petiit, quo Patres salutatum venirent. Dein relicto paulisper Duce Rectorem, Procancellarium, reliquos tres Decanos ad diversorium, ubi Princeps morabatur, deduxit. Is omnia deinceps quae visu erant digna perlustravit, aulam Universitatis, museum rerum naturalium, laboratorium chemicum, bibliothecam academicam, armarium physicale, theatrum anatomicum, denique hortum botanicum. Etsi calores erant summi et thermometrum ad gradum fere 24 juxta Reaumurii scalae divisionem ascendisset, Duxque elapsam noctem ob viarum asperitatem insomnem traduxisset, ab hora tamen media decima ad secundam pomeridianam indefessus literariis hisce occupationibus sese praebuit. A sumto prandio circa mediam quartam Dux domum Decani *Schrank* accessit, ibique per horam amicissime commoratus reliquum tempus rebus militaribus spectandis tribuit. Media nona aderant ab Universitate Deputati Rector Magnificus, Procancellarius, quatuor Decani felix iter postero die satis mature discedenti Duci precaturi; aderant et tres musicorum chori ex academicis potissimum civibus conflati, multa festiva face aream omnem illustrante. Abeuntem mane media septima Principem sex e nobilissimis civibus academicis equites comitati sunt.

Celsissimo die 24 Septembris rescripto mandatum est, ut omnes Candidati ad statum secularium Clericorum adspirantes ternis saltem mensibus ante proxime futurum tempus Ordinationis coram Electorali Consilio ecclesiastico aut aliqua earum, quae constitutae sunt Burghusii, Landishuti, Straubingae, Ambergae, Neoburgi Commissionum ecclesiasticarum ad examina se sisterent, et obsignata adferrent testimonia non solum S. Congregationis Marianae a primo anno Philosophiae deinceps exhibita, sed etiam testimonia de studiis moribusque et profectu in inferioribus aeque atque altioribus disciplinis. Hanc igitur ordinationem sacrosancta

Ao. 1792.

Facultas jussa est omnibus ejus generis Candidatis notam facere et quovis ineunte anno publicare.

Die 16 Octobris a Serenissimo D. Electore clarissimus *Georgius Augustinus* **Bertele**, natus Ingolstadii 27 Augusti 1767, Medicinae D.r et hoc tempore undecimae pedestris legionis Chirurgus Ambergae in stativis collocatus, ob eximiam artis suae peritiam et integerrimos mores in hac alma Universitate nostra, loco D. *Ludovici Claudii Rousseau*, Chemiae Professor ordinarius designatus est, ita tamen, ut quamdiu meritissimus Rousseau munere suo ipse fungi velit valeatque, nec officii ejus se ingerendi nec percipiendi salarii jus habeat, priusquam Henricus Maria de Leveling Anatomicus in cathedram Ordinarii proxime vacaturam et in stipendium huic annexum successerit. Quodsi vero Rousseau Chemiae Professor adhuc actualis senio aliave ex causa munere suo se abdicaverit, Serenissimum id esse curaturum, ut illius successor cum aliquo Chirurgo militari ex praesidio Ingolstadiensi commutatus facultatem habeat, partes Emeriti gratuito supplendi aut post ejus obitum exspectandi, quoad salarium sibi secundum ordinem contigerit. Praeterea neonominato Professori pro incremento scientiarum suarum peregre proficiscendi in annum venia data et ad hunc finem florenorum quadringentorum stipendium clementissime assignatum est.

Praenobilis et clarissimus *Jo. Nepom. Godofredus* **Krenner**, Electoris Bavarici a Consiliis aulicis actualibus et Jurium Professor p. o. cum suis utriusque sexus legitimis Descendentibus vi clementissimi diplomatis S. R. I. ordini Nobilium adscriptus est. Eidem utpote Archivario academico per decretum d. 13 Novembris D.r *Stichius* h. t. in Collegio Albertino Jurium Repetitor tanquam Amanuensis adjungitur.

Plurimum reverendus et doctissimus *P. Gaudentius* **Staudinger**, Philos. et Theol. D.r, Electoralis Consiliarius ecclesiasticus, qui undecim annis in alma nostra Universitate Eloquentiae sacrae Professor p. o. ob miram in docendo solertiam et subtilitatem gravissimamque in administrandis omnibus officii sui partibus egregiam sibi laudem promeruit, tempore feriarum auctumnalium ad supremae Praelaturae fastigium in monasterio suo Rohrensis evectus est. Vacuam autem per ejus abitum Aesthetices et sacrae

Ao.
1792. Oratoriae cathedram vi clementissimi decreti dd. 22 Decembris obtinuit plurimum reverendus *P. Dietramus* **Mauser,** Canonicus regularis in Dietramszell, Philos. D^{r} et Serenissimi Consiliarius ecclesiasticus. Is jam ex anno 1788 in Gymnasio academico nostro primae Rhetorices Professor Seminariique Inspector tam de docendi dexteritate quam morum integritate ut plurimum potuit Superioribus suis se commendavit.

Historiam hujus anni claudunt Dissertationes, quas typis exprimendas curarunt

in Facult. *theolog.*

Sebast. **Seemiller,** Bibliothecae acad. Ingolstad. Incunabula typographica, Fasc. IV. libros continens ab ao. 1490—1500 impressos; Ingolst. 4.

Stephanus **Wiest,** Progr. hist.-theolog. III & IV: De Wolfgango Maria Abbate Aldersbacensi &c. cont. Dialogum Abbatem inter et Monachum in aliquot Lutheranorum paradoxa, a Wolfgango Abbate conscriptum; Inglst. 4.

in Fac. *philos.*

Placid. **Heinrich,** Ueber die mittlere Kraft und Richtung der Winde, Dissert. Novis commentationibus philosoph. Scientiarum Academiae Monacensis T. VII. inserta.

Fr. de Paul. **Schrank,** Von dem Pflanzenschlafe und anderen verwandten Erscheinungen bei den Pflanzen, Ingolst. 8. — Primitiae Florae Salisburgensis c. Dissertatione praevia de discrimine plantarum ab animalibus, Francofurt. 8. — Reise nach den südlichen Gebirgen von Bayern in Hinsicht auf botanische und ökonomische Gegenstände, Monach. 8.

Ao. 1793.

ANNO DOMINI MDCCXCIII.

Rector DXLIII: **Georgius Franciscus Xaverius** SEMER, Jurius utriusque D^r^, Serenissimi Electoris Bavarici Consiliarius aulicus actualis; Pandectarum, Juris publ. communis, Juris naturae et gentium Prof. p. o.

Inscripti 125.

Illustres:
Leopoldus **L. B. de Sainte-Marie Eglise,** Ambergensis Palatinus.
Maximilianus **Comes de et ab Hegnenberg,** appellatus Dux, Monacensis.
Carolus Augustus **Comes de Reisach,** de Kirchdorf et Steinberg; Neoburgensis Neo-Palatinus.
Desiderius Josephus **Comes Basselet de la Rosée,** Monacensis.
Maximilianus Xaverius **Comes de Paumgarten** ab Ering, Eringanus Bojus.
Maximilianus **Comes de Preysing** a Kronwinkel et Hohenaschau, Monacensis.
Leopoldus **L. B. de Hartmann,** Neoburgensis Palatinus.
Antonius Guilielmus **L. B. de Gleissenthal,** Schachendorfensis Bojus.
Ludovicus et *Philippus* **Comites de Arco,** Monacenses.
Francisc. Xaverius **L. B. de Feury** de Hilling et Stebach, Landishutanus.
Josephus **L. B. de Voitenberg** ab Herzogau, Herzogaviensis Palatinus.
Franciscus Seraphicus et *Maximilianus Emanuel* **LL. BB. de Lerchenfeld,** Ingolstadienses Boji.

Novi Profess.
P. Amadeus **Primbs,** Ord. Cisterc. in monasterio Aldersbacensi; Philosophiae Prof. p. o.
Dominicus **Wrasda,** Pragensis Bohemus, Universitatis Linguarum Magister.

Ao.
1793. Novi DD.r 10 Apr. *Amadeus Primbs,* Ord. Cisterc. Aldersbacensis, Consiliarius Elect. eccl. act.; Logicae, Metaphys. et Philosophiae pract. Prof.
— *Corbinianus Schaderer,* Canonicus regul. Beuersbergensis, in hujate Gymnasio acad. II Grammat. Prof. } *Philos.*
— *Jo. Bapt. de Sieber,* Monacensis, Canonicus ad S. Wolfgangi,
— *Jo. Bapt. Duschl,* Aiblinganus Bojus, Sacerdos,
— *Dominicus Gallenmüller,* Medlinganus Neo-Palatinus, Diaconus,

Ex Illustrium numero, qui solito plures fuere hoc anno, commemorandi inprimis sunt generosissimi *Maximilianus Comes de Preysing,* postea Ordinis pro civilibus de Corona Bav. meritis item Jos. Max. Ordinis militaris Eques et Ord. Joannitici Equitum Magister, Francogallicae Legionis honor. magna cruce insignitus, nec non Bavarici regni Consiliarius haereditarius et secundae Divisionis militiae Bav. Praefectus; *Ludovicus Comes de Arco,* post regii cubiculi praepositus, Ordinis Joannitici Eques honorarius, et celsissimae Mariae Leopoldinae Electricis viduae summus Praefectus aulicus; *Maximilianus L. B. de Lerchenfeld,* sequiori tempore Ordinis regii domestici a S. Huberto Eques, magna civilium de Corona Bav. meritorum cruce decoratus &c., cui cura aerarii tradita est. Praeter hos ceterosque Illustrissimos supra de nobilitate generis laudatos praecipuam nominis celebritatem posthac consecutus est *Simon Häberl,* Monacensis, Medicinae tunc Studiosus, post regiae Majestatis a Consiliis protomedicis, civilium de Corona Bav. meritorum Ordinis Eques et Scientiarum Academiae Monacensis socius extraordinarius.

Die 26 Januarii celsissimum mandatum accepimus, ut quicunque Professorum ad officium Decani electus intra annum, quo isto munere in sua Facultate fuerit perfunctus, dissertationem literariam conscriberet et impetrata Summae Curatelae permissione typis publicis imprimi curaret.

Ao. 1793.

Praenobilis ac plurimum reverendus *P. Heribertus* **de Grafenstein,** S. Ordinis Praemonstratensium Canonicus Speinshardensis, Theol. et Philos. D.r et per septem annos Logices, Metaphysices et Philosophiae practicae Prof. p. o. sub finem superioris anni scholastici aeger et infirmus in monasterium suum remeavit et die 23 Februarii currentis Parkstenii prope Weiden in Palatinatu superiori diem obiit supremum. In locum ejus ex decreto jam 5 Februarii a Serenissimo sua subscripto manu religiosissimus et ob eximiam eruditionem suam summopere laudatus *P. Gregorius* **Vitalis** Ord. Cisterciensis in monasterio Aldersbacensi presbyter nominatus est. Qui quum a Superioribus suis ex gravissimis, quas literis exposuerunt, causis non potuisset dimitti, die 27 Februarii plurimum reverendus ac doctissimus Philos. et Theol. D.r ejusdemque S. Ordinis ac loci *Pater Amadeus* **Primbs** Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et Philosophiae Professor p. o. clementissime designatus est.

Quod ad incrementum Academiae nostrae quam plurimum conducat, Serenissimus Elector quum comperisset, literarum studia a nonnullis civibus academicis ad inertiam pessumdari morumque integritatem quandoquidem periclitari, nihil sibi celans, quae quantaque incommoda tam optimis artibus quam sacrosanctae religioni afferantur abjecta severiori disciplina, die 27 Februarii strenuissime jussit publicari, ut quicunque literarum in hac alma Universitate Studiosi collegia sua neglexerint frequentare, vel in consuetis officiis divinis ac sacris congregationibus non ea qua par est devotione apparuerint, vel noctu commissationibus in ganeis supra statutum tempus indulserint, et tumultuantes per plateas praesumserint circumvagari, si sint indigenae, re summarissime cognita et judicata tradantur in praesidium quoddam militare, si vero alienigenae, nominibus eorum ad valvas affixis dimittantur aut pro delicti gravitate in perpetuum relegentur.

Praenobilis *Dominicus* **Wrasda** Pragensis, qui jam septendecim per annos in hac urbe Anglipolitana linguam Gallicam privatim quidem sed cum summa sui commendatione docuerat, ex clementissimo decreto die 7 Martii emisso publicus Linguarum Gallicae et Italicae Magister academicus designatus est.

Ao. 1793. Vi mandati Electoralis de 24 Septembris anni praeteriti omnes quatuor Facultates academicae eo convenerunt, ut in testimoniis Studiosorum his terminis uterentur, ut quoad diligentiam classis I. i. q. constanter maxima, cl. II. constans, III. aliqua diligentia, quoad profectum cl. I. seu prorsus insignis, II. egregius, III. notabilis; quoad mores cl. I. puta decentissimi, cl. II. decentes, III. laudabiles; denique in casibus extraordinariis ideoque rarissimis etiam diligentia indefessa, profectus eminens, mores de prima et optima nota debeant et possint praedicari. Quae forma testimoniorum ab intima Electorali Curatela comprobata, per decretum dd. 6 Martii Universitati ad exsequendum strenuissime injuncta et Serenissimi Consilio ecclesiastico Monacensi, ut etiam reverendissimos locorum Ordinarios desuper certiores faceret, communicata est.

Clarissimus *Godofredus Nobilis* **de Krenner** ad supplices preces suas vi clementissimi decreti dd. 29 Julii Summi Gubernii provincialis Monacensis Consiliarius designatus est eo tamen speciali indulto, ut retento munere docendi nonnisi majoribus feriis academicis sessiones illius Collegii teneretur frequentare.

Medio hoc anno praenobilis *Fr. Xaverius* **de Moshamm** tanquam cujusdam libelli typis evulgati, qui inscribitur *„Demonstratio thesis, quod usus tituli „„Excellentiae““ in tractatu Hamburgensi et Westphalico non prosit Legatis Electorum, atque non-usus Legatis Principum haud noceat“*, coram potentissimo D. Electore denunciatus, atque inde consultissima Facultas evocata est, ut quam celerrime hac de re ex illo quaereret. Quo facto inculpatus obtestatur, quod non solum ipse non sit auctor, neque auctorem aut redemtorem libri noverit, verum etiam quod talem librum uspiam existere ad hunc usque diem plane ignoraverit. Assertio isthaec, quam et ceteri omnes juridicae Facultatis Professores suam facere asseverabant, ad Serenissimum renunciata elinguem reddidit calumniam.

Doctissimus *Carolus* **Sasso**, Jurium Professor extraordinarius et eorundem in Collegio Albertino Repetitor mense Octobri diem obiit supremum, unde in vacuum Repetitoris quidem officium nono Novembris clarissimus *Andreas* **Rohr**, Jurium itidem Professor extraordinarius instituitur, disciplinas autem, quas De-

Ao.
functus p. m. in Academia publice tradiderat, Praxin nempe juri- 1793.
dicam et Historiam regnorum Europaeorum, iis rursus demandantur Ordinariis, qui easdem ante *Sassonem* docuerunt.

Singulares hoc anno dissertationes elucubrarunt et in lucem ediderunt

in Facult. *theol.*

Georg. **Schneller,** Conciliorum ab ao. 716 ad a. 1770 in Bojaria et confinibus locis celebratorum indiculus, Ingolst. 4. — Miscellanea theologica anecdota ex Codd. Mss. bibliothecae Oberaltacensis eruta; ibid. 4.

in Fac. *juridica*

Beda **Aschenbrenner:** Rom, nicht Deutschland, begünstiget die Clausel von der fünfjährigen Dauer des Costnitzer-Concordates, Norimb. 4.

Jo. N. Godofr. **Krenner:** Ueber den churpfälz. Reichs-Vicariats-Sprengel, Ingolst. 4.

in Fac. *medica*

Henr. Mar. **de Leveling:** Vorlesebuch über Physiologie.

in Fac. *philos.*

Plac. **Heinrich:** Pyrometrische Versuche über die Ausdehnung des Eisens und der Holzkohle, Diss. a Scientiarum Academia Monacensi Novis suis Commentationibus philos. inserta.

Jo. Nep. **Mederer:** Beiträge zur Geschichte von Bayern, Fasc. V: Leges Bajuvariorum oder Aeltestes Gesetzbuch der Bajuvarier; quem librum secundum perantiquum Msscr. Bibliothecae acad. Ingolst. in linguam German. translatum c. Codd. quinque aliis Mss. contulit et annott. illustravit; Ingolst. 8.

Fr. de P. **Schrank:** Anfangsgründe der Bergwerkskunde, Landish. 8.

Ao. 1794.

ANNO DOMINI MDCCXCIV.

Rector DXLIV: **Henricus Palmatius** *S. R. I.* **Eques de** LEVELING, Philos. et Med. D.r, Serenissimi Elect. Bav. a Consiliis aulicis act., celsissimi ac reverendissimi Principis & Episcopi Frisingensis Consiliarius intimus et Archiater, Principis item de Thurn et Taxis Archiatrus consult.; Medicinae Professor p. o. &c. II.do

Inscripti Illustres: 147.

Josephus **L. B. de Frank,** Ambergensis Palatinus.
Josephus **L. B. de Leoprechting,** Düsseldorpiensis Palatinus.
Philippus Josephus **L. B. de Haeffelin,** Bipontinus.
Antonius **Comes de Fugger** a Nordendorf, Suevus.
Josephus et *Maximilianus Jos.* **LL. BB. de Leyden,** Monacenses.
Antonius et *Joannes Nepom.* **LL. BB. de Schoenhueb,** Hengersbergenses Boji.
Josephus **L. B. de Imhof** de Meitingen, Bojus.
Aloysius **L. B. de Vieregg** de Gerzen, Gerzensis Boj.
Carolus Reisner **L. B. de Lichtenstern,** Dreswizensis Palatinus.
Sigismundus **Comes de Spreti** a Weilbach, Monacensis.
Joannes **Comes de Toerring,** Monacensis.
Franciscus **L. B. de Gaugreben,** Almensis Westphalus.

Novi Proff.

P. Marianus **Dobmayer,** O. S. B. Weissenhohensis; Theologiae dogmaticae, Patrologiae et Historiae theologico-literariae Prof. p. o.
P. Paulus **Schoenberger,** O. S. B. ad S. Emmeramum Ratisbonensis; Linguarum orientalium et S. Hermeneuticae Prof. p. o., Universitatis Bibliothecarius.

Ao.

P. Gabriel **Knogler,** O. S. B. Schyrensis; Matheseos Prof. p. o. 1794.

P. Benedictus **Schneider,** O. S. B. Oberaltacensis; Logicae, Metaphysicae et Philosophicae practicae Prof. p. o.

P. Marianus **Mareis,** O. S. B. professus in Attel; Rhetorices secundae et Aesthetices Prof. p. o.

Novi DD^{r}	4 Nov.	*Marianus Dobmayer,*	Philos. DD^{r}, Proff. supra nominati	*Theol.*
	—	*Paulus Schönberger,*		
	—	*Gabriel Knogler,*		
	—	*Benedictus Schneider*		
	—	*Vitus Winter,* novus Ingolst. ad D. Virginem Specios. Parochus		
	2 Jun.	*Jacob. Obermiller,* Frisingensis Bojus,		*Jur.*
	4 Jan.	*Thomas Kreuzeder,* Pfarrkirchensis Bojus,		*Medic.*
	23 Aug.	*Ign. Wolfg. Rieger,* Ambergensis Palatinus,		
	—	*Christian. Pitzner,* Rothalmonasteriensis Bojus,		
	—	*Ignat. Siber,* Neoburgensis Neo-Palatinus,		
	—	*Christoph. Raph. Schleiss de Löwenfeld,* Solisbacensis Palatinus,		
	—	*Bernard. Knoblauch,* Böhmenkirchensis Suevus,		
	—	*Rup. Xav. Pfauner,* Wangensis Algojus,		
	22 Jul.	*Ge. Augustin. Bertele,* Med. D^{r}, Chemiae Hist. natur. et Materiae medicae Prof.	Collegii Albertini Alumni	*Philos.*
	—	*Michaël Heberlein,* Monacensis, Diaconus,		
	—	*Fr. Xav. Prentner,* Pfätterensis Boj., Theol. Cand.		

Ao.				
1794.	4 Nov.	*Paulus Schönberger,*	Ord. S. B., in hujate Academia Professores designati	*Philos.*
	—	*Gabriel Knogler,*		
	—	*Benedict. Schneider,*		
	—	*Marianus Mareis,*		
	—	*Maximilianus Arnold,*	O. S. B. Oberaltacensis, in Gymn. hujate acad. Rhet. I. Prof.	

In numero eorum, qui h. a. Albo nostro academico nomen dederunt, cum praecipua quadam laude notari merentur *Corbinianus Scharl,* Frisingensis, civitatis Monacensis Procurator et Judicii cambialis ibidem publicus Notarius; *Carolus Josephus de Günther,* Manhemiensis Palatinus, sequiori tempore Universitatis Landishutanae a regio Ministerio Commissarius; *Joannes Georgius Fessmaier,* Staufersbuchensis Palatinus Philos. Stud. et *Amandus Lieschmann* O. S. B. Prüfeninganus, post in hac ipsa Universitate Professores.

Jam sub finem superioris anni Serenissimus Elector de nonnullis rebus ad disciplinam Universitatis in melius reformandam concernentibus Sibi referri jussit. Quibus cognitis sub d. 11 Januarii hujus anni ad Consilium militare aulicum aeque atque ad summum provinciale Gubernium clementissime rescripsit, quae sequuntur: 1. Locatores domiciliorum nemini Studiosorum claves aedium ad manus tradant, traditas sine mora reposcant; alioquin prima vice sex, secunda viginti quatuor, tertia quinquaginta florenorum pecunia mulctentur; ejusque mulctae pars una delatori, altera civico aerario, tertia vivo pauperum distribuatur. Eandem autem poenam dabit, quicunque literarum Studioso clavem aedium fabricatus fuerit. 2. Caupones, alii qui victum praesenti pecunia parant, sub poena conveniente caveant, ne tempore jejunii et abstinentiae carnes praebeantur Academicis, exceptis iis, qui per literas sive parochi sive medici veniam impetrarint. 3. Praesertim denuo idque in perpetuum Academicis interdicitur, ne celebrandis opificum diebus anniversariis aut solemnibus nuptiis se immisceant, nisi quis a cognatis suis aut aliter legitime et nominatim fuerit invitatus. 4. Hora quotidiana, qua Caupones et Thermopolae convivas e deversoriis suis jubeant decedere, hiemali

Ao. 1794.

tempore nona, aestivo autem hora decima constituitur. Quicunque ibi post dictas horas comprehensi fuerint, triginta crucigerorum mulctam solvant. 5. Saturnalia in urbe Anglipolitana ab hoc anno inde nunquam ultra sex septimanas producere et per hebdomades quidem quatuor priores nonnisi dominicis diebus, duabus autem posterioribus septimanis die dominica et Mercurii saltationes instituere licebit. Ejusmodi saltationes sexta hora vespertina inchoatae semper et ab omnibus praesentibus prima hora post mediam noctem finiantur. Sola suprema ejus temporis dominica et proxime sequente die lunae saltando indulgere per totam noctem licitum concessumque erit. 6. Ad dirimendas autem, si quae evenerint, altercationes aut rixas in omnibus saltationibus publicis sive intra sive extra tempus Saturnalium Viri duo honoratiores alter civilis alter militaris qua Commissarii politici praesto sint, qui suae uterque conditionis homines observent et obortis discidiis tumultuantes compescant et ad pacem cum bona gratia reducant, aut pertinaciter renitentes confestim comprehendi et in custodiam dari jubeant. 7. Larvas porro interdiu per vias gestare semel atque iterum vetitum est, et quicunque in plateis larvatus incedere fuerit ausus, statim comprehensus sine ullo personarum discrimine detracta larva publice prostituatur.

Decimo tertio Januarii in Concilio pleno ad parochiam *Abensbergensem* per obitum *Jo. Mich. Leuthneri* vacuam denominatus est *D. Ambrosius Mündel,* Canonicus regularis Indersdorfensis, simulque conclusum fuit, ut in posterum in distribuendis parochiis pinguioribus, ad quas praesentandi jus Universitati competit, eorum parochorum potissimum ratio habeatur, qui in paroeciis ad Universitatem pertinentibus fervore ac zelo Domini insignes sese exhibuere, quibus deinde succedere forsan possunt Cooperatores ad D. V. Speciosam et ad S. Mauritium Ingolstadienses. Et occasio mox adfuit. Mortuo enim parocho in *Zuchering Dr. Ignatio Gietl,* ad hanc parochiam *Vicarius Schamhauptensis* praesentatus, quum autem is oblatam sibi parochiam recusaret, in hujus locum pridie Cal. Febr. per vota majora *Adamus Lechner* Cooperator ad D. V. Speciosam suffectus est.

Vigesima quarta Januarii obdormivit in Domino clárissimus *Georgius Ludovicus Claudius* **Rousseau,** qui semel Rector magnificus,

Ao.
1794. quinquies Medicinae Facultatis Decanus, per annos duos et viginti Professor Universitatem nostram cum solidissima doctrina tum scriptis etiam monimentis egregie illustravit, et sua non solum humanitate sed etiam singulari munificentia, qua Bibliothecam suam chemicis maxime libris et physicalibus praestantissimam Universitati dono dedit, gratissimam nominis sui memoriam reliquit. Praeter varias, quas cum tecto tum aperto nomine diversis ephemeridibus inseruit lucubrationes etiam seorsim typis evulgavit varias dissertationes inaugurales chemico-medicas: *De marte*, Ingolst. 1766. 4; *Vitrum naturaliter et artificialiter consideratum*, ibid. 1768; item *Rede, von dem wechselseitigen Einflusse der Naturkunde und Chemie auf die Wohlfahrt eines Staates in Erweiterung der Künste und Wissenschaften*, Burghus. 1770. 4; alias, quas ad singulos inde annos adnotavimus. Sepultus est in coemeterio Ecclesiae parochialis et academicae ad Divam Virginem Speciosam, ubi his in Epitaphio inscriptis laudatur verbis: „*In „hujate Academia Chemiam ad Artes traduxit Primus et prope fun„davit, Historiam naturalem docuit Primus, Materiam medicam ab „inutili farragine purgavit, Vir pietate in Deum, Rempublicam, „Discipulos, Amicos longe spectatissimus.*“

Salarium ejus mille florenorum *Henrico de Leveling juniori* assignatur. In illius autem cathedram successit vi clementissimi decreti dd. 8 Aprilis clarissimus *Augustinus* **Bertele,** qui jam biennio abhinc Medicinae Professor p. o. designatus, nunc demum Physico-Chemiam, Historiam naturalem et Materiam medicam publice docere coepit, remunerandus in praesens annuo sexcentorum florenorum stipendio, quod hucusque habuit Henricus Maria de Leveling. Officium denique, quod idem Ludovicus *Rousseau* p. m. tanquam secundus ad administrandum Universitatis aerarium Deputatus obtinuit, ex Electorali decreto d. 18 Aprilis Henrico *Palmatio de Leveling* utpote medicae Facultatis nunc Seniori commissum est.

Paulo post alterum funus eadem medica Facultas extulit sepeliendum. Die enim 12 Februarii ex hac vita decessit praenobilis et doctissimus *Cosmas Damianus* **Klosner,** Monacensis, Philos. & Med. Dr, Serenissimi Electoris Palatino-Bavari Consiliarius actualis, Statuum provincialium per circuitum Ingolstadiensem

Ao. 1794.

Physicus et in hac alma nostra Academia Medicinae forensis per triginta quinque continuos annos Professor p. o. Eximios, quibus juventutem Vir in paucis egregius exercuerat, labores cum laudibus prosecutus est Annalista noster P. III. ad annum 1759. Sequiori vero inde tempore quantum in arte medica et per continua caritatis opera pauperes juvando, curando infirmos, quin et alios curare docendo praestiterit, qua ore qua calamo enarrabant aequales. Bis Rectoris officio functus, carus Collegis, carior Discipulis, flebilis omnibus occidit. Requiescat in Domino! Memoriam pie defuncti oratione funebri celebravit *Henricus Maria de Leveling.* In vacuam autem per ejus obitum cathedram neminem substituere sed quam ille tradiderat disciplinam ex clementissimo decreto dd. 15 ejusdem mensis in alium Ordinarium transferre placuit. E salario *Klosneri* annua pensione ducentorum florenorum pro superstite vidua deducta bis centum floreni stipendio *Bertelii* additi, totidemque extraordinario *Rohrio* Professori in modum annuae remunerationis concessi sunt. Quod restat in fundum rediit Universitatis.

Duodecimo Martii convocatum est Concilium plenum, quod originem traxit a testamento praenobilis D. Professoris *Ludov. Claudii* **Rousseau.** Declaraverat is nempe saepius inter amicos et verba sua etiam scriptis consignavit, quod omnis librorum supellex, quae ad ipsum pertineret, bibliothecae Universitatis inseri possit, quam primum ipse vita functus fuerit. Quid, quod cum anno priori ex cassa academica 1200 florenos deposceret, inter alias rationes petitionem suam hoc maxime motivo nitebatur, quod Universitas post ipsius obitum sat notabilem librorum exquisitissimorum supellectilem acquisitura esset, ideoque eo facilius petitioni suae satisfacere posset. Et revera his rationibus adducta suprema Curatela non dubitavit concedere, ut ex aerario Universitatis clarissimo Professori Rousseau illa pecuniae summa cito citius expenderetur. Jam vero cum nullis unquam cohortationibus adduci potuisset vir optimus, ut testamentum formale conficeret, paucis demum ante mortem horis nuncupativum quod vocant testamentum fecit praesentibus septem testibus, inter quos clarissimus et perillustris Professor *de Kandler* de rebus quae ipsi in mentem venerant gravioribus morientis voluntatem exquisivit, quin

Ao. 1794. ullam de bibliotheca mentionem fecerit. Quum autem jam adesset tempus, ut hoc testamentum exeeutioni daretur, non dubitavit Rector Magnificus Bibliothecario academico deferre curam de transferendis in Universitatis bibliothecam libris a defuncto relictis. Designat igitur milites, qui libros transferant, et ipse praesens est testamenti executioni. Ast ecce, de libris in testamento nulla fit mentio, acclamant testamenti executores: „hinc pertinent ad massam haereditariam.“ Instat Bibliothecarius et jus Universitatis ad singulos libros argumentis invictissimis propugnat; sed frustra. Testamenti executores non solum libros extradere recusant, sed etiam ad Senatum academicum literas dare praesumunt omnino non approbandas; quibus praelectis Patres ad unum omnes in eo convenerunt, remittendas esse hasce literas cum declaratione, infra dignitatem Universitatis esse, ut ullum responsum daretur. Quod quidem effecit, ut testamenti executores libros extradere non diutius tardaverint, qui ad Bibliothecam Universitatis translati omnes inscriptione *„Ex donis Professoris Rousseau“* insigniti sunt.

Literis 4 Aprilis a Serenissimo Electore ad Senatum demissis postulatur, ut clarissimo D. *Antonio* **Will**, Collegii medici Consiliario et Artis veterinariae Professori publico Monacensi, qui licet translata cathedra tamen annuum suum sexcentorum florenorum salarium hucusque ex Universitatis aerario recepit, nunc ex eodem fundo quadringenti quotannis superadderentur. Nec quidquam preces valuere Patrum, qui onus istud quasi alienum ab aerario academico demississime conati sunt devolvere.

Constat, quod jus nominandi ad *parochiam Schongaviensem* Universitati competat, quam ob causam quivis Parochus temporaneus certam quotannis pecuniae summam Universitati expendere debet. Cum id vero jam per longam annorum seriem fuerit intermissum, omnino necessarium esse Patribus visum est, ut in causas, ex quibus debitae pecuniae non persolvantur, diligentius investigetur. Id sibi sumsit clarissimus *D. Professor* **Semer** et suam hac super re sententiam hodie in consessu publico pronuntiavit, quae in eo consistit, Parochum qui nunc est *D. Fr. Xaverium Sautermeister* nullo modo esse adstringendum ad refundendas pecunias, quas ab illo tempore, quo munus parochiale in se

Ao. 1794.

suscepit, persolvere debuisset; illius Successori vero probe esse inculcandam obligationem, quam habet, quotannis certam pecuniae summam ad Universitatem persolvendi.

Vigesimus septimus Maji faustissimus erat dies, quo civitas Ingolstadiensis Serenissimum *Electorem* CAROLUM THEODORUM intra moenia sua recepit. Et hora quidem duodecima tormenta ex vallis explosa adventum Serenissimi nuntiabant, qui secundo quadrante ad primam splendida sane et pretiosa navi vectus illustrissimo Principe *de Bretzenheim,* Comitibus *de Viereck, de Toerring* et *de Hertling* illum comitantibus litora Danubii attigit ac citissime urbem petiit. Quem secuti Rector Magnificus ac reliqui Patres academici usque ad diversorium Scheyringerianum ad osculum manus admissi sunt. Praeterea Serenissimus Elector non dedignatus est audire sub convivio musicam Academicorum. Media quarta denique civitatem iterum reliquit.

Serenissimus D. Elector die 26 Septembris decrevit, ut in posterum soli Patres Benedictini eas omnes, quas etiam aliorum monasticorum Ordinum Regulares obtinuerunt, cathedras academicas dehinc suscipiant, et deposito prius ad manus Rectoris magnifici juramento de vitando Illuminatismo instituantur.

Ex decreto igitur Electoralis intimae Curatelae d. 21 Octobris publica S. Theologiae professione deposita in Abbatiam suam reversus est plurimum reverendus *P. Stephanus* **Wiest,** Elect. Consiliarius ecclesiasticus, qui Ecclesiam singulari pietate, Orbem literarium pretiosissimis libris, Academiam nostram egregia doctrina, Urbem insigni modestia et morum comitate in annum decimum tertium ornavit, atque optimo cuique amicus gratissimus et pauperum verus audivit Pater. Diem obiit 10 Aprilis 1797, postquam iis, quos suis locis deinceps commemoravimus, libris unum superaddidit, nempe *Institutiones patrologicas in usum acad.,* Ingolst. 1795. 8. Ejus cathedram suscepit plurimum reverendus ac doctissimus *P. Marianus* **Dobmayer.** Is Schwandorfii in Palatinatu superiori natus 24 Octobris 1753, jam adolescens octodecim annorum Societati Jesu se adjunxit, qua sublata 1773 in monasterium Benedictinum Weissenhohense ingressus ibique biennio post solemnia vota professus est. Die 19 Julii 1778 sacerdos ordinatus ab anno 1781 publice docere coepit, et primum quidem

Ao.
1794. Philosophiam Neoburgi ad Danubium, Theologiam vero in Lyceo Ambergensi tradidit, ubi etiam Rectoris officia cum laude sustinuit, usque dum a Serenissimo Electore Consiliarius ecclesiasticus nominatus et Professor Theologiae dogmaticae huc arcessitus est.

Eodem tempore venerabilis *P. Sebastianus* **Seemiller**, qui semel Rectoris magnifici, ter Facultatis suae Decani officio functus, S. Scripturas unacum Linguis orientalibus per tredecim annos eximia cum laude professus et totidem annis de dirigenda Bibliotheca academica egregie meritus est, jussu Superiorum in monasterium suum sese recepit, et inde mense Majo 1797 Parochus in Forstenried prope Monachium, ubi Bibliothecam Scriptorum Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini triginta fere tomis a Reverendissimo Praelato Francisco (Toepselio) adornatam magnam partem retractavit correxitque, expositus est, atvero uno vixdum elapso anno, die nempe 22 Aprilis 1798, immature quidem (aetate scilicet non amplius quam quadraginta sex annorum) sed pientissime terrestris vitae terminum attigit. Scripta ab eo suo quodvis loco enumerata sunt.

In ejus autem locum sufficitur plurimum reverendus ac doctissimus *P. Paulus* **Schönberger**, Benedictinus in principali monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonensi sacra professus, ibique optimis jam dudum studiis lectionibusque exercitatus. Insignitus igitur tam S. Theologiae quam Philosophiae doctoratu nunc Electoralis Consiliarius ecclesiasticus, SS. Literarum et Linguarum orientalium Professor p. o. nec non Universitatis Bibliothecarius et Inspector Seminarii Albertini clementissime designatur.

Ex eodem celsissimo decreto dd. 21 Octobris revocatus in monasterium suum abiit religiosissimus *P. Geraldus* **Bartl**, Canonicus regularis Pollinganus, cui successit plurimum reverendus *P. Gabriel* **Knogler**, Pfaffenhofenensis Bojus Calendis Januarii 1759 natus; qui 12 Octobris 1777 in monasterio Schyrensi O. S. B. regulam professus jam Frisingae, Ambergae et Neoburgi ad Danubium per aliquot annos Physices atque Matheseos cathedram obtinuerat, priusquam fama Virum promovente ad nostram Academiam translatus mense Novembri hujus anni solemne praelectionum suarum principium fecit.

Ao.

In cathedram porro per abitum reverendi *P. Amadei* **Primbsii** 1794.
Cisterciensis vacuefactam successit religiosissimus *P. Benedictus* **Schneider,** Benedictinus, Mainburgi in Bavaria d. 27 Septembris a. 1762 natus, qui antequam ad nos pervenit, pluribus annis tum in monasterio suo Oberaltacensi tum in Lyceis Neoburgi et Frisingae jam varias et philosophicas et theologicas cum eximia sui commendatione tradiderat disciplinas.

Venerabilis item *P. Dietramus* **Mauser,** Electoralis Consiliarius ecclesiasticus, qui per biennium in Universitate nostra Aestheticam docuerat, Neoburgum prope Danubium translatus ibi secundae Rhetorices Professor ac simul Rector Gymnasii designatus est. Suffectus est ei eodem clementissimo decreto d. 26 Sept. admodum venerandus *P. Maximilianus* **Arnold,** Benedictinus Oberaltacensis. Qui qua de causa vocationem recusaverit, nusquam invenio. Jam vero illius loco die 27 Octobris plurimum recolendus *P. Marianus* **Mareis** O. S. B. e monasterio Attel ad Oenum in cathedram Aesthetices advocatus et Electoralis Consiliarii ecclesiastici titulo insignitus est.

Eodem denique celsissimo decreto saepius allegato propria, quae modo triennio abhinc in philosophica Facultate noviter erecta fuit, cathedra, scilicet ut publica Oeconomia, Mercatura et Technologia seorsim et a singulari traderentur Professore, amodo sublata est. Unde etiam plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus, *P. Benedictus* **Holzinger,** Cisterciensis, qui easdem hucusque docuerat disciplinas, mense Novembri dimissus in monasterium suum Raitenhaslacense rediit. Praelectiones ejus de Mercatura in posterum redeant ad praenobilem *Fr. Xaverium de Moshamm;* Oeconomiae autem et Technologiae alii Professores, praesertim quibus Chemiae et Matheseos applicatae provincia commissa sit, qua data occasione et quantum possint in suis doctrinis rationem habeant.

Vir clarissimus *Josephus Maximilianus* **Wibmer** Universitatis nostrae Procancellarius, laboribus debilitatus sub finem Octobris non solum Canonicatu Eichstettensi et Parochia Anglipolitana ad D. Virginem Speciosam, sed etiam omnibus, quibus in Academia hucusque impigerrime functus erat, muneribus se abdicavit. Qua resignatione quoad academica munera a Serenissimo

Ao.
1794. Electore, quoad officia vero ecclesiastica a Reverendissimo Ordinario ratihabita in Canonicatum quidem et in parochiam successorem habuit, quem enixe sibi optaverat, *Vitum Antonium* **Winter,** cui et copiosam bibliothecam suam reliquit; ad Procancellarii autem dignitatem clarissimus *Joannes Nepom.* **Mederer** de hac alma Universitate dudum meritissimus Professor et in hujate Ecclesia Mauritiana Parochus clementissime promotus est. De cathedra academica per abitum Wibmeri vacua resolutio Electoralis in proximum annum dilata est. Fuerat autem *Wibmerus* annis quatuordecim Procancellarius et duobus integris decenniis SS. Theologiae Professor p. o., potuitque gloriari, quod inter multos omnium ordinum Candidatos etiam in sacrosancta Facultate complures summis postmodo honoribus ornatos viros, in his eminentissimum *Casimirum de Haeffelin* S. R. E. Cardinalem, illustrissimum *Domidianum Hugonem Comitem de Lehrbach* Consilii episcop. ecclesiastici Frisingensis Vicepraesidem; reverendissimum *Josephum de Heckenstaller* Vicariatus generalis Frisingensis Directorem et deinde Archiepiscopalis Ecclesiae Monacensis Decanum, alios doctorali laurea insigniret. Atque per hoc totum tempus uberrimam doctrinam suam cum eximia prudentia et singulari morum comitate ita sociavit, ut omnibus ex aequo venerabilis et carus esset, et contentiones inter literarum studiosos nonnunquam obortas cum optima pace componeret. Quo factum est, ut abeuntem piissima omnium vota prosequerentur. Secessit autem in praedium, quod sibi erat prope Vohburg nomine Knodorf; postea vero vendito hoc agro non ita procul a Monachio metropoli domicilium fixit, et in secessu rurali ita prospere valetudini suae consuluit, ut die 24 Junii 1820 in Ecclesia aulica ad S. Michaëlem Monacensi super eodem altari, quo quinquaginta ante annis primitias Deo obtulit, sacerdos Jubilaeus secunditias celebraret. Denique senio cum male affecta valetudine conspirante in ipsa urbe habitare satius duxit, ibique corpore quidem fractus animo tamen semper erectus mortem oppetiit.

Vigesimo Novembris actum de *Stipendiis,* quorum administratio penes Universitatem est. Sunt autem 1. Beneficium et Stipendium *Rousseauvianum* (vd. ad a. 1792), quorum alterum amplissimus Senatus academicus, alterum quatuor Facultates alter-

Ao. 1794.

natim conferunt; 2. Beneficium Capellae sic dictae ferreae *(Eisen Kapelle)* in parochia S. Mauritii, cujus census annuus 34 flor. 45 Crucig.; 8. Stipendium *Landauanum* 78 florenorum, ad quod familia de Landau in ditione Fuldensi jus habet praesentandi; 4. Stipendum *Grillianum* 61 flor. 45 kr., quod confert eo tempore August. de Grill; 5. Stip. *Reckenschenklianum* 27 fl. 20 kr., cujus collatio penes juridicam Facultatem; 6. Stipendia duo *Hungeriana* 112 flor., quorum alterum a Facultate theologica et juridica, alterum a medica et philosophica vicissim confertur; 7. Stipendia duo *Abeggiana* 120 flor., quae a Senioribus Facultatum theolog. jurid. et medicae conferuntur; 8. Beneficium *Baumianum*, cujus collatio penes Procancellarium est.

Ab intima Electorali Curatoria Universitatis die 22 Novembris huc transmissum est rescriptum, quo Rectori Magnifico libera conceditur potestas non solum Academicis ea habitacula, quae juste suspecta bonisque moribus perniciosa videantur, strenuissime interdicendi, verum etiam pro rerum necessitate initos cum ejusmodi aedium locatoribus et ganeariis contractus irritandi.

Libri h. a. editi sunt a Professoribus

in Facult. *theolog.* a

Steph. **Wiest:** Introductio in Historiam literariam Theologiae revelatae potissimum christ. catholicae, Ingolst. 8.

in Fac. *jurid.* a

Franc. **Spengel:** Einige Fragmente, beantwortet und jenen Jünglingen, die auf Universitäten gehen wollen oder bereits daselbst sind, zur Beherzigung vorgelegt, Ingolst. 8.

in Fac. *medica* scripserunt

Augustin. **Bertele:** De influxu Chemiae in Physicam et Medicinam, Diss. inaug., Ingolst. 4. — Ueber Salpeter-Plantagen, Monach. 8.

Henr. M. **de Leveling:** Anatomie des Menschen, Leitfaden für angehende Aerzte und Wundärzte, P. I. Erlang. 8. — Plan öffentlicher Vorlesungen über die allgemeinsten anthropologischen Kenntnisse und die vorzüglichsten Quellen

Ao. 1794. der Gesundheit, Ingolst. 4. — Memoria Cosmae Damiani Klosner &c. pie defuncti, ibid. 4. — Alb. von Hallers Grundriss der Physiologie für Vorlesungen, mit den Verbesserungen von Wrisberg, Sömmering und Meckel umgearbeitet, P. I. Erlang. 8.

in Facult. *philos.*

Gerald. **Bartl:** Theorema binomiale ex analysi finitorum universaliter demonstratum, in usum tyronum editum, Ingolst. 4.

Fr. de P. **Schrank:** Von den Nebengefässen der Pflanzen und ihrem Nutzen, cum tribus tabulis aeneis, Halae 8.

ANNO DOMINI MDCCXCV.

Ao. 1795. Rector DXLV: **Franciscus de Paula** SCHRANK, SS. Theol. & Philos. Dr., Elect. Consiliarius ecclesiasticus actualis; Oeconomiae publicae, Botanices oeconomicae, Scientiae saltuariae et metallurgicae Prof. p. o., pluribus scientiarum Academiis et DD. VV. Societatibus adscriptus.

Inscripti 121.

Illustres:

Jo. Nepom. **L. B. de Pechmann** de Brunn et Zandt, Reichenhallensis Bojus.

Franciscus **L. B. de Gougel** in Brand, Wolfersdorfensis Palatinus.

Maximilianus **Comes de Lamberg** de Amerang et Suelach, Monacensis.

Adamus **L. B. de Schleich** ab Haarbach, Bojus.

Maximil. **L. B. de Gumppenberg-Poettmes,** Poettmesensis Bojus.

Ao.

Nov. Profess. *Vitus Antonius* **Winter,** Canonicus Eccl. cathedralis Eichstettensis et Parochus in superiori urbe Anglipolitana; Historiae ecclesiasticae Prof. p. o. 1795.

Novi DD^{r} 18 Aug. *Carolus Josephus Niederhuber,* Mogonus, Prosector anat. designatus,
— *Joannes Antonius Reischer,* Hofkirchensis Bojus,
— *Jo. Evangel. Riederer,* Hanggenzellensis Bojus,
— *Joannes Bapt. Ducas,* Spirensis,
— *Jo. Nep. Balthas.* S. R. I. *Eques de Fils,* Straubinganus Bojus,
— *Georgius Osterhammer,* Aschauensis Bojus,
— *Michaël Hilz,* Reichenbergensis Bojus,
} *Medic.*

14 Aug. *Fr. Xav. Ludov. de Heinleth,* Monacensis, Straubingae Canonicus domicellaris,
— *Jo. Bapt. Dornhofer,* Monacensis, ad S. Wolfg. Canonicus,
— *Udalricus Deinhart,* Dieppersrichtensis Palatinus,
— *Francisc. Joseph. Gogl,* Echinganus Suevus,
— *Francisc. de Paula Kaiser,* Inninganus Bojus,
— *Udalricus Winter,* Adelkofenensis Boj.,
} *Philos.*

Inter Immatriculatos h. a. occurrunt etiam *Joannes Georgius Fessmaier,* Staufersbuchensis Palatinus, S. Theol. et juris canonici studiosus, et *Carolus Josephus Niederhuber,* Mogonus; uterque paulo post insignes hujus Universitatis Professores.

Quinto Januarii Senatu academico convocato actum est de *Orphanotrophio civitatis,* cujus administratio est penes Magistratum simul et Universitatem; vices academicas nunc temporis agente

Ao.
1795. D. *de Kandler*. Rationes annuas orphanotrophii, quod mala Senatorum administratione plurima hucusque damna passum est, ab hominum memoria paene neglectas, quantum quidem in tanta rerum confusione fieri potuit, revidit, examinavit, damnumque aliqua ex parte resarcire conatus est Commissarius Universitatis, perillustris *Casparus* **de Kandler**, de re publica optime meritus. Inter alios damni reos vidua defuncti Syndici civitatis ad compensationem mille florenorum adstringitur. Causa perplexa, resque in praesenti nondum decisa est.

Novum hoc anno nacta est Academia nostra Professorem, plurimum reverendum *Vitum Antonium* **Winter**, S. Theol. Doctorem. Is 22 Maji 1750 natus in Hohenegglkofen prope Landishutum absolutis Gymnasii studiis in Seminarium Bartholomaeum Ingolstadiense receptus omnibusque ibidem cum Philosophiae tum Theologiae disciplinis optime imbutus et anno 1778 decimo tertio Junii presbyter est ordinatus. Paulo post Romam profectus in Collegio Germanico Catechistae muneri se applicavit; elapso autem biennio lustratis celeberrimis Italiae urbibus in Bavariam redux primum Monachii Epheborum aulicorum Praeceptor assumtus est, deinde vero cum illustri filio Comite de Loesch, quem educandum a patre ejus acceperat (erat enim non solum veterum, hebraicae, graecae atque latinae, verum etiam recentiorum linguarum Gallicae, Anglicae, Italicae gnarus), peregrinationes per Borussiam, Saxoniam, Austriam, Hungariam instituit et Bibliothecas ubique omniumque rerum notabiliorum thesauros perquisivit. Reversus iterum in patriam nec multo postea Parochus in Koesching institutus curam animarum qua potuit maxima diligentia et fide exercuit, usque dum per resignationem clarissimi *Wibmeri* supra memoratam in hujate urbe ad aedem D. Virginis Speciosae parochus et ex decreto dd. 10 Januarii Serenissimi Electoris a Consiliis ecclesiasticis et Historiae sacrae Professor p. o. clementissime designatus est.

Postquam lugubrem serenissimae **Mariae Elisabethae Augustae** *Electricis Bavariae* mortem, quae superiori anno die 17 Augusti acciderat, debitis quidem exequiis sed in magna jam propter ferias auctumnales et Professorum et Academicorum raritate luximus, laetior nobis hoc ipso anno adlatus est nuncius, quod

Ao. 1795.

Carolus Theodorus 15 Februarii secundas cum *Archiduce* **Maria Leopoldina** Ferdinandi Archiducis Austriaci filia nuptias esset celebraturus. Quapropter statim e numero Professorum legati missi sunt gratulandi causa Monachium, quos Serenissimus benevolentissime excepit suasque iis gratias clementissime promisit.

Die 22 Januarii plurimum reverendus *Josephus* **Oeggl,** Philologiae Professor publicus extraordinarius idemque Subbibliothecarius academicus ad humillimas preces suas a publica ejus disciplinae professione, servato tamen Consiliarii ecclesiastici titulo, dispensatur eique linguam graecam privatim docendi venia conceditur.

Mensis Aprilis malo omine finitus fuit. Quum enim *uxori* Gubernatoris hujus urbis die vigesimo nono onomatizanti militaris musica pararetur, Academici ab aditu arcis exclusi incondito clamore tumultuque excitato, quo omnis instrumentorum musicorum concentus turbaretur, illatam sibi injuriam vindicarunt. Causa haec diu multumque in Conciliis decanicis agitata, coram pleno Senatu saepius discussa, deinde Monachium relata fuit. Mense demum Julio acta a suprema studiorum Curatela huc rediere, et sententia Patrum approbata est, qua decretum fuerat, ut complices facti partim carcere partim publica exprobratione plecterentur. Quae quidem sententia statim postero die etiam executioni mandata est.

Vigesimo Junii post meridem coepit celebrari *Jubilaeum,* quod Sanctissimus Papa **Pius** VI rogante Serenissimo Electore omni Bavariae per triginta dies indulsit. Initium hujus Jubilaei populo patefactum pulsatis per horam integram campanis ecclesiarum. Decima quarta Julii facta est supplicatio publica ab amplissimo Senatu ejusque subditis atque universa juventute academica pro lucrandis indulgentiis.

Quum jam aliquot abhinc annis aegre animadverteretur, literarum Studiosos etiam indigenas non ineunte actutum anno scholastico sed aliquanto demum postea ad Universitatem advenisse, jam praeterito anno publicatum est, hodieque (die 7 Septembris) iterum ac solemniter sancitur, initium academici anni et publicarum inde praelectionum in omnibus quatuor Facultatibus quotannis in diem 7 Novembris esse constitutum, quo omnes Aca-

Ao.
1795. demici indigenae comparere teneantur. Sero venientes in posterum nominatim ad intimam Curatoriam denunciandos esse, ut in eos pecuniaria aliave condigna poena animadverteretur.

Duodecima Septembris ab electorali *Censurae librorum Consilio* Monacensi rescriptum ad nos pervenit, quo Facultati juridicae mandatum est, ut juramentum fidelitatis excipiat a praenobili *D. Stich,* J. U. L. et Advocato, qui nuper designatus erat Ingolstadii tanquam „Bücher-Spediteur", i. e. cui transmittendi libros cura est commissa. Etenim in qualibet urbe cuidam injunctum est officium, auctoritate publica scrutandi, aperiendi examinandique libros aliunde advectos.

Mos erat ut in aliis Academiis ita in nostra quoque Universitate inveteratus, ex quo Jurium Candidati sub finem tertii anni ab Universitate abituri a compluribus commilitonibus sive equitibus sive curru vectis per aliquot milliaria itineris cum pompa solebant deduci. Qui comitatus quum essent haud raro periculosi semper cum magnis iisque inanibus expensis atque sumtibus conjuncti, Electorali decreto dd. 11 Novembris severe dehinc prohibentur.

Penultima Decembris ideoque novo jam inchoato anno scholastico cathedra Historiae universalis, anno 1784 in hujate Academia demum erecta ex improviso suppressa est et e medio sublata. Hujus autem celsissimae resolutionis ansam dedit plurimum reverendus *Jo. Nep. Mederer* Historiarum ipse Professor p. o., qui ubi omnes philosophicae Facultatis Collegas sibi adnuentes vidit, datis ad manus Serenissimi literis die 9 Novembris referre suam ea de re sententiam ausus est. Tam multas enim, ait, tamque varias esse Philosophiae hodiernae disciplinas, ut earum intra biennium nonnisi levissima cognitio tironibus possit adferri, cum scilicet primo anno Logicam, Metaphysicam, Aestheticam, Mathesin elementariam, Historiam naturalem, Chemiam et artes Historiae adjutrices, Criticam, Chronologiam, Diplomaticam, Numismaticam; secundo autem anno Physicam, Philosophiam practicam, Mathesin applicatam, Astronomiam, Oeconomiam et Historiam patriam audire jubeantur. His igitur multis iisque magnam partem gravioribus disciplinis ultro accedere Historiam universalem, rem utique immensae amplitudinis tamen una duntaxat quae per

Ao. 1795.

singulas hebdomades habetur hora (ergo horis sexaginta aut ubi plurimum septuaginta per totum biennium) absolvendam. Praeterea neminem esse, quin intelligat, quam sit incommodum et a re alienum, quod qui altero quolibet anno disciplinam istam audituri huc adveniant Candidati, non a rerum primordiis incipiant erudiri, sed in medias res protinus rapiantur. His igitur ex causis publicae praelectiones Historiae universalis in hac alma Universitate aliquamdiu sunt intermissae.

Insignis Professorum nostrorum hoc anno industria scriptis quoque, quae typis academicis ediderunt, opusculis eminuit. Evulgarunt autem

in Fac. *juridica*

Godofr. **Krenner:** Ueber Land-, Hofmarks- und Dorfgerichte in Bayern, Fasc. I. Monach. 4.

in Fac. *medica*

Henr. M. **de Leveling:** Alb. v. Hallers Grundriss der Physiologie &c., umgearbeitet, P. II. Erlang. 8. — Epistolae Halleri ad Levelingium scriptae, quas edidit notisque illustravit, ibid. 8.

in Fac. *philosoph.*

Fr. de P. **Schrank:** Naturhistorische und ökonomische Briefe über das Donaumoos, c. tab. aen., Manhem. 4.

ANNO DOMINI MDCCXCVI.

Ao. 1796.

Rector DXLVI: **Georgius** SCHNELLER, Benedictinus Oberaltacensis, SS. Theol. Dr, Serenissimi Electoris Palatino-Bavarici Consiliarius ecclesiasticus actualis; Theologiae moralis ac pastoralis Prof. p. o.

Ao. 1796. Inscripti 142.

Illustres:

Antonius **L. B. de Andrian,** Treidendorfensis.
Adalbertus **L. B. de Pechmann,** Regenensis Bojus.
Clemens Wenceslaus **L. B. de Freiberg** a Knoeringen, Dilingensis Suevus.
Honorius **L. B. de Ow,** Oettingensis Suevus.
Josephus **Comes de Seinsheim,** Monacensis.
Maximilianus **L. B. de Welden,** Frisingensis Bojus.
N. (deest praenomen) **L. B. de Seraing,** Eybacensis ex Ducatu Montano.
Georgius **L. B. de Stengel,** Manhemiensis Palatinus.

Novi Proff.

P. Amandus **Lieschmann,** O. S. B. Prüfeninganus; Aesthetices Prof. p. o.
P. Udalricus **Riesch,** O. S. B. Benedictoburanus; Juris ecclesiastici Prof. p. o.

Novi DD.r	15 Nov.	*Udalr. Riesch,* Philos. et Jur. utr. D.r	Professores supra nominati — *Theol.*
	—	*Amand. Lieschmann,* Philos. D.r	
	15 Nov.	*Udalricus Riesch,* O. S. B., Prof. ss. Canonum designatus,	*Jur.*
	6 Aug.	*Georgius Aschenbrenner,* Villreichensis Bavarus,	*Medic.*
	—	*Steph. Theod.* S. R. I. Eques *de Fischer,* Manhemiensis,	
	—	*Jo. Baptista Breu,* Vorderburgbergensis Bojus,	
	—	*Simon Häberl,* Monacensis,	
	—	*Joseph. Haker,* Metensis Bojus,	
	—	*Joannes Martinus Mayr,* Balzhusanus Suevus,	
	15 Nov.	*Amand. Lieschmann,* Benedictinus Prüfeninganus, ut supra	*Philos.*

Ao. 1796.

15 Nov. *Jos. Maria Wagner*, Benedictinus Benedictoburanus, in hujate Gymnasio acad. I Rhetorices Prof.,
— *Jud. Thadd. Christ*, O. S. B. Mettensis, in Gymn. hujate III Gramm. Prof.,
— *Ottmarus Weiss*, O. S. B. Ettalensis, in Gymn. nostro II. Gramm. Prof.,
— *Jacobus Oberndorfer*, Eschenbacensis Palatin., Seminarii Georg. Subregens,
— *Maximil. Koch*, Parochus in Loitzenkirchen, } *Philos.*
— *Georg. Aschenbrenner*, Vielreichensis Boj. et *Simon Haberl*, Monac., Med. Dr Dr
— *Jos. Stürzer*, Hemaviensis, et *Laurent. Stork*, Neoburgensis Neo-Palatini,
— *Jo. Nepom. Beck*, Burghusianus Bojus, S. Theolog. Candidatus,
— *Jos. Nicol. Seitz*, Murnaviensis Bojus, Med. et Chir. Candid.,

Inter Inscriptos hoc anno locum sibi his in Annalibus merito exposcunt illustrissimus ac generosissimus *Adalbertus L. B. de Pechmann*, postmodo Canopi in partibus Episcopus, dein Reverendissimi Episcopi Passaviensis Vicarius generalis et cathedralis ejusdem Capituli Decanus; *Andreas Buchner* Altheimensis Bojus, post in alma Ludovico-Maximilianea Universitate Monacensi Historiarum Professor; *Mathias Epplen*, Wemdinganus, Philos. Studiosus, postea Judicii Appellationum Frisingensis regius Consiliarius; *Corbinianus Riester*, Erdinganus Bojus, sequiori tempore Ecclesiae aulicae ad S. Cajetanum Monacensis Concionator, postremo Ecclesiae ibidem metropolitanae Canonicus Capitularis; *P. Josephus Maria Wagner* O. S. B. Benedictoburanus, in hoc Electorali et academico Gymnasio Rhetorices I Professor, deinde Parochus in Hohenpeissenberg, ubi Astronomiae et Physicae, quas in

Ao.
1796. alma Universitate Salisburgensi per aliquot annos etiam publice docuerat, nonnihil vacavit, postremo Reverendissimi Archiepiscopi Monaco-Frisingensis Consiliarius et iterum Physices in Lyceo regio Frisingae Professor nec non Seminarii puerorum ibidem Inspector; *Georgius Michael Wittmann*, Cambensis Bojus, postea Ecclesiae cathedralis Ratisbonensis Canonicus et Summus Custos, imo etiam Episcopus a Ludovico Rege designatus atvero jam 8 Martii 1833 Bulla confirmatoria nondum recepta mortuus.

Sexto Januarii literas accepimus ab inclyta Academia Jenensi nobis transmissas, quibus ad exemplum aliarum Germanicarum Universitatum et Anglipolitana nostra humanissime invitatur, ut unacum iis adversum eat occultis Studiosorum sodalitatibus eademque in eas severitate procedat. Quem in finem communicantur Statuta quaedam a Serenissimis Dei gratia Principibus *Ernesto Friderico, Carolo Augusto et Georgio, Saxoniae Ducibus*, pro communi Academia sua approbata, quorum summa haec est: „Notum est omnibus, quod Nos infrascripti respicientes secretas sodalitates, utpote quae disciplinae academicae, bonis moribus, diligentiae et rei quoque familiari Studiosorum perniciosissimae singularibus jam dudum legibus in communi Nostra Universitate prohibitae sint, eo convenimus, ut omnes ejusmodi secretae Studiosorum sodalitates in quacunque Academia Germanica prorsus ac penitius interdicantur, ut quicunque Studiosorum hac prohibitione publicata in tali sodalitio permanserit aut recipi semet curaverit, statim ubique et absque ulla indulgentia relegationis poena in perpetuum afficiatur, neve in ulla alia Universitate Germanica recipiatur aut ad publicum aliquod in sua patria munus salva gratia Principis promoveatur; ut denique relegatio talis non solum in patria Relegati verum etiam cunctis aliis Academiis notificetur, et isthaec omnia legibus academicis inserta cuiquam Studiosorum data occasione immatriculationis graviter ac severe a Rectore inculcentur"; reliqua. Haec igitur Statuta a Serenissimo D. Electore nostro comprobata sunt; idque per intimam Curatoriam d. 20 Februarii ad Senatum academicum rescripsit et saluberrimae conventioni Jenensi Universitatem clementissime permisit jussitque accedere.

Vi clementissimi Rescripti dd. 21 Martii a Senatu academico Academicis interdictum est, ne *canes* in collegia et in templa

Ao. 1796.

adducerent. Fuit autem hoc tempore Ingolstadii occultus quidem insidiator, qui, cum hunc annum scholasticum sine strepitu et tumultu sed in pace et tranquillitate fluere ad invidiam usque videret, et publice nobis et aperte laqueos ponere vel nocere aut non posset, aut non auderet, ut saltem ex obliquo jacula feriret, minutissima quaeque, quae in Academicis observavit, ad summam Curatelam perscripsit.

Secundo Aprilis jam alterum adfuit Rescriptum a summa Curatela, in quo Academicis usus *vestis brevis,* quam equites solent gerere (Reitcolett) et gestatio *ferularum* (Reitgerten) non solum in collegiis sed etiam extra illa severe interdicitur. Atvero falsa omnino fuit ista delatio, cum vix unum vel alterum in plateis, neminem tamen in collegiis ejusmodi veste utentem vel ferulam gestantem hoc anno vidimus. Ideo unanimi votorum assensu a Senatu conclusum est, ut falsitas hujus delationis summae scholarum Curatelae fortiter et cordate declaretur.

Asservabatur in Bibliotheca nostra academica praeter alias res rariores etiam pretiosissimum aliquod SS. Bibliorum exemplar cura Fusti et Schoifferi Mogunti 1462 in charta pergamena impressum, quod plurimum reverendus *P. Maurus Hohe Ratisbonensis* mandante quodam sibi amicissimo Maecenate mille florenorum pretio mercari anhelabat. Quae res coram Patribus academicis agitata miram sententiarum dissensionem excitavit. Alii enim nummorum multitudine, quibus alios eosque maxime necessarios libros comparare possent, irretiti pro venditione suffragati sunt; alii non pauci in contrariam sententiam abierunt, inprimis *Henricus Maria de Leveling,* qui utne centies mille florenorum pretio venderetur hortabatur; alii denique ea de re utpote graviori ad supremam Universitatis Curatoriam referendum esse censuerunt; atque haec quidem postremo vicit sententia. Quo facto Calendis Maji celsissimum responsum tulimus, quod Serenissimus Sibi minime possit persuaderi, Bibliothecam academicam tam raro et pretioso decore atque ornamento unquam esse privandam. Itaque illud praestantissimum opus typographicum ad hunc ipsum diem, quo haec scribo, tuitum nobis et conservatum est.

De ceteris funestus hic fuit non Academiae solum sed toti fere patriae annus. Imminuit enim aestatis tempore exercitus

Ao.
1796. Francogallicus, Rhenumque transilit. Frustra Boica manus duce Francisco de Deroy fortissime sub moenibus pugnavit Manhemii. Totus Palatinatus Rhenanus hostium praeda fit. Jamque in Bavariam irruit miles vastandoque grassatur, donec sub finem mensis Augusti augustissimus *Archidux* **Carolus** *Austriacus* Francogallos e Palatinatu superiori repulit et cruento prope Herbipolin commisso proelio dissipavit. Illis diebus et arx Ingolstadiensis Austriaco munita praesidio ab hoste acerrime quidem sed incassum fuit oppugnata. Qua obsessione durante lectiones cum actibus scholasticis fuisse suspensas facile intelligitur.

Eo tempore, quum jam crebri ad nos afferrentur rumores de appropinquante theatro belli, singulis fere diebus ad concilium convocati sunt Patres academici consultaturi, quomodo res Universitatis, quae majoris momenti ac pretii esse viderentur, in tuto collocari possent. Post multas tandem atque serias deliberationes decretum fuit, ut Archivum unacum thesauro Congregationis majoris et quibusdam pretiosis Musei Orbaniani Monachium transportaretur; libri Bibliothecae in cellas, quae sub Gymnasio fuere; res aliae partim in museum mathematicum, locum nempe concameratum, partim in Archivum Jesuitarum transferrentur; quae omnia strenue executioni mandata sunt, petita tamen prius per duos legatos idcirco Monachium missos et obtenta a summa Curatela licentia. Octava Augusti clarissimus Collega *Fr. de Paula* **Schrank** cum Archivo et pretiosa suppellectile Monachium profectus est, cistasque omnes in hypomnematismo (Registratur) Camerae aulicae reposuit.

Tempore feriarum auctumnalium die 27 Septembris plurimum reverendus ac clarissimus *P. Beda* **Aschenbrenner**, qui Universitatem nostram per integrum sexennium cum solidissima doctrina tum scriptis etiam opusculis ornavit, Oberaltacensis O. S. B. Abbas electus est. Erat is autem hujus inclyti monasterii Praesul tertius quinquagesimus idemque ultimus, quem etiam multis post annis vita defunctum gratissima fama secuta est. Ut enim eruditione, integritate et praecipue in Pauperes largitate multis praeibat, ita in rebus gerendis industria aequales sibi perpaucos habebat. Obiit Ingolstadii, ubi dissoluto Suorum per saecularisationem conventu quod sibi vitae reliquum erat placidissime

Ao. 1796.

transigebat, 24 Julii 1817. Vacuam praeclarissimi Viri cathedram vi clementissimi decreti d. 31 Octobris 1796 obtinuit religiosissimus *P. Udalricus* **Riesch**, Philos. Theol. et utr. Juris D^r^, nunc autem Consiliarius ecclesiasticus actualis et ss. Canonum Professor p. o. designatus, qui jam in monasterio suo Benedictoburano, quod anno 1783 ingressus est, uberrimis studiis et studiorum exercitationibus optime se Superioribus commendavit, anno autem 1793 et proxime futuro etiam Frisingae primum Praefectus Gymnasii deinde Lycei ibidem Regens egregie suo munere functus est.

Cum praenobilis *Jo. Nep. Godofredus* **de Krenner**, Jurium Professor, etiam nunc multis et iis quidem difficilibus, quae differri minime poterant, negotiis et laboribus in suprema rerum publicarum administratione occupatus esset, Serenissimus 3 Novembris clementissime decrevit, ut idem usque ad futurum Pascha Monachii remaneret, deinde vero ordinarium quidem docendi munus in Universitate iterum reciperet, attamen ab omnibus academicis saltem extraordinariis e. gr. Rectoratu, Decanatu, aliis similibus officiis in biennium dispensaretur. Hoc ipso igitur Semestri hiemali eas, quas ille huc usque tradidit, disciplinas in juridica Facultate (Antiquitates nempe Germanicas et Historiam imperialem) interea *P. Udalricus* **Riesch** sacrorum Canonum Professor nuperrime designatus provisorio modo suscipiat praelegendas.

Jam vero antequam Rescriptum illud Serenissimi dd. tertia Novembris ad nos pervenerat, supra dictus *Jo. Nepom. de Krenner,* licet absens, unanimi votorum calculo in Rectorem Universitatis fuit delectus. Is vero datis decimo ejusdem mensis ad Senatum literis grates refert Patribus academicis, sed simul honorifico isthoc munere sese iterum abdicavit gravioribus ipsius Electoris negotiis, quibus Monachii retineretur, impeditus. Hinc decimo quarto Novembris novus Rector eligitur clarissimus *Casparas de* **Kandler.**

Proponente studiorum Directorio generali plurimum reverendus ac doctissimus SS. Theol. et Philos. D^r^ *P. Amandus* **Lieschmann** Benedictinus e monasterio Prüfeningano vi clementissimi decreti dd. 10 Novembris Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et Aesthetices Professor p. o. designatus est.

Ao. 1796. Denique in hujus anni historia locum sibi merito vendicant literarii labores, quos nonnulli Professores nostri typis publicis ediderunt, velut

in Fac. *juridica*

Beda **Aschenbrenner,** Commentatio de obligatione, quae nationi Germanicae incumbit, Concordata Aschaffenburgica (imo Vindobonensia) et annexa servandi, Ingolst. 4.

in Fac. *philos.*

Plac. **Heinrich,** De sectionibus conicis, tentamen analyticum, c. octo tabulis, Ratisb. 8.

Gabr. **Knogler,** Elemente der angewandten Mathematik, Ingolst. 8.

Fr. de P. **Schrank,** Sammlung naturhistorischer und physicalischer Aufsätze, c. tabulis aeneis, Norimb. 8.

ANNO DOMINI MDCCXCVII.

Ao. 1797. Rector DXLVII: **Casparus S. R. I. Eques** DE KANDLER, Jur. utr. Dr, Serenissimi Electoris Palatino-Bavari Consiliarius aulicus actualis; Romanarum Antiquitatum, Institutionum Juris Rom. et Juris feudalis Prof. p. o., Electoralis Instituti Stipendiatorum Albertinorum Ephorus et Quaestor, Scholarum trivialium Commissarius localis atque hujatis academici et civici Orphanotrophii Inspector.

Inscripti 104.

Illustres: *Jo. Nepom.* **L. B. de Quentell,** Schwandorfensis Neopalatinus.

Sigismundus **Comes de Etzdorf,** Ellvacensis Suevus.

Ao. 1797.

Jacobus **L. B. de Müller,** Neoburgensis Neopalatinus, Centurio resignatus e legione pedestri Hasso-Darmstadiensi.

Jo. Nepom. **L. B. de Peckenzell** de Dorfbach.

Maximilianus **Comes de et in Freyen-Seiboldsdorf,** Landishutanus Bojus.

Ferdinandus **L. B. de Andrian-Werburg,** Görzensis Austriacus.

Novus Prof. *Carolus Heller* **de Hellersberg,** Burghusianus, Historiae imperialis German. et publici Juris Bav. Prof. p. extraordinarius.

Novi DD.r 23 Maji *Carol. Heller de Hellersberg,* Jurium Prof. designatus, } *Jur.*

18 Aug. *Jos. Nicol. Seitz,* Murnaviensis Bojus,
— *Michaël Sorg,* Illerdiessensis Suevus,
— *Josephus Schaderer,* Frisingensis,
— *Jo. Evang. Stahl,* Kammerdorfensis Boj. } *Medic.*

In philosophica autem Facultate laurea doctorali coronatum neminem invenio.

Hoc anno item Albo nostro academico nomen dedit *Christophorus Schmid* Kemnathensis Palatinus, postea cruce civilibus de Corona Bav. meritis dicata insignitus et Ordinis Ludovici Eques, cathedralis Ecclesiae Augustanae Decanus, Jubilaeus Sacerdos, qui editis ad extremam usque senectutem permultis et iis quidem praestantissimis, quibus adolescentulos instituit, alit, delectat, historiolarum libris aequalium ac posterorum immortales grates laudesque sibi promeruit.

Tertia Februarii in pera Rectorali circumferuntur literae ad Magistratum civicum dandae, quibus certior idem fiat de sodalitate lusoria, quae quotidie in domo Senatoris civici N. convenit ibique non raro pernoctat, quod eo minus ferendum esse censent Patres academici, quod rumor sit, plures etiam Academicos huic sodalitio interesse, filiumque senatoris in eadem patris domo cum corrupta sua amasia cohabitare. Quapropter Senatus

Ao.
1797. academicus civicum admonet, ut huic domui invigilet atque id genus perniciosum conventiculum tollat.

Tertio Martii plurimum reverendo *D. Vito* **Winter,** Parocho ad D. V. Speciosam ac Professori historiae ecclesiastiacae, maligna febri graviter decumbenti sacra moriturientium sacramenta impertita sunt a magnifico D. Procancellario concomitantibus Sanctissimum cum ardentibus cereis omnibus et Universitatis et Gymnasii Professoribus. Infectus est autem isto morbo Pastor hic zelosissimus et Collegis suis ac Parochianis amatissimus, cum ab aegrotis captivis Gallis peccatorum confessiones exciperet. Jam enim mense Decembri superioris anni circiter 400 Galli captivi, quos inter plures febri putrida infecti advenerant, et in illis aedibus Collegii Jesuitarum collocati fuerant, quae domiciliis militum junctis destinatae vulgo vocantur *„die Convict-Kasern“*.

Decimo tertio Aprilis lectae sunt in concilio pleno literae a Magistratu civico ad Senatum datae, quibus Magistratus Patribus academicis nuntiat, numerum militum Austriacorum ita esse auctum, ut etiam in domos Professorum aliorumque exemtorum necessario sint collocandi, quos si recipere recusent DD. Professores, fors jubente Austriaco arci hujati Praefecto militum collocationem factum iri etiam adhibita vi. Respondit ad haec Senatus academicus, se minime passurum, ut in domos Professorum milites collocentur, cum sit probe gnarus conventionis Senatum inter et hujatem civitatem anno 1509 initae, qua domicilia Professorum ab omni militum collocatione eximantur unico casu excepto, quo de salute ipsius civitatis agatur. Ceterum rogatus est clarissimus jurium Professor *Fr. de Paula* **Spengel,** ut ipsum Praefectum Austriacum adiret, exploratum, eidemne animus sit privilegia Universitatis proterendi aut milites in Professorum domos etiam vi collocandi. Postero die Professor Spengelius de negotio heri sibi commisso scriptim retulit ad Rectoratum. Praefectus Austriacus in colloquio cum illo habito libere edixit, nunquam sibi eum, quem de se Magistratus civicus ad academicum Senatum prodidit, fuisse animum; imo potius se velle, persuasi sint Patres academici, se ubique et semper privilegia Universitatis pro viribus tuiturum, eaque nunquam nisi casu extremae necessitatis laesurum.

Ao. 1797.

Quae sensa postea etiam scriptim ad Senatum academicum edidit idem Praefectus.

Quum Serenissimus praenobilem Jurium Professorem et a summo Electorali Gubernio Consiliarium *Joannem Nepom. Godofredum de Krenner* ad elucubranda nonnulla de rebus publicis scripta aliquanto diutius, quam ab initio putabat, Monachii retinere necesse duceret, clarissimus utriusque Juris Licentiatus *Carolus Sebastianus* **Heller ab Hellersberg,** Burghusianus, qui 14 Septembris 1772 natus peractisque apud nos academicis studiis in judiciali praxi haud mediocriter fuit exercitus, ex decreto d. 28 Aprilis Jurium Professor extraordinarius necnon Collegii Juridicorum Ingolstadiensis Assessor clementissime designatus, eique cathedra Krenneriana provisorio modo tradita est.

Constituto hoc novo extraordinario Jurium Professore *D. Andreas* **Rohr,** per plures jam annos Professor juris aeque extraordinarius datis ad summam Curatelam literis et suis et Facultatis suae promotorialibus petiit munus ordinarii Professoris. Obtinuit autem responsum sequentis tenoris: *„Se. Churfürstl. Durchlaucht miskennen die Verdienste des Professors Rohr nicht, sind aber für diessmal nicht gesonnen, einen Professor juris ordinarius anzustellen, sondern wollen abwarten, welcher von beiden Extraordinariis sich am besten auszeichnen werde.“*

Vigesimo tertio Maji in ecclesia S. Mauritii peracta sunt justa funebria pro *D. Antonio de Leveling,* Professoris de Leveling senioris filio, Jurium Candidato. Lavit sese hic nobilis adolescens cum pluribus aliis Academicis in Danubii brachio; cumque se rapido flumini nimium committeret, ab eodem correptus atque aquis submersus usque ad oppidum Vohburg asportatus quarto demum die inventus est.

Sub idem fere tempus novi duo summi Concuratores clementissime designati sunt: illustrissimus *D. Wilhelmus S. R. I. Comes de Leiningen-Gundersblum* et excellentissimus *D. Antonius de Eyb,* Electorales Consiliarii intimi.

Cum saepenumero eveniret, ut adolescentes relicta Universitate statim munera Consiliariorum aut Assessorum in Electoralibus Collegiis captarent, quin prius praxin judicialem et administrativam et necessarias pro ratione officiorum scientias sibi

Ao. 1797. comparassent; Serenissimus Elector die 15 Maji singulare rescriptum emisit docens, quomodo adspirantes ad capessenda munera publica gradatim sese debeant praeparare, simulque mandans, ut Decani celsissimum rescriptum omnibus quotannis Jurium et Scientiarum cameralium Candidatis ab Academia abituris rite publicandum curarent. Quae ordinatio, cum sit longior, infra typis exscripta est.

Clementissimo Electorali decreto d. Calendis Augusti praenobilis ac clarissimus *Fr. Xaverius* **de Moshamm,** Jurium Professor p. o. etiam Collegii Juridicorum Assessor designatur.

Cum fama ferret, Serenissimum Electorem unacum amatissima Electrice Neoburgum proxime venturum esse illustrissimam Ducissam Bipontinam viduam ibidem commorantem invisendi causa, cõncilio convocato conclusum est, delegandos illuc esse *Magnificum Rectorem, Procancellarium, Decanos juridicum* et *medicum.* Qui quum vigesimo Junii Neoburgum venissent, a Serenissimis clementissime sunt excepti, posteroque die rediere, excepto Decano medico, *Henr. Palmatio* **de Leveling,** vocato ad Principem Oettinganum de Spielberg, qui Neoburgi apoplexia tactus paucis post diebus ibidem obiit.

Circa festa natalitia Domini milites Austriaci Ingolstadio excesserunt. Eorum locum cohortes duae occuparunt, quarum altera Herbipolensium peditum erat, altera quae *Principis Rutheni de Plauen* dicitur. Qui praesidio praeerat, bellidux *Dal Aglio* paulo tardius abiit, ejusque locum obtinuit Colonellus Coloniensis cui *Mylii* nomen.

Nec silentio praetereundos hoc anno censeo, qui etiam scriptis monimentis rem literariam ditarunt. Curarunt autem typis exprimi

in Fac. *juridica*

Car. Seb. **de Hellersberg:** Ueber den Regierungsverzicht des Bayern-Münchnerischen Herzogs Sigismund, c. duodecim Msscr. documentis, Ratisb. 8.

in Fac. *medica*

Palm. **de Leveling:** Medicinische Ortsbeschreibung von Ingolstadt, Ingolst. 4.

Ao. 1797.

in Fac. *philos.*

Fr. de P. **Schrank:** Nachrichten von den Begebenheiten und Schriften berühmter Gelehrten, T. I. Norimberg. 8.

ANNO DOMINI MDCCXCVIII.

Ao. 1798.

Rector DXLVIII: **Henricus Maria S. R. I. Eques** DE LEVELING, Philos. et Med. D.r, Serenissimi Electoris Palatino-Bavari Consiliarius aulicus actualis; Anatomiae, Physiologiae, Diaeteticae et Anthropologiae Prof. p. o.; Academiae Caesareae naturae Curiosorum socius, et Statuum provincialium pro circuitu Ingolstadiensi Physicus.

Inscripti 110.

Illustres:

Judas Thaddaeus **L. B. de Reigersberg,** Burghusianus Bojus.

Fridericus **Comes de Holnstein,** Ambergensis Palatinus.

Josephus **L. B. de Pfetten** a Marienkirchen (deest in matriculis patria).

Novi Professores:

Aloys. **Winter,** Manhemiensis; Chirurgiae Prof. p. o.

Petrus Theodorus Nobilis **de Leveling,** Ingolstadiensis; Pathologiae, Clinicae medic. et Historiae medico-literariae Prof. p. o.

P. Dominicus **Gollowitz,** O. S. B. Oberaltacensis; Theologiae moralis et pastoralis, S. Eloquentiae et Liturgiae Prof. p. o.

P. Maurus **Magold,** O. S. B. Tegernseensis; Matheseos Prof. p. o.

Ao.
1798. *Carolus Josephus* **Niederhuber,** Mogonus; Anatomiae et Medicinae forensis Prof. p. extraordinarius.

Novi DD.ri
6 Nov. *Dominicus Gollowitz,* Philos. D.r, Theol. moralis &c. Prof. design. — *Maurus Magold,* Philos. D.r, Matheseos Professor designatus } *Theol.*

6 Nov. *Dominicus Gollowitz,* — *Maurus Magold,* } Benedictini, Elect. a Consiliis eccl. act., vd. supra.
— *Cölestinus Ostermann,* O. S. B. Andechsensis, in hujate Gymnasio academico I et II Grammat. Prof.,
— *Andreas Wedl,* Hirschaviensis Palatin., Ratisbonae Physic. et Mathematicae Prof. } *Philos.*

Inscriptis h. a. jam supra laudatis ob meritissimam postea famam addendi sunt *P. Emmeramus Salomon,* Wernbergensis Palatinus, O. S. B. ad S. Emmeramum Ratisbonae, sequiori tempore regii ibidem Lycei Professor Theologiae dogmaticae; et *Joannes Baptista Weissbrod,* Burghusianus Bojus, post celeberrimus in alma Ludovico-Maximilianea Universitate Monacensi Professor, de quo saepius in his Annalibus sermo redibit.

Mense Martio prope exeunte de Studiosis, qui 24 Januarii cum pistoribus Caesarianis *rixas* habuerunt, ad Senatum celsissimum pervenit rescriptum, quo nonnulli illorum relegatione puniti sunt. Cum tamen haec poena Patribus conscriptis ad unum omnibus nimis gravis videretur, essentque inter damnatos, qui a Professoribus suis egregia studiorum testimonia referrent et morum alias inculpatorum essent, ideoque non solum Senatus academicus verum etiam ipse Praefectus subsidio *D. Mylius* pro iisdem intercederent apud summam Curatelam, relegatio in poenam octiduani carceris commutata est.

Praenobilis *Philippus* **Fischer,** Chirurgiae Professor p. o. iterata et incurabili apoplexia tactus per Electorale decretum dd.

Ao. 1798.

18 Maji salvo integro suo salario in Emeritorum numero repositus, et in ejus locum clarissimus Chirurgus praetorii *Aloysius* **Winter**, Consiliarius medicus actualis et tunc temporis Manhemii Chirurgiae Professor suffectus est, ita ut interim quidem suum, quod hucusque ibidem acceperat, stipendium continuaret, mortuo autem Fischero in ejus salarium academicum ceteraque emolumenta succederet. Doctissimus autem *Carolus Josephus* **Niederhuber**, Ingolstadiensis 20 Febr. 1754 natus, Med. et Chir. D.r et h. t. Prosector, qui eandem cathedram impensis precibus consectatus est, quamquam et ipse in Medicina et Chirurgia dexterrimus artisque obstetriciae peritissimus maximam jam sibi comparaverat commendationem atque a Collegio medico diploma cum rara nota „*Eminenter*“ obtinuerat, in praesenti quidem repulsam tulit, addita tamen consolatione, quod utique posset sperare, fore ut statim proxima obveniente vacatura clementissime in eum respiceretur. Atque id paulo post sibi contigit.

Die enim 9 Julii aetatis suae anno sexto et quinquagesimo mortem oppetiit praenobilis ac clarissimus *Henricus Palmatius S. R. I.* **Eques de Leveling**, Philos. et Med. D.r, Electoris Bavariae a Consiliis aulicis actualibus, celsissimi Principis et Episcopi Frisingensis Consiliarius intimus et Protomedicus, Principis item de Thurn et Taxis Archiatrus consultus, Academiarum complurium praecipue Caesareae Physicorum Vindobonensis, Electoralis Bavaricae scientiarum Monacensis, Regio-Gallicanae Medicorum Nancejensis &c. socius; postquam bis Rector Magnificus, et per viginti omnino et septem annos Pathologiae, Medicinae clinicae et Historiae medico-literariae Professor p. o. de alma Universitate nostra optime meritus est. Non solum enim medicam praxin tanta cum dexteritate exercuit, sed etiam disciplinas suas ea cum ingenii facilitate et maturitate judicii docendique claritate tradidit, ut merito inter summos sui temporis doctores medicos fuisset computatus. Sed et pignora literaria ad posteritatem transmissa id ipsum manifeste loquuntur. Defuncti laudes oratione funebri condigne celebratae sunt; illius vero imago artifici Jungwirthi Monacensis manu in aes incisa ad posteros transmissa.

In cathedram patris vi clementissimi decreti 28 Julii filius successit clarissimus *Petrus Theodorus* **Nobilis de Leveling**, Philos.

Ao.
1798. et Med. D^r, Consiliarius actualis, qui supra dictas disciplinas jam in Academia Heidelbergensi cum egregia laude docuerat. Assignatur ei legitimum mille florenorum stipendium, viduae vero defuncti pecunia gratiosa trecentorum et liberis usque ad annum aetatis octodecimum quinquagenorum quotannis florenorum. Centum denique et viginti quinque, qui ex salario Palmatii supererant, floreni supradicto Prosectori in remunerationem destinati sunt, eique ab ipso Serenissimo clementissime promissum est, quod in cathedram proxime vacaturam nulla habita prius consultatione statim immitteretur. Imo vero ex decreto dd. 9 Octobris hujus anni idem optime meritus et egregie commendatus *Carolus Josephus Niederhuber* extraordinarius Medicinae Professor designatus est.

In numerum autem eorum, qui ad administrandum Universitatis aerarium deputati sunt, loco Palmatio per celsissimum decretum d. 20 Septembris illustris ejus filius *Henricus Maria de Leveling* receptus est. *Petro* autem *Theodoro* ejusdem filio vi rescripti die 24 Octobris quoad praecedentiam et sessionem in Senatu academico senium ab anno jam 1789, quo is Heidelbergae publico docendi munere fungi coeperat, computatum est.

Ex clementissimo decreto Serenissimi dd. 24 Augusti h. a. mandatum est, ut ab investitis Ecclesiarum parochialium *Schamhaupten, Pondorf* et *inferioris Haunstadt* Rectoribus, quos installandi jus secundum Electorale Rescriptum 4 Junii 1796 penes Universitatem residet, in posterum nonnisi minor quae vocatur taxa seu aestimatio (quinque scilicet florenorum) exigatur pro immissione in fructuum possessionem persolvenda.

Sub finem Augusti vir spectatissimus plurimumque reverendus *P. Placidus* **Heinrich** ob male affectam valetudinem in monasterium suam reversus mox easdem fere, quas publice hucusque tradiderat, disciplinas domestice docere perrexit; anno autem 1811 iterum quidem publicam Physices experimentalis, Chemiae et Astronomiae cathedram sed eam in Lyceo regio Ratisbonensi suscepit. De lucubrationibus, quibus sequiori tempore literarium orbem ditavit, recensere eas sufficiat, quas ipse in gratam sui memoriam Vir pretiosissimus ad bibliothecam nostram transmisit, scil. *De longitudine et latitudine geographica urbis Ratisbonae observationibus astronomicis determinata*, Tentamen I. c. tab. aenea,

Ao. 1798.

Ratisb. 1801. 4; *Von der Natur und den Eigenschaften des Lichtes,* quae dissertatio a celeberrima literarum Academia Petropolitana proposito praemio ornata et publicis typis edita est Petropoli 1808. 4; *Monumentum Keplero dedicatum* Ratisbonae die 27 Decembr. 1808, Ratisb. 1809. fol.; *Die Phosphorescenz der Körper,* quam permultis tentaminibus probatam demonstravit et quinque conscriptam partibus intra ann. 1811—1816 publici juris fecit Ratisbonae, 8. Sed et alias complures variis Ephemeridibus inseruit commentationes et praestantissimum illud *Diarium meteorologicum* a PP. Benedictinis ad S. Emmeramum jam anno 1771 coeptum et junctis complurium Fratrum studiis exaratum ab anno inde 1811 ipse solus ea cum curiositate continuavit, ut factas a se quovis die decem observationes adnotaret.

In vacuam ex abitu laudatissimi *Henrici* cathedram mathematicam vi clementissimi decreti Electoralis d. 6 Octobris suffectus est religiosissimus *P. Maurus* **Magold**, Benedictinus in monasterio Tegernseensi. Is Schongaviae 12 Julii 1761 natus, postquam sacra Ordinis sui vota professus aliquamdiu fratres Novitios domesticus Lector in Philosophia instituerat, anno 1789 a Reverendissimo Gregorio Abbate in Academiam Ingolstadiensem missus ibique familiarissimo doctorum virorum commercio usus est. Inde rursus triennalibus domesticis officiis in claustro occupatus, antequam academicum magisterium in hac Universitate adeptus est, per quinque annos in Lyceo Ambergensi Philosophiam et Mathematicam egregia cum laude docuit.

Loco autem religiosissimi *P. Georgii* **Schneller**, Philos. et Theol. D.r, Consiliarii ecclesiastici, qui post annos septem, quibus in hac nostra Universitate officium suum graviter ac severe administravit, Superiorum jussu in claustra sua haud invitus abiit, die 6 Octobris Theologiae moralis, pastoralis et liturgicae cathedram obtinuit plurimum reverendus *P. Dominicus* **Gollowitz**, ejusdem O. S. B. Oberaltacensis, natus in Geiselhoering 31 Maji 1761, qui antequam huc evocatus est, aliquamdiu in monasterio suo Professoris ac Bibliothecarii, post etiam Prioris officio functus, opuscula quaedam multis nominibus laudanda, videlicet *Theologiae moralis in systema redactae Principia* 1786. 4; *Theologiae revelatae*

Ao.
1798. *Principia theoretica,* 1787; *Theoreticae religionis nostrae veritates,* 1788; *Religionis christiano-catholicae veritates,* 1789; *Specimen praelectionum patrologicarum,* 1790; *Historiae eccles. a Christo nato usque ad Carolum M. Epitomen,* 1791; aliaque typis publicis Straubingae ediderat.

Die 25 Novembris a prandio hora secunda communicatum est in Pleno Rescriptum a summa Curatoria demissum, quo Senatui academico nunciatum est, fore ut *D. de Wenger* Camerae aulicae Consiliarius nec non rei venatoriae Praefectus atque *D. Daezl* scholae saltuariae Prof. Monacensis propediem Ingolstadium mitterentur, qui bona, saltus reditusque Universitatis omnes inspicerent melioremque eadem administrandi rationem determinarent, porro saltuum ad Academiam pertinentium conficerent ichnographias. Quod quum absque magnis sumtibus haud fieri posse persuasum esset Senatui, Patres consilium inierunt, duos e gremio suo mittendi Monachium, qui summae Curatelae demonstrarent, hoc negotium longe facilius et levioribus impensis perfici posse, si ex Professoribus academicis deligerentur in rebus Academiae versatissimi, quibus integrum Universitatis statum oeconomicum perscrutandi ac novam melioremque administrationis methodum, quam et ipsemet Senatus exoptaret, adumbrandi munus committeretur; opus vero conficiendi sylvarum academicarum ichnographias optime permitti posse Professori matheseos, qui et illud libenter esset suscepturus. Ceterum ante omnia opus esse, ut Camerario Universitatis nova praescribatur instructio, ne in posterum solus et independenter a Senatu circa bona Universitatis disponat. Datis suffragiis, qui Monachium mitterentur, electi sunt *DD. Siardi* et *Semer,* Jurium Professores, his autem ire recusantibus delegantur *DD.* **Schrank** et *Henr. Maria* **de Leveling.** Hi 3 Decembris Monachio reversi placationem attulerunt intermissionis istius odiosae delegationis.

Monimenta denique literaria hoc quoque anno Professores nostri in lucem prodiderunt, sc.

in Fac. *theologica*

Dom. **Gollowitz:** Historiae eccles. Epitome a Carolo M. ad nostra usque tempora, Landish. 8.

Ao. 1798.

in Fac. *juridica*

Carol. **de Hellersberg:** Ueber die Verhältnisse zwischen der Gerichtsbarkeit und den Scharwerken in Bayern &c. Norimb. 8.

Godofr. **de Krenner:** Ueber gemischte und sg. Weiberlehen nach den Gewohnheiten und Gesetzen der kurfürstlichen Lehenhöfe in Bayern, cum pluribus documentis nondum editis et Appendice: Ueber den Ursprung der bayerischen Beutellehen, Rastad. 8.

Fr. Xav. **de Moshamm:** Ueber die Amortisationsgesetze überhaupt und insbesondere in Bayern, Ratisb. 8.

in Fac. *philosoph.*

Fr. de P. **Schrank:** Fauna Boica, T. I, Norimberg.

ANNO DOMINI MDCCXCIX.

Ao. 1799

Rector DXLIX: **Gabriel** KNOGLER, Benedictinus Schyrensis, S. Theol. et Philos Dr, Serenissimi Electoris Consiliarius ecclesiasticus actualis; Physices et Astronomiae Prof. p. o.

Inscripti 144.

Illustres:

Menradus Guilielmus **Comes de Etzdorf** a Weihenstephan, Pfetrach, Essern, Tegernbach et Kolmstein; Landishutanus Bojus.

Maximil. Joseph. Theodorus **Comes Boichotte d'Erps,** Monacensis.

Petrus **L. B. de Widnmann** de Rapperszell, Neoburgensis Neo-Palatinus.

Franciscus Xaverius **L. B. de Schacky** de Neosinzenhausen, Mindelstetten et Grashausen; Burghusianus Bojus.

Ao. 1799.

Ferdinandus **L. B. de Geeboeck** de Sulzemoos et Arnbach, Landishutanus Bojus.

Carolus Josephus **L. B. de Drechsel** a Teufstetten, Bergstetten et Kager; Palatinus.

Novi Proff.

P. Jo. Michael **Sailer**, Beneficiatus Aislinganus, iterum S. Theologiae moralis et pastoralis Prof. p. o.

Patricius Benedictus **Zimmer**, Abbatisgmundensis Suevus, Parochus Steinheimensis; S. Theologiae dogmaticae Prof. p. o.

Antonius **Michl**, Ebersbergensis Bojus, Parochus in Randelsried; Juris canonici et Historiae ecclesiasticae Prof. p. o.

Joannes Georgius **Fessmaier**, Staufersbuchensis Palatin.; Jurium primum extraordinarius, brevi post publici Juris Bavarici et S. R. I. Principum Juris Prof. p. o.

Nicolaus Thaddaeus **Goenner**, Bambergensis Franco; Juris Germanici Prof. p. o.

P. Benedictus **Holzinger**, Benedictinus Raitenhaslacensis; Jurium cameralium Prof. p. o.

Carolus Josephus **Niederhuber**, nunc Artis obstetriciae, Anatomiae, Medicinae publ. et forensis Prof. p. o.

P. Paulus **Hupfauer**, Canonicus regularis Beuersbergensis; Logices, Metaphys. et Historiae philos.-literariae Prof. p. o.

Josephus **Milbiller**, Monacensis; Historiarum Prof. p. o.

Josephus **Oeggl**, Subbibliothecarius Universitatis et Collegii Georgiani Regens; Philologiae Prof. p. o.

P. Gregorius Leonardus **Reiner**, Canonicus regularis Steingadensis; iterum Philosophiae Prof. p. o.

Ao.

Josephus **Socher,** Peutinganus Bojus, Parochus in 1799.
Oberhaching; Philosophiae theoreticae et ejusdem Historiae literar. Prof. p. o.

Josephus **Weber,** Rhainensis Bojus, Parochus Deininganus; Physices experimentalis et Historiae naturalis Prof. p. o.

Antonius **Braun,** Judex urbanus Ingolstadiensis; Jurium Prof. extraordinarius.

Fr. Xaverius **Krüll,** Kelheimensis Bojus; Jurium Prof. extraordinarius.

Laurentius **Kappler,** Koenigshemiensis Moguntinus; Paedagogices Prof. extraord.

Josephus **Stürzer,** Hemaviensis Palatinus; Jurium privatim docens.

Novi DD^{r}	7 Dec.	Plur. rev. Philos. et utr. Juris D^{r} *Antonius Michl;* Philos. Doctores *Paulus Hupfauer, Josephus Milbiller, Laurentius Kappler,* novi Professores clementissime designati,	*Theol.*
	2 Jun.	Clariss. D. *Joannes Georgius Fessmaier,*	*Jur.*
	7 Dec.	Pl. rev. Philos. D^{r} *Antonius Michl,* Professores academici neo-desig.,	
	27 Apr.	*Antonius Naegele,* Düsseldorpiensis ex Ducatu Montium,	*Medic.*
	29 Maj.	*Fr. Wilhelm,* Massenhusanus Bojus, Chirurg. aulicus Monacens.,	
	23 Aug.	*Joannes de Deo Schreiner,* Hoeggensis Bojus,	
	—	*Mathias Elfinger,* Oettinganus Rhaetus,	
	—	*Jo. Ferdinandus de Dumhof,* Leidlinganus Neo-Palatinus,	
	—	*Joannes Baptista Sax,* Waalensis Algojus,	
	—	*Josephus Fidelis Aicher,* Vetero-Oettinganus Bojus,	

Ao.			
1799.	16 Apr.	*Martin. Drexler*, Cambensis, Canonicus ad S. Joann. Ratisbonae,	*Philos.*
	—	*Leonard. Scharl*, Lautenschwangensis Palatinus, in Collegio Ducali Georgiano h. t. Subregens,	
	—	*Michaël Schick*, Waldmonacensis Palat., Parochus Altenbucensis,	
	7 Dec.	Plur. Rev. *Anton. Michl, Paul. Hupfauer, Jos. Milbiller, Laurentius Kappler*, et clariss. D. Medic. & Chirurg. D^r *Jos. Carolus Niederhuber;* Professores nuperrime h. l. constituti, vd. supra.	

Inter Immatriculatos hoc anno honorem Universitatis haud parum auxere *Joannes Nepom. Hoefler* Dilinganus Suevus, et *Franc. Xaverius Klemm* Monacensis, Jurium Candidati, uterque postea Supremi Monacensis Provocationum Judici Consiliarius; item *Franciscus Wilhelm*, Chirurgus aulicus et Statuum provincialium Obstetricator, Massenhusanus Boj.; *P. Thaddaeus Siber*, Benedictinus Schyrensis, celeberrimus postea Physices Professor, de quo inferius plura; *Georgius Simon Gerngross*, Ambergensis Palatinus, Jurium Candidatus, post regii Bav. civil. merit. Ordinis Eques et Landishutani Appellationum Judicii Director; *Andreas Miny*, illustrissimi Principis de Thurn et Taxis Consiliarius aulicus, Ratisbonensis; praesertim *Fr. Xaverius Schwäbl*, Reisbacensis Bojus, Alumnus in Seminario Bartholomaeo, Theologiae Candidatus, qui sequioribus annis Ecclesiae metropolitanae Monaco-Frisingensis Canonicus, postremo Ordinis civil. de Corona Bavar. meritorum Eques et cathedralis Ecclesiae Ratisbonensis Episcopus a serenissimo Rege **Ludovico** I designatus est.

Plurimum reverendus *D. Stickel*, hucusque *Parochus in Weiharing*, munus Patris spiritualis apud Moniales in Indersdorf suscepturus, cum sacerdote non Bavaro sed alienigena, quondam Cooperatore suo, de venditione suppellectilis suae convenit, eumque dein Domino *Regenti Collegii Georgiani* commendavit, ut illum in successorem suum nominaret praesentaretque ad parochiam

Ao. 1799.

Weiharinganam. Regens autem Stickelii amicus eique permultum favens sacerdotem sibi commendatum ad praefatam parochiam praesentavit, nullo ad D. Subregentem, virum de Collegio optime meritum, vel alium sacerdotem indigenam respectu habito. Quod cum audirent *Patres Facultatis philosophicae* id ipsum aegre ferentes in sessionem convenerunt et qua Directores Collegii D. Regenti provocato factam suam praesentationem exprobrarunt declarantes tamen hac quidem vice, cum res non amplius sit integra, et praesentatio jam ad reverendissimum Ordinariatum missa, se connivere velle, in posterum vero sibi jus praesentandi ad Parochiam Weiharinganam vindicaturos.

Sedecimo Februarii hora tertia pomeridiana in jus mortalitatis vocatus e vivis discessit serenissimus *Dux et Elector* CAROLUS THEODORUS, eodemque die gloriosissimus ejus successor MAXIMILIANUS JOSEPHUS IV. Dei gratia Comes Rhenano-Palatinus, utriusque Bavariae Dux, S. R. I. Archidapifer et Elector &c. &c. solemniter proclamatus et ingenti ubique cum gaudio exceptus est. Nec superiores in tanta laetitia tulit alma Universitas nostra, sed actutum Delectos Monachium misit, novo Principi ac clementissimo Domino omni qua par est devotione gratulaturos.

Decimo octavo Februarii noctu mortuus est *Schleifer,* apparitor academicus, quem Bidellum seu Pedellum vocant, cujus uxor annorum jam sexaginta et ultra circa horam sextam matutinam continuo omnium Professorum fores pulsat, officium a marito suo defuncto gestum rogans pro hortulano Melitensi, viro vix viginti tres annos nato, cui se nupturam absque rubore confitetur. Jam postridie in Concilio pleno leguntur supplices eorum, qui in vicem defuncti Pedelli substitui postulant, numero tredecim, quos inter et hortulanus Melitensis *Bernardus Bauer.* Datis suffragiis per majora constituitur *Josephus Lutz,* hucusque Bidelli Substitutus, ea conditione, ut viduae antecessoris sui quotannis centum florenos libenter cedat. In locum Substituti sufficitur *Mathias Heilmaier,* puerorum hucusque informator.

Calendis Martii *Galli* denuo, ut in ephemeridibus publicis legimus, fixum sibi pace in Campo-Formio confecta terminum, *Rhenum,* transmearunt, quod Imperator Germanorum Directorio

Ao.
1799. Parisiensi, ut Russos Germanico imperio moveret, postulanti nullum responsum dederit. Quapropter etiam miles Austriacus cum in Italia tum in Bavaria Sueviaque magna copia contrahitur.

Vigesima prima Martii aetatis anno septuagesimo quarto diem supremum obiit Universitatis nostrae Senior meritissimus, praenobilis ac magnificus *Josephus Antonius* **Carl,** Philos. & Med. Dr, Elect. Consiliarius aulicus actualis, Scientiarum Academiae Monacensis Socius jam saepius in his Annalibus laudatus, qui bis Rectoris munere functus est, et per annos quinque et quadraginta in saluberrima Facultate Professoris p. o. officium ita sustinuit, ut singularem sibi tam ore quam calamo laudem pepererit et in obstetricia arte prae ceteris maxime eminuerit. Dissertationibus supra jam recensitis adde sis aliquot illic omissas, quas omnes Ingolstadii in 4. ediderat: *De ignis gravitate,* 1749; *Zymotechia vindicata et applicata* 1759; *De palingenesia,* 1759; *De oleis,* 1760; praeterea Dissertationes duas, alteram nempe: *Von dem Gesundbrunnen Heilbrunn in Bayern;* alteram: *Vom Selzerbrunnen in Oberbayern.* Utraque haec in Commentationibus Electoralis Scientiarum Academiae Monacensis (sect. philos.) T. II. P. II. pagg. 199 sqq. evulgata est. Eximias hujus clarissimi Viri laudes oratione funebri prosecutus est *Petrus Theodorus de Leveling.*

Defuncti cathedram ex celsissimo decreto dd. 17 Aprilis obtinuit clarissimus *Carolus Josephus* **Niederhuber,** ex eodem die designatus Electoralis Consiliarius medicus actualis et Artis obstetriciae, Anatomiae &c. Professor publ. ord. De salario autem Carliano ita dispositum est, ut qui ei in docendi munere successit florenos sexcentos, quadringentos autem reciperet artis veterinariae Doctor et Professor Monacensis *Antonius Will,* ita ut uterque jam integro mille florenorum, quod est ordinarii Professoris, stipendio gauderet.

Cum fuisset in Pleno decretum, mittendos esse Monachium, qui nomine totius Universitatis Serenissimo Electori MAXIMILIANO JOSEPHO ejusque dilectissimae conjugi WILHELMINAE optimi regiminis auspicia gratularentur, ad hoc honorificum munus praeter Rectorem Magnificum ac Procancellarium designati sunt quatuor Decani. Hi vigesimo quinto Martii primo mane Monachium profecti ibique gratiosissime excepti vota sua sincerissima clemen-

Ao.
tissimis Principibus obtulerunt. Adierunt etiam Principem **Birkenfeldium**, declaratum modo *Ducem Bavaricum*, ac postremo *Ministros quatuor Collegiorum*, quibus ex nova organisatione omnia negotia commissa sunt, eosque peraeque humanissimos invenerunt. 1799.

Principes Austriaci **Maximilianus**, Elector Coloniensis, et **Ferdinandus** ipsius frater, Dux Mediolanensis, hic Monachio, ille Mergenthemio pridie Calendas Apriles Ingolstadium venerunt, inter se collocuturi. Senatus igitur debitos hisce Principibus honores exhibere paravit, quos tamen uterque benignissime deprecati sunt.

Serenissimus Dominus Dux et Elector **Maximilianus Josephus** omnem rem scholasticam et educatoriam solis, qui sunt a Suo Ministerio intimo, Deputatis commissurus etiam summam Academiae Curatelam in posterum supra dicto Ministerio, cui perillustris D. *de Vacchiery* pro rebus Universitatis oeconomicis adjungitur, concreditam esse voluit, ac proinde die 5 Aprilis clementissime praecepit, ut Senatus academicus jam omnes graviores causas more quidem solito sed immediate ad Ministerium pro rerum cognitione et approbatione referendas curaret. Ex hoc clementissimo Electorali decreto jam illustrissimo *Comiti* **de Morawitzky** illius Collegii, cui negotia ecclesiastica commissa sunt, Ministro (ut vocant) suprema Universitatis Curatela concredita est adjunctis duobus secretioribus Referendariis *Domino* **de Zentner**, Heidelbergae antea jurium Professore, et *Domino* **de Branka.**

Serenissimus item Universitati Anglipolitanae successura omnia esse ex sententia cupiens, et incrementum ejus opportunis omnibus remediis adjuturus per rescriptum d. 4 Maji clementissime huc transmissum omnes atque singulos Professores evocavit, ut intra terminum duorum mensium suas quisque sententias et propositiones non solum de emendandis forte academicis disciplinis supplendisque iis, quibus Ecclesiae et Reipublicae saluti potissimum consuleretur, literarum studiis, verum etiam de prosperrima aerarii academici administratione literis separatis intimae Universitatis Curatoriae insinuarent.

Ineunte mense Majo perillustris *Carolus* **de Hellersperg**, Jurium per tres annos Professor extraordinarius, Ducis Palatino-Bipontini Consiliarius aulicus pluriumque Academiarum socius Monachium vocatus abiit, Electoralis ibi publicae rei administrandae

Ao.
1799. Directorii Consiliarius futurus. In ejus autem locum ex Serenissimi Electoris decreto dd. 21 Maji doctissimus utriusque Juris Licentiatus *Joannes Georgius* **Fessmaier**, Staufersbuchensis in Palatinatu superiori (natus 12 Januarii 1775), Jurium in hac alma Universitate Professor extraordinarius cum annua gratificatione ab amplissimo Senatu academico destinanda huc arcessitus, die 27 ejusdem mensis summos in Jurisprudentia honores capessivit, et 8 Junii praelectionum suarum initium fecit habita dissertatione, quam postero demum anno typis edidit s. t. *Diplomatische Skizze von dem alten Vicedom-Amt Lengenfeld* cum XVI Documentis Mss. originalibus. Idem vero jam sub finem hujus anni Juris Bavarici et S. R. I. Principum tam publici quam privati Professor publ. ordinarius cum integro salario clementissime designatus est.

Die quarto Julii celsissimum nobis delatum est decretum Electorale, saluberrima praecepta continens de accessu judiciali et collegiali praxi, quibus Jurium Candidati absolutis suis studiis ab Universitate discessuri ad capessenda publica in Collegiis sive judicialibus sive administrativis munera se praeparare teneantur. Hujus resolutionis summam integram infra in Appendice Constt. ad Nr. III exscribendam putavi.

Sub finem mensis Augusti rumor percrebuit, reverendum *D. Parochum Abensbergensem* dysenteria correptum mortique jam proximum esse. Quo nuntio excitati plures Candidati pro obtinenda hac parochia supplicarunt, quorum praecipui erant *D. Haertl*, per annos quatuordecim Cooperator ad Ecclesiam academicam; *D. Lechner*, Parochus in Zuchering; *D. Niedermaier*, aliquot jam annis in ecclesia ad D. V. Speciosam Concionator; et *D. Fr. Xav. Stoll.* Postremus omnibus quidem Patribus academicis plane incognitus, literis tamen ab illustrissimo *Comite* **de Morawitzky** ad Senatum datis enixe collaudatus est. Penultimum autem maxime Parochus superioris civitatis commendavit, jamque pro eo vivente adhuc parocho aegrotante (Juris canonici scilicet parum gnarus) vota Patrum academicorum colligere tentavit, et ipse, aliorsum tunc temporis profectus, cum Professore Bertele votum clausum reliquit. Haec vota subinde a Senatu academico inaperta rejecta sunt ceu invalida. Quarto denique Septembris adlatus est nuntius de obitu Parochi Abensbergensis, moxque altero die parochia haec a Pa-

Ao. 1799.

tribus tum praesentibus numero paucis confertur sacerdoti *D. Stoll*, cujus merita in Universitatem unice in eo erant posita, quod sit commendatus a Comite *Morawitzky*.

Edicto die 19 Octobris ad valvas Universitatis affixo et per acta diurna publicato omnibus, quorum interest, notificatur, praelectiones academicas in Electorali Universitate Ingolstadiensi pro sequente anno scholastico Calendis demum Decembris 1799 esse incepturas.

Illustris *Joannes Nepom. Godofredus S. R. I.* **Nobilis de Krenner,** Jurium D.r et eorundem per octodecim fere annos in Universitate nostra publicus Professor, nunc isto suo munere in perpetuum se abdicavit, Monachiique sedem fixit, Serenissimi Electoris ibi Consiliarius intimus actualis et in Ministerio a rebus externis Referendarius futurus.

Clarissimus Consiliarius aulicus ac Jurium Professor, *Franciscus Xaverius* **Semer,** cui per ordinationem intimae Curatelae de 10 Octobris 1791 sed ex nulla nec ibi addita nec usquam alibi in actis reperienda causa Ephoratus super Collegio Albertino, quo antea per plures annos fungebatur, ademptus est, nunc clementissimo rescripto d. 24 Octobris in integrum restituitur. In posterum autem idem Ephoratus quovis triennio ab alio in alium ex juridica Facultate Professorem delectationis causa (verba sunt *„zu einer Ergötzlichkeit“*) videlicet ob remunerationem cum illo junctam centum quotannis florenorum transeat.

In locum consultissimi *Godofredi de Krenner* successit praenobilis *Nicolaus Thaddaeus* **Goenner,** Juris utriusque D.r, Bambergensis Franco. Is natus 18 Decembris 1764 absolutis Bambergae et Goettingae studiis academicis, scientiisque praesertim juridicis probe imbutus anno 1790 in urbe patria Institutiones Juris Romani docere coepit, anno proximo a celsissimo et reverendissimo Principe et Episcopo Bambergensi Consiliarius aulicus nec multo post Pandectarum atque Juris publici Professor ordinarius designatus fuit. Qui quum elucubratis etiam compluribus dissertationibus, veluti *Unparteiische Gedanken über die Einführung des Simultaneums in Fürstenau und Schledehausen* 1788, qua commentatione Gottingae jam antequam ibidem summos in Jurisprudentia capessivit honores, publici Scriptoris partes agere incepit; *Nachlese zur*

Ao.
1799. *Beleuchtung der „Unparteiischen Gedanken“ &c.* 1789; *Kann in Deutschland der Landesnachfolger zu einer bestimmten Religion verbunden werden?* 1789; *De mutuo Domini territorialis et Subditorum consensu ad mutandum religionis exercitium contra observantiam anni normalis necessario et sufficiente* (Bamberg. 1790. 4); *De effectu querelae nullitatis adversus sententias devolutivo* (ibid. 1792. 4); *Juristische Abhandlungen* (ib. P. I. 1795, P. II. 1799. 8); *Die Ascendentenfolge in weiblichen Lehen aus einem neuen Gesichtspunkte* (ib. 1795. 8); *Grundsätze der juristischen Praxis* (ibid. 1797. 8); *Erörterungen über den gemeinen Prozess* (ib. 1799), haud mediocrem sibi peperisset commendationem, vir clarissimus a Serenissimo Duce et Electore Palatino-Bavaro ad Academiam Ingolstadiensem arcessitus et Consiliarius aulicus actualis et Germanici Juris Professor p. o. clementissime designatus est.

Ex Electorali decreto d. 25 Octobris plurimum reverendi Philos. ac Theol. Doctores ac Serenissimi Consiliarii ecclesiastici, *P. Udalricus* **Riesch**, O. S. B. Benedictoburanus, Juris canonici, et *P. Amandus* **Lieschmann** ejusdem S. Ordinis Prüfeninganus, Aesthetices Professores pp. oo. in monasteria sua dimissi sunt; clarissimus autem *P. Dominicus* **Gollowitz**, O. S. B. Oberaltacensis, Theologiae moralis et pastoralis ex superiori anno Professor in hac nostra Universitate receptus, nunc Ambergam translatus est, ibique easdem sacrosanctas disciplinas superaddita Theologia dogmatica in Electorali Lyceo tradidit et elucubratum duobis tomis librum, qui inscribitur: *Anweisung zur Pastoraltheologie im weitesten Umfange,* Landishuti publicis typis evulgari curavit, anno autem 1804 Parochus in Konzell institutus est, et nono Maji 1809 aetatis suae quadragesimo octavo anno pientissime vitae terminum attigit.

Ex eodem celsissimo decreto ad Academiam nostram advocati sunt plurimum reverendi Patres *Benedictus* **Holzinger** Benedictinus Raitenhaslacensis, Jurium Cameralium Professor p. o. et alius quidam O. S. B. e monasterio Weyharn, nomine *Kirchmaier,* qui tamen, cum nullibi amplius neque in Catalogis academicis neque in publicis Calendariis Professorem quempiam ejus nominis invenio allegatum, hanc vocationem recusasse et in coenobio suo permansisse videtur.

Ao. 1799.

Sub idem tempus plurimum reverendus *P. Benedictus* **Schneider,** Philosophiae Professor et Elect. Consiliarius ecclesiasticus a Superioribus Ordinis sui invitatus relicta Universitate in monasterium Oberaltacense rediit, Professor ibi Dogmaticae simulque Bibliothecarius et Cancellariae Director futurus. Ejus in hac nostra Academia partes ex decreto d. 29 Octobris suscepit religiosissimus *P. Paulus* **Hupfauer.** Is autem Miesbacensis Bojus 24 Februarii 1747 natus atque anno 1770 Canonicus regularis Beuersbergensis solemniter professus, Scholaribus primum domesticis deinde etiam publice in Electorali Lyceo Monacensi varias tam Philosophiae quam S. Theologiae disciplinas aliquamdiu insigni cum laude tradiderat et egregium opus c. t. *„Druckstücke aus dem XV Jahrhunderte, welche sich in der Bibliothek des regulirten Chorstifts Beuerberg befinden“*, Ang. Vind. 1794. publici juris fecerat, cum protinus in Illuminatismi suspicionem (immerito quidem, ut testantur coaevi) illapsus in monasterium suum dimissus, et licet ibi paulo post omnium Conventualium suffragiis cunctisque rite servatis solennitatibus Propositus electus, eodemque fere tempore Academiae scientiarum Monacensi socius adscriptus esset, ea ipsa tamen electio ab illustrissimo *Joanne Casparo Nobili de Lippert* summo tunc temporis in rebus ecclesiasticis et scholasticis Referendario nondum melius informato irritata est. Ex quo tempore insons diffamatus ruri circum totus sese dedit animarum curae, donec in cathedram hanc academicam evocatus et Electoralis Consiliarius ecclesiasticus designatus est.

Idem ille anno 1784 hinc protinus dimissus *P. Gregorius Leonardus* **Reinerus,** quum ex eo tempore in familia illustrissimi Maximiliani Comitis de Preysing aliquamdiu Praeceptoris officio perfunctus, deinde vero revocatus in monasterium suum reverendissimi Gilberti Abbatis jussu Philosophiae Professor domesticus et Bibliothecarius fuisset adlectus, nunc per Electorale decretum dd. 21 Octobris iterum ad Universitatem revocatus et in publicam Philosophiae practicae et Historiae universalis cathedram restitutus est.

Historiae Germanicae, Geographiae et Statisticae cathedram suscepit plurimum reverendus *Josephus* **Milbiller,** Monacensis, qui natus 5 Octobris 1753 jam anno 1773 Ingolstadii Albo academico

Ao.
1799. nomen dedit et absolutis illic per quinquennium studiis philosophicis ac theologicis sacerdos ordinatus est. Quum autem in suspicionem incidisset, quod cum alienigenis Bibliopolis et ephemeridum Scriptoribus liberiori literario uteretur commercio, urbem patriam relinquere coactus ab anno 1778 inde Academias, quae Altorfii, Erlangae, Lipsiae, Jenae, Halae ad Salam floruere, deinceps frequentavit, et anno 1786 in Lyceo Passaviensi optimarum Artium et Historiarum cathedram assecutus est, quam cum per novem fere annos egregie illustrasset, Vindobonam se contulit, et lustratis publicis ibidem ac privatis bibliothecis Historiarum studia enixe prosecutus est, donec honorifice in patriam revocatus et in hac alma Universitate mense Novembri laurea doctorali tam Philosophiae quam Theologiae insignitus novi muneris sui solemne principium habuit.

Non minorem doctrinae et eruditionis laudem tulit *Josephus* **Socher,** Peutinganus Bojus 12 Junii 1755 natus. Qui, quum jam scriptis aliquot sermonibus ecclesiasticis, qui intra annos 1779—1781 prodierunt, maxime autem opere s. t. *„Christenlehrbuch für katholische Seelsorger, Katecheten und Lehrer“* Tomis IV. 8. Monachii 1795 typis evulgato inclaruisset, et primum in Lyceo Landsbergensi Theologiae moralis ac pastoralis Professor Scholarumque ibi Rector, deinde Ordinis equestris Melitensium Archivarius, proximo autem abhinc biennio Electoralis Consiliarius a rebus scholasticis et Parochus in Oberhaching prope Monachium fuisset, nunc die 25 Novembris in hac alma Universitate Philosophiae theoreticae Professor p. o. designatus, eique ex decreto dd. 30 Decembris etiam Parochia urbis Kelheim per Vicarium suo nomine administranda clementissime collata est. Ast ipsas praelectiones suas Landishuti demum scilicet mense Junio sequentis anni perorata oratione inaugurali solemniter auspicatus est.

Uno praeterea eodemque die, vigesimo nempe nono Octobris tres pretiosissimi Viri huc evocati sunt. Et in cathedram quidem, quam superioribus annis religiosissimus *P. Placidus Heinrich* illustraverat, clarissimus *Josephus* **Weber,** Rhainensis Bojus, natus 23 Septembris 1753 suffectus est. Is jam anno aetatis suae vigesimo tertio, quo via gratiae Sedis apostolicae Sacerdos fuerat ordinatus, dum adhuc Dilingae studiis theologicis operam dabat

Ao. 1799.

simulque gradu Magisterii decoratus publici Philosophiae Repetitoris incumbebat officio, apparatum quendam electricum, quem *„aërio-electroferum“* vocant, invenerat, unde a Scientiarum Academia Monacensi praemio donatus sociusque honoris causa statim receptus est. Ab anno 1782 inde Universitatem Dilinganam Professor Philosophiae tam insigni doctrina quam scriptis libris ornavit usque in annum 1799, quo die 29 Octobris a Serenissimo Electore huc advocatus habita dissertatione inaugurali Decembri mense praelectionum suarum initium fecit. Casu quodam profecto singulari huic Viro praestantissimo evenerat, ut intra unius anni decursum ter sedem suam mutaret, cum scilicet currentis anni scholastici primo bimestri (donec ab Episcopo Principe Augustano dimissorias reciperet literas) Dilingae, deinde ad mensem Junium usque Ingolstadii, et reliquo ejusdem anni tempore Landishuti publico suo munere fungeretur.

Reverendi porro *Gollowitzii* partes suscepit clarissimus *P. Joannes Michael* **Sailer,** qui jam octodecim ante annis Dogmaticam apud nos explanavit, ab anno autem 1786 Dilingae Theologiam moralem et pastoralem per integrum decennium tradidit. Qui quum et illic inimicorum suorum machinationibus esset dimissus, aliquamdiu Monachii et Ebersbergae vitam in literario otio degebat privatam, usquedum hoc ipso anno iterum in Universitatem Anglipolitanam nostram revocatus, Theologiae moralis ac pastoralis nec non Paedagogicae et Homileticae, post etiam Catecheticae atque Liturgiae Professor p. o. designatus est. Is ex eo tempore, quo ab Universitate nostra discesserat, usque ad hunc annum permultis literariis Orbem ditavit operibus, quorum saltem nonnulla recensere sufficiat: *Vollständiges Lese- und Gebetbuch für Katholiken,* II primum Partibus ed. Monach. 1783, biennio autem post sex Partibus ibid. prodiit; *Ueber den Selbstmord,* ib. 1785; *Vernunftlehre für die Menschen, wie sie sind,* II Tomi Mon. 1785; *Kennzeichen der Philosophie,* Aug. Vind. 1786; *Einleitung zu einer gemeinnützigen Moralphilosophie,* Monach. 1787; *Vorlesungen über Pastoraltheologie,* Diling. 1787; *Glückseligkeitslehre aus Vernunftgründen* &c. II Ti, Monach. 1787—1791; *Novum Testamentum J. Chr. ad exemplar Vaticanum accurate revisum,* II. Ti, ib. 1788. 12; *Das Buch von der Nachfolge Christi,* II Partt. ib. 1794; *Ein*

Ao.
1799. *frundlich* Vademecum *für angehende Gehilfen in der Seelsorge,* ib. 1794; *Sprüche der Weisen,* lat. et german., Diling. 1794. 8; *Ecclesiae catholicae de cultu Sanctorum doctrina,* Monach. 1797; alia.

Vacuam denique per abitum *Dobmaieri* cathedram obtinuit plurimum reverendus *Patricius Benedictus* **Zimmer,** Philos. ac Theol. Dr, Consiliarius ecclesiasticus actualis. Is Abbatisgmundensis Suevus ao. 1752 die 22 Februarii Chirurgo parente natus, quum academica studia in Universitate Dilingana absolvisset ibique Calendis Aprilibus 1775 Sacerdos ordinatus in convictu Studiosorum per aliquot annos tanquam juris canonici Repetitor egregia docendi facultatis suae specimina edidisset, anno 1783 in publicam SS. Theologiae cathedram promotus, post etiam Parochus in Steinheim prope Dilingam designatus et canonice institutus est. Cujus quidem duplicis officii partes eximia cum laude sustinuit, imo editis quoque praestantissimis libris inclaruit, cujus generis sunt: *Diss. dogmatica De vera et completa potestate ecclesiastica illiusque subjecto,* Diling. 1784. 4; *Theologiae christianae theoreticae systema* &c. Sect. I. ibid. 1787. 8; *Veritas christianae religionis s. Theologiae christianae dogmaticae* Sect. I. Aug. Vindel. 1789, Sect. II. ib. 1790. 8; *Fides existentiae Dei s. De origine hujus fidei,* Diling. 1791. 8. Atvero 1795 clarissimus Zimmerus adversariorum suorum fallaciis calumniisque subrutus ab academico munere protinus est avocatus. Quam ille tamen fortunam aequissima mente tulit, jamque omnem suam suis Parochianis pastoralem sollicitudinem impendit. Haec igitur Viri cordatissimi fata fuerunt, qui inde a mense Novembri h. a. nostram illustrare Universitatem coepit.

Cum igitur in hac tanta Professorum nostrorum commutatione in eo esset, ut etiam *P. Marianus* **Dobmaierus,** Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et S. Theologiae dogmaticae in hujate Academia per quinquennium Professor p. o. ad Lyceum Monacense transferretur, is hanc conditionem verecunde deprecatus in monasterium suum Weissenhohense se recepit. Evacuatis autem tempore saecularisationis plerisque etiam in Bavaria Religiosorum coenobiis, quum Princeps Elector Archicancellarius Carolus Theodorus de Dalberg Marianum nostrum inprimis aestimatum ampliori cuidam Ratisbonae muneri vellet praeficere, is pro suo modestissimo

Ao. 1799.

ingenio iterum Ambergae, pergrata sibi jam prius urbe, theologicum suscipere magisterium malebat. Ibi vero medias inter literarias occupationes praematura morte (vixdum enim quinquagenarius erat) abreptus diem obiit supremum vigesimo primo Decembris 1805. Occidit flebilis omnibus, qui eum in vita penitius cognitum habebant. Fuit enim in disciplinis philosophicis aeque ac theologicis versatissimus et singulari docendi facilitate et industria; et quamvis heterodoxiam satis strenue impugnaret, tamen ut in scriptis libris ita et in vitae consuetudine multo potius irenicum praeseferebat animum quam polemicum. Omissis aliis, quas scripsit, cum philosophicis tum theologicis commentationibus praestantissimum ejus opus, cui plurium annorum diligentiam navarat, defuncto demum venerabili auctore s. t. *„Cl. Mariani Dobmayeri Theologia dogmatica s. Systema theologiae catholicae“,* opus posthumum, edidit *Th. Pantaleon Senestréy* D. Theol. (postea Ecclesiae metropolitanae Monaco-Frisingensis Capitularis et reverendissimi ibidem Archiepiscopi Vicarius generalis) Solisbaci 1807 sqq. tomis VIII. 8 maj.

Clarissimus *Vitus Antonius* **Winter,** qui hucusque Historiam sacram tradiderat, nunc Theologiae catecheticae, liturgicae atque casuisticae disciplinas suscipere jussus est. In vacuam autem Historiae ecclesiasticae cathedram successit plurimum reverendus *Antonius* **Michl,** qui Ebersbergae 21 Aprilis 1753 natus absolutis Frisingae tam Philosophiae quam Theologiae studiis jamque sacri presbyteratus ordine initiatus Ingolstadium se contulit, et per triennium Jurisprudentiae et Historiae sacrae totus deditus summos in Philosophia honores nec non Jurium Licentiatum capessivit. Frisingam deinde reversus illustrem ac generosum L. B. de Welden, Principis et Episcopi Frisingensis nepotem adolescentulum educandum suscepit, et paulo post Ecclesiae cathedralis ibidem Capellanus aulicus et Seminarii Clericorum Director institutus est. Cum autem quod dudum enixe petierat, publicum quoddam docendi munus haud unquam impetraret, Burghusiae aliquamdiu in domo illustrissimi *Comitis de Loesch* praeceptoris privati vices sustinuit, deinde Parochiam Randelsriedensem prope Altomonasterium abditam furibusque interdum circumvagantibus male vexatam adeptus octo continuis annis pastoralem curam impigerrime exercuit, donec mense Junio hujus anni sub mediam noctem latronum im-

Ao.
1799. petu misere tractatus penitusque exspoliatus est. Quo atrocissimo vitae discrimine perfuncto protinus fortuna videbatur commutata. Jam enim eodem anno factum est, ut vi celsissimi decreti dd. 3 Novembris ad Universitatem nostram advocatus Electoralis Consiliarius ecclesiasticus et Historiae ecclesiasticae ac Juris canonici Professor p. o. designaretur. Quam quidem vocationem nonnullis potissimum sibi promeruit libris in lucem editis, quales fuerunt: *Reflexiones in literas retractatorias Justini Febronii,* Francof. et Lips. 1778; *Von der Macht der Bischöfe in Ehesachen,* ib. 1782; *Predigten für das gemeine Volk,* III Partt. Monach. 1782. 1788; *Erklärung der sonntägl. Evangelien in kurzen Predigten an das Landvolk,* II Partt. ibid. 1790; *Gelegenheitliche Festpredigten,* ib. 1795. 8; alii. In partem autem salarii vacua tunc temporis parochia Oberglaimensis ei collata est, quam per Vicarium ad tempus administrabatur.

Eodem mense Novembri tres etiam extraordinarios placuit admittere Professores; et hi quidem sunt praeclari ac doctissimi Viri *Fr. Xav. Krüll, Ant. Braun* et *Laur. Kappler.*

Plurimum reverendus *Laurentius* **Kappler,** Koenigshemii in Electoratu archiepiscopali Moguntino 14 Septembris 1765 natus, ineunte anno 1787 in Convictu Bartholomaeo Ingolstadiensi receptus, studiisque ibi theologicis, quae Mogunti coeperat, absolutis Repetitor domesticus et post quinquennium ejusdem Seminarii Subregens institutus est. Hujus autem muneris partes tanta cum Superiorum comprobatione explevit, ut hoc ipso anno publica Paedagogices cathedra eidem committeretur.

Praenobilis ac clarissimus *Antonius* **Braun,** primarius urbis Ingolstadiensis Judex et Vir consularis Codicem judiciarium et Processum Bavarico-civilem cum Practico processuali tradere honoris causa suscepit.

Doctissimus *Franciscus Xaverius* **Krüll,** 15 Februarii 1769 Kelhemii ad Danubium natus, Juris utriusque D^{r} et eximia non solum industria sed etiam docendi dexteritate et exarata, quam Landishuti 1797 typis ediderat, dissertatione *„Theoret.-pract. Einleitung in die baiersche Civilgerichtsordnung“* summopere commendatus Jurium Encyclopaediae et Methodologiae, praeterea Juris Bavarico-civilis publici et Germanici privati Professor designatur.

Ao. 1799.

Praeterea novus Jurium Doctor privatim legens assumtus est *Josephus* **Stürzer,** Hemavii 1775 in Palatinatu superiori natus, qui exantlatis Ratisbonae studiis Gymnasialibus Ingolstadium pervenit ibique Jurisprudentiae operam dedit egregiam, et impetrata nunc venia legendi doctrinae suae soliditatem ea claritate temperavit, ut summam brevi utriusque commendationem jure optimo mereretur et consequeretur.

Clarissimus autem *Andreas* **Rohr,** Pfelkofiensis Bojus, Jurium D.r et eorundem in hac alma Universitate per novem annos extraordinarius Professor ex decreto Electorali dd. 25 Novembris a publico docendi munere dimissus est, adjecta tamen promissione, quod Serenissimus eidem de conveniente aliquo munere judiciario, cum primum vacaverit, clementissime esset consulturus. Interea salvo stipendio et imminutis iis, quibus hucusque tanquam Jurium Repetitor in Collegio Albertino fruebatur, emolumentis promotionem suam non ita diu exspectavit. Jam enim die 19 Februarii anni proxime futuri Aerarii academici Administrator cum mille et centum florenorum salario aliisque non mediocribus emolumentis designatus est.

Eodem 25 Novembris clementissimum de reformanda Universitate Anglipolitana rescriptum ad nos pervenit, quo Senatus academicus jubetur curare, ut ordinationes et mandata illic contenta a singulis, quorum interest, plane et curate observentur, atque ea, quae cunctis scitu opus esse existimaverit, prelo subjiciantur. Hujus rescripti exemplar in Codice diplomatico infra typis expressum est.

Serenissimus Dominus Elector, considerans, res adhuc esse nonnullas ad reformandam Academiam Ingolstadiensem concernentes, quae singularem et curiosiorem aliquot Professorum deliberationem cum intima Universitatis Curatela requirant, priusquam iisdem de rebus Serenissimi placita publicari valeant, ex clementissimo decreto 27 Novembris Viri Doctores, ab unaquaque Facultate delecti Professores amplissimi, Antonius *Winter,* Xaverius *Semer,* Henr. Maria *de Leveling,* et Franciscus de Paula *Schrank,* sumtibus et impensis academicis Monachium evocantur, ut illico ad aedes excellentissimi Domini **de Zentner,** Universitatis p. t. Curatoris conveniant, et collatis cum eo consiliis suas quisque de

Ao. 1799. quaestionibus sibi proponendis edicant sententias. Ad haec amplissimus Senatus electionem Rectoris Magnifici aliasque, quae ad initium novi cursus fieri soleant solemnitates interea quam celerrime consueto more peragere jubetur, ut proxime inde futura hebdomade praelectiones academicae secundum ordinem sibi propediem notificandum incipi ac sine intermissione continuari possint.

Tertia Decembris Rescriptum Serenissimi generale communicatum est, in quo praeter denominationem *Neo-Professorum* omnium Facultatum pro ineunte anno scholastico etiam peculiaris et a consueta longe recedens *distributio cathedrarum* facta, studiorumque cursus praeterea ad *semestre duplex* (hibernicum scilicet et aestivum) protractus est, ita ut tempus feriarum vernale quatuor et auctumnale sex contineat septimanas. Praelectiones igitur inchoatae sunt demum decimo Decembris et continuatae usque ad finem hiberni Semestris seu diem decimum quintum Aprilis MDCCC.

Ceterum etiam hoc integro anno urbs nostra *militibus Austriacis et imperialibus* bellum adversus Francogallos gerentibus occupata fuit; attamen fere nullo modo hucusque studia nostra et labores interrupta fuere, etsi multum calamitatis et molestiarum perferendum nobis esset.

Dissertationes literarias hoc iterum anno in lucem publicam ediderunt

in Fac. *philos.*

Vit. Ant. **Winter:** Von den Pflichten der Unterthanen gegen ihre Regenten, qua oratione solemnia regni auspicia Serenissimi Electoris Bavariae Maximiliani Josephi IV celebravit, Inglst. 4. — Diss. Empfindungen eines Bayern u. s. w,. publicis typis edita, qua Universitati sibique congratulatus est, quum excellentissimus D. Jo. Henricus Theodorus Comes de Topor-Morawitzky a congressu Rastadiensi, cui tanquam mandatarius Electoralis interfuit, nunc Serenissimi nostri a rebus sacris atque scholasticis Minister Conferentiarum designatus rediret.

Ao. 1799.

in Fac. *juridica*

Ge. **Fessmaier:** Versuch einer pragmatischen Staatsgeschichte der oberen Pfalz, T. I. Monach. 8.

Thadd. **Goenner:** Juristische Abhandlungen T. II. etiam s. t. Erörterungen über den gemeinen Prozess &c. Bamb. 8. (T. I. jam 1795 ibid. prodiit.)

C. de **Hellersperg:** Literarische Ephemeriden für 1799 (ed. juvante Fr. de Paula Schrank) Fasc. I et II. Ingolst. 8.

Fr. X. **Krüll:** Diss. inaug. Ueber die Nothwendigkeit des Studiums des deutschen Privatrechts, Landishut. 8.

in Fac. *philos.*

Fr. de Paula **Schrank:** Literarische Ephemeriden, quas hoc anno adjuvante Car. de Hellersperg coepit, et sex Fasciculis in annum 1801 usque continuavit.

Jos. **Weber:** Diss. inaug. Die Spinnen sind Deuter des kommenden Wetters, Ingolst. 4.

ANNO DOMINI MDCCC.

Ao. 1800.

Rector DL: **Paulus** SCHOENBERGER, O. S. B. ex monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonae, S. Theologiae et Philos. D:, Electoralis Consiliarius ecclesiasticus act., in hac alma Anglipolitana, ob belli vero aerumnas mense Junio provisorie Landishutum translocata Universitate SS. Scripturae et Linguarum orientalium Prof. p. o. et Universitatis Bibliothecarius.

Ao.
1800. Inscripti 240.
Illustres: *Josephus* **L. B. de Stader** a Stepperg et Naderholz, Neoburgensis Neo-Palatinus.
Maximilianus **L. B. de Karg** ab Altendorf et Fronhofen, Ratisbonensis Bojus.
Maximil. Augustus **Comes de Toerring** et Gransfeld, Monacensis.
Aloysius **L. B. de Donnersberg** ab Igling. *)
Joannes Baptista **L. B. de Weveld** a Sinning. *)
Wilibaldus **L. B. de Rechberg,** Weissensteinensis Suevus.
Casimirus **Comes de Castell-Waal.** *)
Anselmus **L. B. de Imhof** a Spielberg et Oberschambach. *)
Jacobus **Comes de Pestalozzi** a Togmersheim, Blossenau, Emskheim et Ueberfeld. *)
Carolus Theodorus **Comes de Paumgarten-***Frauenstein.*
Cajetanus **Comes de Sandizell,** Monacensis.
Joannes Nepom. **L. B. de Poissl** a Haunkenzell et Loifling.

Actus solemnis, quem in modum alias fieri solebat, *promotionis* hoc anno scholastico neque in theologica, neque in juridica, neque in saluberrima Facultate ullus fuit. Cujus rei causa cum in disturbiis et belli calamitatibus tum in ipsa Universitatis translocatione sub secundo Semestri insecuta quaerenda est. Adeo in amplissimo Philosophorum ordine unus duntaxat et is quidem tertio Maji, nempe plurimum reverendus *Josephus Socher,* Elector. Consiliarius eccl., ex superiori anno Logices, Metaphysicae et Anthropologiae Prof. p. o. designatus, Parochus nunc Kelhemiensis, *Philos.* D.r creatus est.

Si quis forte miretur, quod hoc bellicosiori anno tamen ducenti quadraginta cives neoacademici Albo nostro nomen dederint, monendum est, inscriptionem aliquanto diutius quam prioribus annis esse continuatam. Patebant enim matriculae noviter adventantibus non more solito a Novembri ad Augustum usque

*) Patria in Matriculis non notatur.

Ao. 1800.

proximi anni, sed a primo Decembris 1799 usque ad festum S. Georgii sequentis anni 1801, ita ut unius hujus anni scholastici cursus in tertium semestrem produceretur. Inter Immatriculatos autem praeter Illustres supra commemoratos non sunt reticendi *Maximilianus Furtmayr*, Schyrensis Bojus, sequiori tempore regii Lycei primum Landishutani dein Ambergensis Rector et Professor emeritus, Consiliarius ecclesiasticus, Jubilaeus Sacerdos Monachii literario in otio vitam degens privatam; *Josephus Gerstner*, Eichstadiensis Franco, postea Judex ruralis et regius Urbis Anglipolis Commissarius, Scientiarum Academiae Monacensis socius, Ordinis merit. S. Michaelis Eques et regii Ludov. Ord. aureo insigni decoratus, et *Michael Moser*, Ambergensis, Sacerdos saecularis, illustrissimi tunc Comitis de Paumgarten quatuordecim per annos Praeceptor domesticus; postea Parochus ac deinde Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus ejusdemque Capituli cathedralis et totius Archidioeceseos Senior Jubilaeus.

Septimo Januarii in Stuba academica inscriptio DD. Candidatorum Scientiarum cameralium habita, deinde proponente Directore *Fr. de Paula* **Schrank** statutum est, novam pro augmento scientiarum cameralium erigendam esse societatem. Leges ac formam ejusdem condendi negotium sibi sumsit D. Director, et cum socium sibi seu secretarium postulasset, per vota scripta Secretarius electus est Professor *Benedictus* **Holzinger.** Novi hujus Instituti socii praeter Directorem et Secretarium modo praefatos constituuntur Professores *Henricus Maria* **de Leveling,** *Fr. Xav.* **de Moshamm,** *Augustinus* **Bertele,** *Gabriel* **Knogler,** *Maurus* **Magold,** *Gregorius* **Reiner,** *Georgius* **Fessmaier,** *Jos.* **Milbiller** & *Jos.* **Weber.**

Decimo tertio ejusdem in conventu Facultatis philosophicae circa *Collegium Georgianum* sancitum est, ut D. *Fr. de Paula* **Schrank** unacum reverendo *D. Josepho* **Oeggl** Collegii Regente leges et statuta conficeret, quibus conformiter Collegii negotia in posterum sint tractanda; ipsis dein cura demandata est conficiendi novum proventuum ejusdem Collegii librum (ein neues *Saalbuch*) et catalogum stipendiorum; denique statutum, ut quovis anno residuae pecuniae numeratio *(Cassasturz)* fieret.

Tertio a Calend. Februarii *D. Martinus Pruckmayr* Senatui academico libellum obtulit, in quo *Jo. Bapt. L. B. de Weveld*

Ao.
1800. accusatur, quod adjuvantibus *Jacobo Comite de Pestalozzi* et *D. de Wisinger* ipsum domi in lecto adhuc cubantem sit aggressus nervoque taurino percusserit; quod factum, verbalem ab illo sibi allatam injuriam causatus haud negavit. Hanc causam coram concilio decanico agitatam decima Februarii clarissimus *Fr. Xav. de Moshamm* juridicae Facultatis Decanus in Senatu proposuit; ast rem esse non satis instructam plures censuerunt Patres, ideoque eam supplendam decreverunt. Finita denique inquisitione per vota majora sancitum est, paci publicae ac tranquillitati Academicorum consultius fore, si modo benigniori ac paterno errantes corrigerentur; itaque *L. Baronem de Weveld, Comitem de Pestalozzi* et *D. de Wisinger* ob privatam ac violentam vindictam serio esse corripiendos adjecta comminatione, ut, si ejusmodi excessus iterum committerentur, se scirent gravissime esse puniendos aut omnino relegandos. Cui sententiae praedicti omnes acquieverunt et subscripserunt.

Cum de Professoribus hujatis Academiae jam sub finem superioris anni satis esset provisum, ita ut ad viginti quatuor, quos habuit Universitas antehac, novem Ordinarii adderentur, hoc ipso anno nemo novus Professorum numerum auxit.

Per rescriptum intimae Universitatis Curatelae dd. 25 Januarii ordinatur, ut in collatione graduum academicorum omnes, quae extra aulam fieri hucusque solebant solennitates et sumtuosae seculo hodierno adversantes ceremoniae omittantur, illis solis servatis actibus, quibus intra aedium parietes in aula haberi consueverint promotiones. Examina vero aliquanto rigorosiora instituantur, ut summi honores academici nonnisi vere dignis in posterum conferantur.

Duobus Professoribus de praecedentia et ordine in sessione inter se concertantibus eodem die 25 Januarii rescribitur, Serenissimum id velle ac praecipere, ut quicunque jam in aliis Academiis publici atque ordinarii fuissent Professores, Professoribus in hac quoque Universitate non solum extraordinariis verum etiam ordinariis, tempore tamen recentiori designatis, antecedant, ideoque qui priores tempore iidem etiam jure potiores habeantur. Decimo Maji promulgatum est rescriptum Supremae Curatelae ejusdem fere tenoris: „*Se. Churf. Durchlaucht* erklären hiemit,

Ao. 1800.

dass die neuberuffenen Professoren, welche vom Auslande kamen, im Senate und bei den Fakultäten den Rang nach jenen Jahren haben sollen, in welchem sie Ordinarii auf anderen Universitäten waren; die aber, welche schon einmal in Ingolstadt gelesen haben, nach der Zahl ihrer damaligen Dienstjahre ohne weiters einrücken sollen. Nach welchem überhaupt und besonders bei Titl. *Gönner* und *Reiner* die Churfürstliche Universität sich gehorsamst zu achten hat, auch anbei ersterer, als schon dreimal gewesener Dekan in Bamberg, so als wenn er diese Stelle in Ingolstadt schon bekleidet hätte, zu betrachten ist.

München, den 22 April 1800.

Churfürstl. unmittelbare Geheime Universitäts-Curatel

Graf Morawizky

Nemmer."

Ne decretum de librorum Censura 14 Maji emissum in detrimentum ejus, quae Universitatibus concessa est, libertatis ab ista ordinatione minus recte intelligatur, Serenissimus per rescriptum dd. 29 Aprilis dignatus est declarare, se quidem velle, ut quoad legis conformitatem cujuscunque generis scripta etiam a Professoribus aliisve civibus academicis in lucem proditura τὸ Imprimatur a tergo indicis exhibeant; hanc tamen veniam ab ipsa Universitate ita esse exercendam, ut scriptura aliqua, si auctor apposito suo nomine de re quadam ad commissam sibi doctrinam literariam concernente scripserit, statim sine praevia censura ab Universitate possit approbari, sin autem tecto aut ficto nomine alienam a sua provincia rem tractaverit, a competente Facultate prius oporteat examinari, ac demum, ubi legibus censurae consentanea fuerit inventa, Universitatis recipiat approbationem.

Loco praenobilis *Andreae Rohrii,* qui nuperrime ad officium Quaestoris academici promotus est, doctissimus privatim Docens *Josephus* **Stürzer,** Juris utriusque D:, ad beneplacitum Serenissimi Sua manu signatum die 5 Maji in Collegio Albertino Jurium Repetitor cum ducentorum florenorum stipendio instituitur.

Calamitates et molestiae belli contra Francogallos, quibus urbs nostra jam praeterito anno assidue vexabatur, adeo increverat per decursum hujus anni, ut interruptio studiorum totius Universitatis indies eorumque perfecta dissolutio magis magisque

Ao.
1800. fuerit pertimescenda. Arma enim Francogallorum sub supremo belliduce *Moreau* tanta fortuna fuerunt praedita, ut initio mensis Aprilis Ulma urbs imperialis nobis sat vicina obsessioni per copias militares Francogallorum plane jam fuerit exposita. Ingens quotidie Austriacorum militum multitudo unacum copiis imperialibus urbem nostram occupavit et in aedificiis non solum publicis ad Universitatem pertinentibus sed etiam in propriis Professorum aedibus se collocavit.

Mense igitur Majo quum hoc imminente rerum bellicarum discrimine Academia nostra minus tuta ab hostium impetu videretur esse, Serenissimus Elector non solum suadentibus Consiliariis intimis DD. *Friderico* **de Zentner** et *Maximiliano* **de Branca** summae de rebus scholasticis et ecclesiasticis Curatoriae Praefectis, verum etiam instantibus nonnullorum Professorum precibus commotus de translocanda Universitate graviter cogitabat. Jam dudum enim *Nicolaus Thaddaeus Goenner* et *Franciscus de Paula Schrank* id ipsum moliebantur, ut in aliam et Monachio quidem propinquiorem urbem transferretur Academia; neque frustra omni ope atque opera contendebant, ut complures cujuscunque Facultatis Collegas in suam traherent sententiam. Qui quum rem mutuis inter se conviviis satis discussam et consilium suum ad maturitatem perductum sentirent, a Rectore Magnifico enixe petierunt, ut Patres conscriptos quam celerrime convocaret. In consessu igitur amplissimo 14 Maji habito alii alia vota ferebant. Et initio quidem plerique duce potissimum clarissimo *Mederero* Procancellario id maxime curandum censuerunt, ut, quemadmodum jam anno 1796, ita etiam in hoc periculo res omnes majoris pretii in locis sub terra concameratis asservarentur, praelectionibus interea quamdiu fieri posset continuatis. Protinus autem non servato suffragandi ordine consueto praenobilis *Thaddaeus Goenner* libellum supplicem prius jam conceptum literis e sinu protraxit, quo Serenissimus humillime rogatur, ut imminente urbis obsessione Universitatem provisorio modo juberet Landishutum aut in alium quempiam locum tutiorem transferri. Huic voto primus accessit *Franciscus de Paula Schrank*, fusiori oratione id consilium laudans summoque opere commendans. Sequuntur Vitus Antonius *Winter*, Fr. Xaverius *de Moshamm*, Georgius *Fessmaier*, Henricus Maria *de Leveling*,

Ao. 1800.

Augustinus *Bertele*, Carolus Josephus *Niederhuber*, Jos. *Socher*, Gregorius Leonardus *Reiner*, Josephus *Milbiller*, alii. Itaque haec postremo vicit sententia. Placuit maturare negotium, et singulares Monachium mittere Deputatos. Abeunt ambo ejus rei auctores ad id delecti quintodecimo Maji, redeunt decimo septimo, posteroque statim mane coram Pleno clementissimum Electorale decretum pronunciant, provisoriam Universitatis translocationem a Serenissimo esse ratihabitam et comprobatam. Afferunt praeterea decretum, a Serenissimo pridie ejus diei signatum, ut Senatus omnem Universitatis supellectilem Landishutum transvehendam curae atque studio Professorum committeret, et varii generis attributa et thesauros pro sua cuique provincia docendi distribueret deportanda, ideoque Gabriel *Knogler* astronomicis et physicalibus instrumentis; Maurus *Magold* Aulae Orbanianae; Josephus Carolus *Niederhuber* Theatro anatomico; Paulus *Schoenberger*, Paulus *Hupfauer* et Josephus *Oeggl* Bibliothecae academicae; Augustus *Bertele* Laboratorio chemico et rerum naturalium Thesauro; Franciscus *Siardi* et Georgius *Fessmaier* Archivo; Nepomucenus *Mederer* et Casparus *Kandler* vasis argenteis praeficerentur; denique Antonius *Braun* bajulos et operarios conduceret et necessaria plaustra, cistas, jumenta in promtu haberet. Quae omnia jam raptim atque turbate colliguntur et carris curribusque imponuntur. Ambo autem illi supradicti transferendae Universitatis quasi Directores vigesimo ejusdem mensis Landishutum praevehuntur ad ea, quae factu opus fuerint, praeparanda. Erant enim permulta, quibus illic consulere necesse fuit; praesertim ut, quae pro Bibliotheca, Archivo, Clinico, Laboratorio variisque aulis ad collocandos cujuscunque generis Apparatus, praeterea pro Seminariis Alumnorum et conductitiis Professorum ac Studiosorum habitationibus sufficerent, loca idonea disquirerent et adaptarent. Ingolstadii enim in usus Academiae constructa fuerunt praeter ipsum Universitatis antiquum atque solidum aedificium etiam Collegium ducale Georgianum, Collegium Societatis Jesu nunc evacuatum, Convictorium S. Ignatii, Seminarium Bartholomaeum, Collegium S. Bernardi vulgo domus Kaishemiensis, Seminarium item S. Francisci Xaverii, speciosum Odeum Marianum, Museum Orbanianum, magnificum Theatrum anatomicum, Hortus botanicus, Laboratorium chemicum, Armarium

Ao.
1800. physicum, Specula astronomica, Domus saltatoria et Hippodromus major.

Interea alterum submissum est Electorale decretum, quo studia et praelectiones imminentis aestivi Semestris Landishuti continuari jubentur; unde omnibus literarum Studiosis ejus edicti publicatio fiat adjecta seria commonitione, ut siquid contraxerint aeris alieni, priusquam hinc abierint, ex debito solvant, et tempestive conveniant Landishuti, quandoquidem ibi 4 Junii praelectionum principium sit futurum. Senatus interim advenientibus illic civibus academicis hospitia conductitia in quantum poterit aptanda curabit.

Dici non potest, quanta tristitia universa urbis civitas, quae Universitati fere soli totam suam debebat sustentationem, novellis hisce perceptis fuerit repleta. Valediximus ideo clausis aedificiorum publicorum nostrorum januis, urbi Anglipolitanae non sine magna animi moestitia et grata recordatione beneficiorum, quibus illic tamdiu frui nobis concessum fuit. Discessus eo gravior iis erat Professoribus, qui proprias aedes vacuas et hostilibus invasionibus expositas relinquere cogebantur. *Landishutum,* novam nostram et verisimiliter perpetuam Musarum sedem salutavimus vigesimo Maji. Collegium ibi Patribus Societatis Jesu olim proprium ad Universitatis aedificium fuit destinatum; praelectiones publicae quarta Junii inchoaverunt et exceptis nonnullis interruptionibus ob invasiones Francogallorum, quae non minus in hac urbe quam in aliis ab hoste totam Bavariam occupante et presso pede victoriam suam ubique prosequente insecutae sunt, usque ad finem mensis Augusti protrahebantur.

Atvero res tantae molis erat Universitatis translatio licet satis superque properata, ut die demum undevigesima Junii maximam partem peracta sit. Hoc die splendidum ab iis potissimum, qui quod diu in votis habebant, tandem impetrarunt Professoribus convivium paratum et almae Academiae Ingolstadiensi trecentis et viginti octo annis natae epulando bibendoque ultimum Vale propinatum est. Mota est autem ab avita sede sua celeberrima Universitas profecto non intempestiva de causa nec inani tunc calamitatis timore. Sic enim fata ferebant, ut urbs, quae bello jam Bavarico-Palatino, Schmalcaldico, Suecico, bello de suc-

Ao. 1800.

cessione tam Hispanico quam Austriaco, nuperrime etiam primordiis Francogallici belli integra et illaesa fuerat perfuncta, hoc ipso anno Musis inde vixdum abactis munitum esse desierit oppidum, et arx, quam virginem dicebant hucusque inexpugnabilem, diruta soloque aequata interierit; donec sub auspiciis gloriosissimi Bavariae postmodo Regis **Ludovici** I. a fundamentis tota denuo imo vero longe magnificentius exstructa resurrexit.

Literae, quibus Universitas nostra nunc Landishutana de sua illuc translatione Serenissimo D. Electori gratias egit, benignissime exceptae sunt. De iis autem, quae data eadem occasione referebantur, rebus sub 22 Junii decretum est: 1. ut Rectori ex pristina consuetudine titulus quidem *„Magnificus“* in perpetuum concedatur, careat autem in posterum comitatu Nobilium, quo alias quasi stipatus publice solebat procedere. 2. Solus idem magnificus Rector vestitum suum academicum hucusque solitum sed eum nonnisi in promotionibus gestabit; ceteri vero Professores publici ordinarii in his aliisque solennitatibus vestibus uniformibus nuperrime praescriptis incedent induti. 3. Ecclesiastica festa academica duo duntaxat per annum (exceptis diebus anniversariis) sufficiet celebrari. 4. Congregatio Mariana in posterum in Ecclesia academica fiet, ibique omnibus diebus Dominicis et aliis in foro festivis Missae sacrificium, idque quaternis denis diebus junctum cum sacra oratione habebitur. Quae tamen devotio prorsus libera debet esse, nec quisquam ad istam congregationem ullo modo cogendus. 5. Omnibus commentationibus aliisque scriptis ab Universitate adornatis a Proponente, a Decano, a Rectore quae sua cuique sunt notanda, scilicet *„Legi“*, *„Vidi“*, *„Expediatur“* apponantur.

Dies septima Julii Landishutanis tristissimas paravit turbas, dum illa die hora quinta pomeridiana exigua Austriacorum pars a copiis Francogallorum ad deditionem urbis provocata, cum illam recusaret, armata manu ex urbe extruderetur. Jam paulo ante octoginta millia militum Austriacorum et imperialium per urbem aufugerunt, unicum in nova positione ad Oenum fluvium auxilium quaerentes. Hostilis autem belli dux *Le Clerc* Landishutum ingressus ingentem cum pecuniariam tum frumentariam exactionem a civibus collegit, in quorum tamen censum (quod sane laude

Ao.
1800. dignum hic notari meretur) nec corpus academicum nec singuli Professores venerunt; imo vero praefatus ille dux Rectorem Magnificum et quatuor Facultatum Decanos ad implorandam ejus protectionem deputatos humanissime excepit, et omnem Universitatem ab omnibus exactionibus frumenti et pecuniae aliisque contributionibus bellicis immunem esse voluit.

Reverendissimus almae hucusque Ingolstadiensis Academiae Procancellarius *Joannes Nepomucenus* **Mederer,** SS. Theolog. D. Electoralis Consiliarius ecclesiasticus actualis nec non Scientiarum Academiae Monacensis socius et Historiarum meritissimus Professor p. o., qui pro solidissima sua doctrina editisque libris atque ipsis hisce usque ad annum 1773 continuatis Annalibus academicis multoties jam supra laudatus est, translocata Universitate Landishutum migrare noluit, sed ad Parochiam suam Mauritianam, quam anno 1787 susceperat, Ingolstadii usque permansit, in quo administrando munere ecclesiastico zelosissimi pastoris partes egregie adimplevit. Erat enim insigni prudentia et singulari morum comitate, pacis conservandae et reducendae studiosissimus, et ob praeclarum animi candorem omnibus gratissimus; liberalis item in omnes, in familias praesertim occulta penuria laborantes pro viribus largus, ita ut ob munificentiam suam merito sortiretur nomen „Pater Pauperum". Obiit omnibus sacris munitus 13 Maji 1808, aetatis anno 74. Opus pretiosissimi Auctoris posthumum *„Geschichte des uralten königlichen Maierhofes Ingoldestadt, der jetzt kgl. baier. Hauptstadt Ingolstadt, von ihrem ersten Ursprunge, erweislich v. J.* 806 *an, bis zur Wiederherstellung des Königreiches Bayern im J.* 1806", Ignatius Hübner typis publicis edidit Ingolstadii 8. Procancellarii dignitas ex eo tempore per triennium actu vacua relinquitur; Scientias autem Historiae auxiliares, quas ille tradiderat hucusque, statim clarissimus Jurium Professor, *Joannes Georgius* **Fessmaier** unacum suis juridicis disciplinis publice docendas suscepit. Idem hoc ipso anno secundarius Universitatis Archivarius designatus et Scientiarum Academiae Monacensis Socius honoris causa electus est.

Quemadmodum autem illustrissimus Procancellarius *Jo. Nep.* ***Mederer,*** ita et clarissimus *Franciscus* **Siardi,** Jurium in hujate Academia jam in trigesimum quintum annum Professor p. o., et

Ao. 1800.

praenobilis *Casparus* **de Kandler**, ejusdem Facultatis per annos quinque et viginti celeberrimus Professor nec non Universitatis Archivarius et Electoralis Consilii Juridicorum Director, Ingolstadii remanebant derelicti, usque dum his tribus Viris spectatissimis biennio demum post et uno quidem eodemque celsissimo decreto dd. 29 Octobris 1802 publici docendi muneris sui definitiva vacatio data est. *Siardi*, natus 15 Octobris 1735, anno aetatis octogesimo octavo hora 11 meridiana diei 18 Decembris 1823 confectus senio denatus est; Nobilis *de Kandler* Calendis Julii 1815 annorum septuaginta septem ibidem diem obiit supremum. Praenobilis item *Antonius* **de Braun**, ex superiori anno Jurium Professor extraordinarius imo vero honorarius (nam et is, utpote qui esset primarius Anglipolitanae urbis Judex, non potuit Landishutum dimigrare) muneri suo totus deditus Ingolstadii remansit usque ad annum 1811, quo regius Judicii Appellationum in Franconia Consiliarius designatus Bambergam abiit.

Die 2 Augusti clarissimus *Philippus* **Fischer**, Philos. et Med. Dr., Electoralis Archiater, Collegii Medic. Consiliarius, Scientiarum Academiae Monacensis socius et in Universitate Anglipolitana per octodecim annos jam designatus, annos vero novem actualis et proximo abhinc biennio emeritus Chirurgiae Professor, aetatis suae sexagesimo anno mortem oppetiit. Erat Vir comti ingenii et eruditi, artisque peritissimus maxime in chirurgica cura prae ceteris excellens. Elogium piis ejus manibus sacrum habuit typisque evulgavit *Dr. Jos. Niederhuber*, Landishuti 1800. 4. In salarium Defuncti ex Electorali rescripto dd. 6 Sept. immissus est *Aloysius* **Winter**, Medicinae et Chirurgiae jam dudum designatus Professor p. o. Unde quos idem a Manhemiensi aerario hucusque habuit reditus a proximis Calendis Octobris cessabunt.

Cum Landishuti neque in monasterio sublati Ordinis Praedicatorum neque in Collegio olim Societatis Jesu locus esset Theatro anatomico et chemico Laboratorio aptus, Serenissimus die 28 Octobris Gubernio Landishutano clementissime mandavit, ut adhibitis deputatis pro translocanda Universitate Commissariis et ordinariis Chemiae et Anatomiae Professoribus alia idonea aedificia perquirerent vel adaptarent. Simulque Judiciis criminalibus circumcirca injunctum est decretum, ut cadavera maleficorum supplicio capitis

Ao.
1800. affectorum sumtibus publicis Landishutum ad usus academicos asportanda curarent.

Die 4 Novembris in amplissimo Pleno Ordinariorum novus Rector electus est praenobilis ac clarissimus *Georgius Xaverius* **Semer,** juridicae Facultatis Professor. Quadriduo autem post Senatui academico rescribitur, ut tota res in statu, quo fuit ante electionem, relinqueretur. Neque enim in Semerum neque in alium quempiam Rectoratum posse conferri, priusquam de electione ista, utpote quae vitiosa videretur esse, accuratius disquisitum fuerit. Quo factum est, ut plurimum reverendus ac magnificus hujus anni Rector usque in quartum mensem proxime futuri anni hanc suam retineret dignitatem.

Literaria monumenta hoc anno ediderunt

in Facult. *theolog.*

Mich. **Sailer:** Briefe aus allen Jahrhunderten der christl. Zeitrechnung, quod opus hoc anno coept. et usque ad a. 1804 continuatum sex fasciculis seu collectionibus absolvit, Monach. 8.

in Fac. *juridica*

Jo. Ge. **Fessmaier:** Diplomatische Skitze von dem alten Vicedom-Amte Lengenfeld, quo programmate (cum 16 documentis nondum impressis Monachii in 8. edito) ad praelectiones suas invitavit.

Nic. Thadd. **Goenner:** Entwicklung des Begriffes und der rechtl. Verhältnisse deutscher Staatsrechts-Dienstbarkeiten, Erlang. 8.

in Fac. *philos.*

Jos. **Milbiller:** Diss. inaugur. Ideal einer Geschichte der deutschen Nation, Ingolst. 8. — Geschichte der Schweiz T. I. Lips. 12.

Jos. **Socher:** Diss. inaug. Zur Beurtheilung neuerer Systeme der Philosophie, Landish. 8. — Die Landstände in Bayern, was waren sie? was sind sie? was sollen sie seyn? Ibid. 8.

Ao. 1801.

ANNO DOMINI MDCCCI.

Rector DLI: **Petrus Theodorus** *S. R. I. Eques* DE LEVELING, Philos. & Med. Dr, Serenissimi Elect. Palatino-Bavari Consiliarius actualis, in alma literarum Universitate nunc Landishutana Encyclopaediae et Methodol. medicae, Therapiae specialis, Medicinae practicae, Historiae medico-literariae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 117.

Illustres: *Theobaldus* **L. B. de Anethan,** Wernbergensis Palatinus, Jurium Candidatus.

Carolus **Comes de Ottenburg,** Berolinensis, Scientiarum Cameralium Cand.

Edmundus et *Josephus* **LL. BB. de Schatte,** Neoburgenses, Philosophiae Candidati.

. . . **L. B. de Pfetten,** Arnbacensis Boj., Philos. Cand.

Carolus **Comes de Seinsheim** a Sinching &c. Monacensis, Jurium Cand.

Jo. Nepom. et *Simon Thadd.* **Comites de Joner,** Burghusiani, Philos. Candd.

Maximil. **L. B. de Schmid** ab Haslach, Monacensis, Scientt. cameral. C.

Novi Profess. *Sebastianus* **Mall,** O. S. B. Presb., Electoralis Consiliarius ecclesiasticus; S. Hermeneuticae et Linguarum orientalium Prof. p. o.

Georg. Aloys. **Dietl,** Parochus Bergensis, Elect. Consil. eccles.; Aesthetices et Philologiae latinae Prof. p. o.

Conradus **Frohn,** Elect. Consil. aulicus; publicae Oeconomiae et Arithmeticae polit. Prof. p. o.

Novi DDr 12 Maj. *Sebastianus Mall,* Fürstenfeldbruckensis Bojus, O. S. B. Benedictoburanus, } *Theol.*

Ao. 1801.			
	12 Maj.	*Ge. Aloysius Dietl,* Philosophiae D:, Parochus in Hofberg prope Landishut.	*Theol.*
	27 Sept.	*Jo. Bapt. Weissbrod,* Burghusianus Bav.,	*Med.*
	9 Maj.	*Michael Wagensonner,* Landishutanus Boj., Canonicus ad S. Wolfgang.	*Philos.*
	12 Maj.	*Aloysius Dietl,* Pressatensis Palatinus, Paroch. in Berg prope Landishut.	
	1 Jun.	*Conradus Frohn,* Düsseldorpiensis Rhenanus, Prof. designatus, vd. supra	

Inter Inscriptos hoc anno occurrunt etiam perillustris *Bernardus Fr. Godofredus L. B. de Godin,* Parsbergensis Neo-Palatinus, cameralium quas vocant scientiarum Candidatus, qui sequioribus annis Ordinum S. Michaëlis et civilium de Corona Bavarica meritorum Eques, Regiaeque Majestatis a Cubiculi Praepositis et Gubernii superioris Bavariae Praeses designatus est; praenobilis porro *Leonardus Georgius Holler,* Wolfsbacensis Palatinus, Jurium Candidatus, postea cruce civilibus de Corona Bavarica meritis dicata insignitus, et in regio a rebus ecclesiasticis Ministerio Consiliarius; item nobilis *Fr. de Paula Gruithuisen,* Kaltenbergensis Bojus, Philosophiae Studiosus, post in alma regia Universitate Monacensi Professor, de quo plura ad annos 1826 et 1853.

Belli calamitates militumque per hospitia collocationes in hac urbe jam elapso prope integro anno continuatae necdum sub hujus anni initium remiserunt. Quo factum est, ut dudum inchoatis lectionibus in dies fere singulos nonnulli Studiosorum advenirent, moramque varie nec injuste excusantes benignam peterent admissionem. Vigesimo tandem primo Februarii certior nobis adfertur nuntius de pace Germanicum Imperatorem inter et Protoconsulem Reipublicae Francogallicae confecta.

Iisdem fere diebus civitas nostra aliis curis, seditiosis nempe in ipsa urbe coitionibus haud parum exagitata est. Die enim vigesimo quarto complures Academici nocturno tempore cum fabrorum operis, quae vulgo „Handwerksburschen“ nec non per

Ao. 1801.

ignominiam quandam „Philister“ audiunt, rixas habuerunt, ac nonnullos eorum civicis in adjutorium advocatis circuitoribus (quos dicimus nos „Stadtpatrollen“) in custodiam dederunt. Hinc postero die frequentes ejusdem generis hominum turbae abjectis suis laboribus concursabant deliberantes, quomodo condignam sibi repeterent satisfactionem. Rector igitur Magistratum civicum datis ad eum literis enixe evocavit ut ad tumultum compescendum sibi, quantum posset, succurreret, simulque Senatum congregavit, qui affixo propalam edicto Academicos severe cohartatus est, ut depositis statim armis nonnisi tres et eas quidem sibi nominatim destinatas inviserent cauponas, porro ne gregatim per plateas incederent neve noctu ultra horam decimam foras essent. Siquis secus fecerit, ausus suos gravissimis nullo personarum habito discrimine poenis luat. Itaque unitis Magistratuum viribus non ita multo post sopita ac tertio demum die penitus suppressa est seditio. Ceterum Senatus academicus approbante suprema Curatela etiam in posterum legis instar recepit, ut, quicunque supra praedictam horam noctu deprehensus fuerit, primum semifloreno, iterum floreno, tertium sesquifloreno, quartum poena carceris, quintum subscripto consilio abeundi puniatur.

Sub finem primi semestris plurimum reverendus *P. Paulus* **Schoenberger** O. S. B., Philos. et Theol. Dr, Electoralis Consiliarius ecclesiasticus actualis, in hac alma literarum Universitate Bibliothecarius et in annum sextum Linguarum orientalium et sacrae Hermeneuticae V. T. Professor p. o. atque hoc ipso tempore Prorector, ad iteratas preces suas a celsissimo Principe et Abbate ad S. Emmeramum Ratisbonae, adnuente serenissimo Electore nostro in monasterium suum dimissus est. Ejus loco clarissimus *P. Paulus* **Hupfauer,** de bibliotheca academica, quam elapso anno Ingolstadio Landishutum translocandam curavit, insigni suo jam tum adhibito labore et diligentia egregie meritus, ex decreto Electorali dd. 2 Maji supremus ejusdem Custos et Bibliothecarius constitutus est. In cathedram autem *Schönbergerianam* successit plurimum reverendus ac doctissimus *P. Sebastianus* **Mall,** Fürstenfeldbruckensis, Benedictinus Benedictoburanus. Hic 11 Novembris 1766 natus, quum ab Universitate Salisburgensi, quo monasterii sui sumtibus literarum causa missus fuerat, Artium liberalium

Ao.
1801. Magister ac Philosophiae Doctor creatus rediissit, et 26 Octobris 1788 solemnia Ordinis sui vota esset professus, quam maximam potuit industriam theologicis disciplinis impendit. Triennio autem in his studiis expleto receptoque die 24 Octobris 1791 sacro Presbyteratu iterum Salipolin a Superioribus missus est, ut praecipue linguis orientalibus operam navaret. Inde reversus jam ipse Theologiam dogmaticam et exegeticam tironibus suis domesticis tradere jussus eoque munere cum indefessa diligentia functus est, usquedum 19 Aprilis h. a. ex clementissimo decreto Electorali publicus Linguarum sacrarum et Hermeneuticae Professor in hac Universitate designatus est.

Praenobilis *Conradus* **Frohn**, Philos. Dr., Düsseldorpii ad Rhenum 2 Junii 1752 natus, absolutis Göttingae Studiis philosophicis anno 1788 illustrissimum S. R. I. Comitem de *Sickingen* Serenissimi Electoris Bavarici in regia aula Parisiensi Legatum in itineribus Secretarii vice comitatus est, et postea aliquamdiu Vindobonam secessit. Extant nonnulla, quae tunc jam temporis in lucem emiserat, scripta publica e. gr. *„Beiträge zur neuesten deutschen Territorialverfassung“*, Francof. et Lips. 1783; *„Neueste Staatskunde von Deutschland“* Sect. I. fasc. 1. 2. 3, ibid. 1784; fasc. 4. 5, ib. 1785. 8; *„Frankreichs Revolution und Constitution im Zusammenhange“*, ibid. 1792; *„Scenen aus der französischen Revolution“*, Vindobon. 1793. Anno vero 1795 Monachium pervenit, ibique in otio literario vixit et variis lucubrationibus exaratis et iis quidem potissimum, quae rem Bavaricam spectant, velut: *„Ueber Kultur, Handel und den Einfluss der Getreidpreise auf die Staatswirthschaft“*, cum octo tabellis, Monachii 1798; *„Die Feuerassecuranz für Bayern“*, c. tabb. ibid. 1800; *„Entwurf einer Hypothekenkasse für Bayern“*, ibid. 1799; *„Ueber Bayerns Reichthümer und die Mittel, sie zu vermehren“*, ib. Fasc. I. 1800. 8; haud mediocrem sibi peperit doctorum virorum commendationem. Itaque 19 Aprilis a. c. Electoralis Consiliarius actualis et publicae Oeconomiae Professor ordinarius in hac alma Universitate designatus et vi decreti dd. 25 Maji in Facultatem philosophicam receptus est.

Vigesimo septimo Aprilis tandem de novi Rectoris electione superiori anno habitâ sententia dicta et illa quidem electio,

Ao. 1801.

eoquod ex celsissimo decreto dd. 17 Junii 1784. §. 20. scilicet: „*nequis Rector academicus ante elapsos octo annos integros iterum crearetur*“, tanquam illegitima rejecta est. Clarissimum enim *Franciscum* **Semerum** anno demum 1793 illo fuisse munere functum, ideoque ex illo tempore septem duntaxat annos praeteriisse. Neque vero eum, qui tunc suffragiorum numero proxime accederet *Semero* perperam electo, posse confirmari, quoniam pars minor non possit jure potior haberi, nisi per majoritatem electus sive indignus sive minus fuerit idoneus. Quapropter sine mora novam instituendam electionem, et decretum supradictum de octo annorum intervallo quotannis publicandum esse. Acquieverunt Patres, ac pro residuo semestri hujus anni praenobilem ac clarissimum *Petrum Theodorum* **de Leveling**, Medicinae Professorem elegerunt. Ceterum lex illa non ita diu valuit. Saepius enim brevi post evenit, ut idem duobus vel adeo tribus et iis quidem continuis annis teneret Rectoratum.

Decretum est a Serenissimo eodem die vigesimo septimo Aprilis, ut is physicalium rerum thesaurus, qui hucusque in *Lyceo Neoburgensi* nunc sublato asservabatur, Universitati Landishutanae cederetur. Remonstrarunt quidem summi illius Provinciae Ordines; sed frustra. Sequiori enim clementissimo rescripto dd. 14 Julii instantius mandata est ista traditio. Apparere nempe ex Actis, thesaurum illum minime expensis Ordinum provinciae Neoburgensis fuisse comparatum, nec aliud esse quidquam, cur exiguum ejusmodi adjumentum Universitati denegetur, cum haec praesertim nihil unquam ex illa terra perciperet utilitatis, imo vero de suis, quas in agro Neoburgensi habet, possessionibus etiam vectigalia dominicalia hucusque pensitaret. Itaque sub 3 Augusti ad extraditionem illuc deputatus est plurimum reverendus *Josephus* **Weber** Consiliarius ecclesiasticus et Physices experimentalis Professor, eique, ut quantum posset expensis parceret, venia data est, rem differendi ad initium feriarum, cum ipsemet Neoburgum ad Parochiam sibi collatam ultro esset profecturus.

Hoc anno item die 2 Maji plurimum reverendus S. Theologiae et Philos. D. *Georgius Aloysius* **Dietl**, Serenissimi Electoris a Consiliis ecclesiasticis, Aesthetices ac Philologiae Romanae Professor p. o. designatus, perorata oratione infra laudata solemne

Ao. 1801. principium habuit. Is fuit Pressathi in Palatinatu superiori 19 Februarii 1752 Chirurgo patre natus. Studiis humanioribus ac philosophicis in Collegio Jesuitarum Ambergensi, theologicis autem in alma Universitate Anglipolitana absolutis presbyter ordinatus Monachii primum informatoris et praeceptoris aliquamdiu vices suscepit, atque inde ad preces suas expositus est in parochia quadam Austriae inferioris, cui nomen „Mariaetaferl", ubi vulgaribus illis, quae regnante Josepho II. Imperatore de reformandis rebus ecclesiasticis grassabantur, sensibus haud parum illectus est et imbutus. Anno vero 1784 in patriam redux ad praesentationem praenobilis *D. de Chlingensperg* Parochus Hofbergensis prope Landishutum institutus est; ex quo tempore compluribus etiam scriptis coepit innotescere, cujus generis sunt: *„Predigten an seine Pfarrgemeinde"*, Monach. 1786, editio altera ibid. 1792. 8; *„Vertraute Briefe eines Geistlichen in Bayern an seinen Freund"*, quas literas ficto nomine „Yorix" Francof. et Lipsiae (imo vero Monachii) 1786. 8. edidit; *„Homilien über die sonntäglichen Evangelien für Leser von Geschmack"*, Monach. 1789, ed. II. ib. 1799. 8; *„Gespräche eines Pfarrers auf dem Lande mit seinen Pfarrkindern"*, ib. 1789; *„Freundschaftliche Briefe"* &c., opus bipartitum, cujus alteram partem amicis alteram amicabus dedicatam Monachii 1790. 8. publici juris fecit; *„Briefe über die mythologischen Dichtungen der Griechen und Römer"*, ib. 1799. 8. Cum autem in his libris nonnulla et liberius et oscitantius dicta deprehenderentur, Censores librorum Monacenses alias atque alias ei movebant inquisitiones, a quibus adeo sub protectione celsissimorum Principum *Conradi* Episcopi Frisingensis et *Guilielmi* Bavariae Ducis vix tutus videretur esse, donec a Serenissimo **Maximiliano Josepho** IV Electore nostro nova rerum facta commutatione ad supradictam cathedram academicam clementissime promotus est.

Hoc anno mortuus est religiosissimus *Fr. Xaverius Sautermeister*, S. I. olim presbyter et in hujate Academia meritissimus theologiae moralis Professor, qui, postquam a munere suo docendi protinus dimissus fuerat (1773) primum Dachaviensem, deinde vero via permutationis *Schongaviensem parochiam* obtinuit. In ejus igitur locum ab amplissimo Senatu academico, penes quem jam inde ab anno 1516 jus nominandi est (cf. Annales Ingolst. Acad.

Ao. 1801.

P. IV. p. 179 sq.) die 15 Junii h. a. Serenissimo Electori pro clementissima praesentatione impetranda designatus est SS. theologiae Licentiatus *Leonardus Scharl,* Collegii Georgiani Subregens. Quo facto Serenissimus Consilio Suo ecclesiastico die 12 Jul. rescripsit mandavitque, ut instrumentum praesentationis rite expeditum praedicto Sacerdoti curaret insinuandum, verum etiam ab illo consuetam ex antiquo jure quadraginta quotannis florenorum pensionem Universitati persolvendam exigeret.

Cum hoc anno perillustris *L. B. de Staader,* Landishuti ad S. Jodocum hucusque Parochus urbanus, ad dignitatem decanalem in hujate ecclesia collegiata ad S. Martinum et Castulum fuisset promotus, vacuam exinde parochiam Jodocianam plurimum reverendus *Vitus Antonius* **Winter,** Theologiae pastoralis Professor et hucusque Ingolstadii ad Divam Virginem Speciosam Parochus suscepit, eamque unacum cathedra academica ad vitae suae finem usque retinuit.

Plurimum item reverendus Philologiae Professor *Josephus* **Oeggl,** Georgiani clericorum Seminarii Regens et Universitatis Subbibliothecarius, depositis hisce sub finem semestris I. muneribus et officiis exoptatam sibi parochiam Ingolstadiensem ad D. V. Speciosam adeptus est, injuncta tamen annua quinquaginta florenorum ad Universitatem persolvenda pensione, quae jam dudum ex indulto apostolico *Hadriani* VI Papae imposita fuit illius ecclesiae rectoribus. In ducali autem Collegio Georgiano successit plurimum reverendus *Francisc. Xav. Lechner,* qui natus Landishuti 30 Novembris 1774, postquam studia theologica Ingolstadii et in eo ipso quidem Collegio per triennium edoctus erat, anno 1798 in Collegio clericorum Dorfensi varias deinceps Theologiae disciplinas tradere jussus, inde vero Landishutum translatus et 4 Julii Seminarii dicti Georgiani ibidem Subregens, pridie autem Augusti ejusdem Regens ac Professor Theologiae pastoralis designatus est. *Oeggelius* pastor zelosissimus diem obiit supremum Ingolstadii 1806.

Plurimum reverendus *Laurentius* **Kappler,** extraordinarius Paedagogicae Professor, datis ad supremam Universitatis Curatelam literis conquestus est, quod sibi jam saepius crimini objiceretur, a se anno 1799 Monachium transmissum esse libellum, in quo multa cum magno incommodo Professorum asseveravit et ut

Ao.
1801. complures eorum dimitterentur proposuerit. Quae cum prorsus vana essent et ementita, facillime impetravit quod petiit, ut summa Electoralis Curatela scriptis 26 Junii h. a. ad Universitatem literis propalam attestaretur, se nihil ab eo unquam accepisse literarum, proptereaque acerbissime in eos esse animadversuram, qui ejusmodi calumnias praesumserint disseminare.

Decimo septimo Novembris Concilium plenum; in quo Rector Magnificus Petrus *Theodorus* **de Leveling** rescriptum clementissimum communicavit, quo omnium ordinum Professores Rectorem novum eligere jubentur. Conclusum igitur, ut electio abjecta omni cunctatione peragatur; itaque in hac ipsa sessione per suffragia longe majora clarissimus Consiliarius aulicus ac Jurium Professor *Thaddaeus* **Gönner** electus est.

Ad preces clarissimi Medicinae Professoris *Henrici M.* **de Leveling**, ut publicum, quod Ingolstadii obtinuerat Medici munus per translationem Universitatis amissum sibi quodammodo compensaretur, Serenissimus eidem sub 23 Octobris centum quinquaginta florenos in modum gratificationis ad tempus clementissime concessit, donec peracta definitiva Universitatis organisatione singularis hujus rei ratio fuerit habita.

Potentissimus Dominus Elector proponente Publico Consilio Suo aedes redditusque ad monasterium Ordinis *Praedicatorum* Landishutanum hucusque pertinentes Universitati nunc attribuere decrevit. Itaque ut statum rerum ac pecuniarum penitius cognitum haberet, possetque cavere, nequid subtraheretur, die 5 Decembris praenobilem *Augustum Josephum de Degen*, Consiliarium ecclesiasticum actualem, illuc transmisit eique mandavit, ut adhibitis neo-electo Rectore Magnifico *Thaddaeo* **Gönnero** et clarissimo Professore ac Consiliario *Josepho* **Sochero** rationes de facultatibus monasterii unacum catalogo rerum tam mobilium quam immobilium proponi sibi juberet, simulque Administratorem quendam in temporalibus juramento prius adstrictum provisorio modo institueret, ac suam denique referret sententiam, quomodo personae illius Collegii superstites observata quam maxima parsimonia essent collocandae, utrum scilicet eas cum modica pensione pro victu Ingolstadium transferre, an in aliud ejusdem Ordinis monasterium distribui optimum factu videretur.

Ao. 1801.

Scripta hoc anno ediderunt Professores

theologica:

Vit. Ant. **Winter,** Dankaddresse an Max. Joseph IV wegen Abschaffung der (übervielen) Feiertage, quae est commentatio hist.-critica de augendo et reducendo numero festorum, Monach. 8.

Mich. **Sailer,** Christliche Reden an das christliche Volk, Ti. II. Monach. 8.

juridica:

Jo. Ge. **Fessmaier,** Grundriss des bayerschen Staatsrechts, in usum praelectt. academ. accommodatum, Ingolst. 8. — Versuch einer pragmatischen Geschichte der oberen Pfalz, T. II. Monach. 8.

Nic. Thadd. **Gönner,** Auserlesene Rechtsfälle und Ausarbeitungen, T. I. Landish. 8. — Handbuch des deutschen gemeinen Prozesses, T. I et II. Erlang. 8. — Ueber Veränderung der Religionsübung gegen den Zustand des Normaljahres, edit. II. Landish. 8.

Fr. Xav. **Krüll,** Grundsätze des heutigen in Deutschland üblichen Lehenrechtes, Ingolst. 8.

Jos. **Stürzer,** Ueber die Rücksichten, die der Gesetzgeber bei Verfassung eines neuen Strafcodex zu nehmen hat, Landish. 8.

publ.-oeconomica:

Conrad. **Frohn,** Altes und neues Handelssystem in Bayern, Monach. 8. — Neuester aktenmässiger Zustand der sämmtlichen ständigen Staatseinkünfte und Staatsausgaben in Bayern, P. I. fasc. 1, Landish. 8.

medica:

Ge. Augst. **Bertele,** Erörterung der Frage: Ist jedem Menschen eine gewisse Summe von Erregbarkeit angeboren oder nicht? Ldsh. 8.

Ao.
1801. *philosophica:*

Ge. Aloys. **Dietl,** Die schönen Künste und Wissenschaften bilden zur Humanität, Dissert. inaug. Landish. 8.

Paul. **Hupfauer,** Ueber den Passau'schen Domherrn Paulus Wann &c., nebst Digressionen über das Predigtwesen, Landish. 8.

Ge. Leon. **Reiner,** Allgemeine Rechtslehre nach Kant, in Vorlesungen, Landsh. 8.

Fr. de P. **Schrank,** Grundriss der allgemeinen Naturgeschichte und Zoologie, Erlang. 8. — Fauna boica, T. II. Sect. 1. 2. Landish.

Jos. **Socher,** Grundriss der Geschichte der philosophischen Systeme, Monach. 8.

Jos. **Weber,** Ueber die gemeine und die bei Auflösung der Körper erzeugte Luft, Nova ac penitus retractata editio, Landish. 8. — Metaphysik des Sinnlichen und Uebersinnlichen mit Hinsicht auf die neue und neueste Philosophie, ibid. 8.

ANNO DOMINI MDCCCII.

Ao.
1802. Rector DLII: **Nicolaus Thaddaeus** GOENNER, Juris utr. D:, Serenissimi Electoris a Consiliis aulicis actt., Juris publici Germanici, Historiae imperialis, Processuum imperii et Praxeos juridicae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 172.

Illustres: *Adalbertus* **L. B. de Haake,** Neoburgensis Neo-Palatinus, Jurium Cand.

Antonius **L. B. de Donnersberg,** Iglingensis Bav., Ecclesiae cathedralis Augustanae Canonicus, Theol. C.

Ao. 1802.

Aloysius **L. B. de Schleich,** Landishutanus Bav., Theologiae C.

Carolus et *Maximilianus* **Comites de Tauffkirch** a Guttenburg, Burghusiani Boji, Juris utr. Candd.

Leopoldus **L. B. de Enzberg,** Mühlhemiensis Suevus, Physices Studiosus.

Josephus **L. B. de Silbermann,** Strassensis Neo-Palatinus, Philos. Stud.

Serenissimus Princeps Dominus CAROLUS **hereditarius Princeps de Hohenzollern-Sigmaringen.**

Ferdinandus **L. B. de Gronefeld,** Paderbornensis Westphalus, Jurium Cand.

Ludovicus **L. B. de Weinbach,** Wetzlariensis, Logices Stud.

Ferdinandus **L. B. de Ow,** Marisburgensis Suevus, Physices Stud.

Jo. Nepom. **L. B. de Loewenthal,** Ambergensis Palatinus, Jurium Cand.

Christophorus **L. B. de Weveld,** Neoburgensis Neo-Palatinus, Philos. C.

Carolus **L. B. de Schacky,** Burghusianus Boj., Philos. C.

Carolus **L. B. de Spiering,** Fronbergensis Neo-Palatinus, Jur. utr. C.

Carolus **L. B. de Stengel,** Monacensis, Jurium C.

Novi Profess. *Antonius* **Drexel,** D^{r} Philos., Philologiae Prof. p. o. et Subbibliothecarius academicus.

Andreas **Röschlaub,** Lichtenfeldensis Franco, in Bambergensi antehac, nunc in hujate Academia Medicinae Prof. p. o. et medicae Facultatis Assessor.

Josephus **Stürzer,** Hemaviensis Palatinus, hucusque privatim legens, nunc Jurium Prof. extraordinarius.

Priv. Docens: *Jo. Antonius* **Schmidtmüller,** Hohenfelsensis Palatinus, Medicinae D^{r} legens et Prosector anatomicus.

Ao.			
1802.	Novi DD.r	5 Junii *Jur. Lic. Simon Rottmanner,* Electoralis Advocatus,	*Jur.*
		— *Jo. Baptista Teutsch,* Consiliarius Comitis de Schenk,	
		5 Junii *Frid. Guil. Jos. Schelling,* Philos. D.r et Professor Jenensis,	*Medic.*
		5 Junii *Cajetanus Weiler,* Lycei Monacensis Rector et Philosophiae ibid. Prof.	*Philos.*
		m. Aug. *Antonius Schachner,* ad S. Wolfgangum Canonicus,	
		— *Antonius Drexel,* Lengriessensis Bojus, Philologiae Prof. designatus	

Albo academico praeter alios hoc anno inscripti sunt clarissimus *Franciscus Henricus Fischler,* Consiliarius aulicus et Moderator serenissimi Principis de Hohenzollern-Sigmaringen; *Carolus Belleville,* Rothomagensis Gallus, Gallicae linguae Magister in hac alma Universitate clementissime designatus; *Moses Brühl,* Manhemiensis, primus apud nos Israëlita Doctoratus medici Candidatus.

Nunc demum *Universitati,* quae hospitis adhuc modo Landishuti versabatur, *fixam* ibi *sedem* fuisse assignatam, patuit ex rescripto die 7 Decembris anni superioris emanato, quo Senatus academicus per Deputatos ea aedificia, quae Universitatis usibus convenirent, designare jussus est. Negotium commissum DD. Professoribus Fr. Xav. *de Moshamm,* Henrico Mariae *de Leveling,* Josepho *Socher* et Aloysio *Dietl.* His ex speciali mandato Electorali adduntur Nicolaus Thaddaeus *Gönner* h. t. Rector Magnificus et Professor Josephus *Socher,* utpote qui Universitatis bono invigilent.

Per compotationem tempore Saturnalium paulo hilariorem D. Rector Magnificus **Gönner** in societate nonnullorum Academicorum et Officialium militarium salutationes potatorias, quas „Trinksprüche“ seu „Toasts“ vocamus, emiserat, quae mox falsis additamentis auctae quasi religionis et status politici eversionem minantes disperguntur; simulque vita et doctrina quorundam Professorum eadem arrepta occasione occultis delationibus ad ipsas etiam Principis aures adrepentibus proscinditur. Paucis post diebus

Ao. 1802.

ambo Universitatis Curatores Monachio missi adsunt; inquiritur summo rigore, deteguntur calumniatorum cuniculi, culpa nulla. Delatorum falsitas et Universitatis honor publicis pagellis declaratur; decretum hac super re emissum ita verba facit:

Maximilian Joseph &c. &c.

Wir haben nach dem von Unserer Universitäts-Kuratel über die gegen verschiedene Professoren und mehrere Akademiker ausgestreuten Gerüchte, ihre Lehren und sittliches Betragen betreffend, an Uns erstatteten Berichte mit landesväterlichem Wohlgefallen und zu Unserer Beruhigung erfahren, dass jene Gerüchte, besonders diejenigen, welche das Ansehen und die Ehre des dermaligen Rectors am meisten angegriffen haben, gänzlich ungegründet befunden worden sind; und dass vielmehr ein solcher Geist unter Lehrern und Schüler auf der Universität herrsche, von dem Wir uns erspriessliche Folgen für den zukünftigen Staatsdienst versprechen können. Wir setzen in euch das fernere Vertrauen, dass ihr von der Wichtigkeit eueres Berufes durchdrungen, dadurch den Ruhm eueres Institutes zu erhöhen suchen werdet, dass ihr mit gleicher Aufmerksamkeit sowohl den Geist als das Herz der euch anvertrauten Jugend, worauf die Hofnung des Vaterlandes beruht, durch reine Lehren und überall durch ein gutes Beispiel bildet &c. &c.

München, den 18 März 1802.

Max. Joseph, Kurfürst.

vd. Graf Morawitzki.

Audito summo Electorali de gerendis rebus publicis Consilio Serenissimus d. 27 Martii decrevit, ut Landishuti de novo *horto botanico,* de *observatorio astronomico* et de *hippodromo* in usus academicos sine mora consuleretur, et in eum finem Hortus aulicus in aulico sic dicto Monte (Hofberg) situs cum adjacente agro pro novo adaptando horto botanico, pars autem aliqua arcis Trausnizianae ad erigendam Speculam meteorologico-astronomicam, denique ager ille ad fossam PP. Capucinorum e regione valetudinarii militaris ad condendum Hippodromum aestivum et hibernum Universitati cederetur.

Mense Aprili Serenissimi rescriptum emanavit, quo *monasterium PP. Dominicanorum* et *Franciscanorum* in usum Univer-

Ao. 1802. sitatis, insuper et monasterium *Monialium ad S. Crucem* in Collegii Georgiani sedem assignantur, adjunctis ad plenariam Universitatis dotationem redditibus Dominicanorum ad quatuor millia florenorum, Monialium S. Crucis ad sex millia flor. aestimatis. Monasterio item *Monialium in Seligenthal* injungitur, ut sexies mille quotannis pendat florenos. Quapropter ad agendas Principi literarum amantissimo grates Monachium deputantur Rector Magnificus **Gönner**, Exdecanus theologicus *Vitus Winter*, Decanus medicus *Aloysius Winter* et philosophicus *Josephus Socher*.

Ex decreto Electorali dd. 8 Aprilis amplissimo Senatui academico communicatur, omnes librorum redemtores jussos esse de quolibet typis impresso opere, cujus edendi sumtus fecerint, unum exemplar non solum more solito ad aulicam Electoralem Bibliothecam, sed in posterum etiam alterum ad Bibliothecam Universitatis gratis transmittere. Itaque illud mandatum, vi cujus ipsa Universitas omnium a Professoribus, Doctoribus, aliis civibus academicis editorum operum unum exemplar in Bibliotheca aulica jubebatur deponere, rursus sublatum est. Verum haec remissio legis ad ea Universitatis scripta, quae extra patriam prelo subjiciuntur, minime extendatur.

Eodem die ac mense, octavo nempe Aprilis, loco clarissimi *Oeggl* (vd. supra p. 215) plurimum reverendus ac doctissimus *Antonius* **Drexel** in Philologiae cathedram instituitur. Is Lengriessensis Bojus 27 Januarii 1753 natus et 22 Decembris Sacerdos ordinatus absolutis in alma literarum Universitate Anglipolitana theologiae studiis anno 1784 Subbibliothecarii academici partes suscepit. Sed jam postero anno, cum in Illuminatos eo tempore studiosius animadverteretur, munusculo isto privatus relicta patria in Italiam migravit. Ibi autem primum Ticini in Collegio Germanico et Hungarico literarum graecarum Magister, paulo post bibliothecae nationali Brixiensi noviter dotatae Praefectus, ab anno inde 1799 ob belli aerumnas vitam privatam partim Venetiis partim Vicentiae degebat, usque dum commutatis interea rebus vernaculis in patriam reversus dicto die Consiliarius ecclesiasticus et Philologiae Professor p. o. simulque secundarius Universitatis nostrae Bibliothecarius clementissime designatus est. Dissertatio

Ao. 1802.

infra laudata, qua solemniter praelectionum suarum initium fecit, typis impressa prodiit Landishuti.

In Deputatos pro administrando fundo Universitatis Praeside *Rectore Magnifico* et Notario academico Secretarii vice fungente clarissimi Professores *Franciscus de Paula* **Schrank** et *Josephus* **Socher** Consiliarii ecclesiastici, *Georgius Xaverius* **Semer**, *Thaddaeus* **Gönner** et *Fr. Xaverius* **de Moshamm** Consiliarii aulici clementissime designati sunt. Quo facto cum negotiorum curatores, qui, ut aedificia Universitati pro variis attributis suis necessaria exquirerent, ab amplissimo Senatu fuerant electi, mandatum suum cum laudanda industria perfecissent, jamque res in eo esset, ut non solum aedes istae a Serenissimo Electore nobis traditae in usus academicos instituerentur, verum etiam pecuniae ad augendos redditus Universitati munificentissime assignatae diligenter administrarentur; suprema Electoralis Curatela Monacensis datis 10 Aprilis literis inde ab hoc die omnium earum rerum procurationem Collegio illo pro administrandis rebus oeconomicis supra constituto deferre statuit in hunc modum: Omnes ichnographiae et descriptiones literis clementissimis additae revisioni subjiciantur et ad hoc delecti pro sua quisque provincia docendi Professores nempe *Hupfauer* bibliothecam, *Fessmaier* archivum, *Weber* rerum naturalium et physicalium museum, *Henricus de Leveling* theatrum anatomicum; *Bertele* chemicum laboratorium, *Schrank* hortum botanicum, *Aloysius Winter* domum obstetriciam et clinicum chirurgicum, *Röschlaub* clinicum medicum, *Knogler* observatorium astronomicum, *Felter* equitandi magister hippodromum, aptissime quidem sed minimis quibus fieri poterit impensis instituendum curabunt. Hi igitur Viri jubentur adhibito architecto aulico et caementario sumtus computare et eorum rationes pro summa ratificatione ad intimam Universitatis Curatelam transmittere, praeterea novas fundo academico clementissime assignatas dotationes accurate describere, collatisque consiliis referre, quomodo forte per agrorum nonnullorum alienationem pecuniae novae vel condendis vel adaptandis aedificiis et attributis supra dictis necessariae possint comparari.

Parochiam *Oberglaimensem*, quam **Carolus Theodorus** beatissimae memoriae Elector monasterio Ordinis S. Dominici Landis-

Ao.
1802. hutano in quindecim annos commiserat, Serenissimus MAXIMILIANUS JOSEPHUS nunc Universitati clementissime ita concessit, ut quotiescunque vacarit ad praesentationem intimae Electoralis Curatelae saeculari cuidam clerico et ei quidem Professori academico conferretur. Itaque ubi de tollendo monasterio Dominicano jam fuit consultum atque conclusum, plurimum reverendus *Antonius* **Michl** canonici juris Professor ex celsissimo decreto d. 14 Aprilis Parochus Oberglaimensis designatus est. De annuo autem quo is fruebatur hucusque sexcentorum florenorum stipendio Consiliariis ecclesiasticis quadringenti *Aloysio Dill*, ducenti vero *Josepho Sochero* attributi sunt. Cum autem novus Parochus illo beneficio minus esset contentus, eidem, ut parochia rursus libere se abdicaret, sequiori rescripto dd. 20 Decembris permissum, et in compensationem illius annuum octingentorum florenorum salarium assignatum est. Vacuam autem per ejus resignationem parochiam ad designationem Universitatis obtinuit plurimum reverendus *Conradus Heidmaier*.

Tricesima Aprilis transmissa sunt nobis ab intima Electorali Curatela quadraginta exemplaria de commentario *Codicis criminalis Bavarici* eum in finem, ut inter singulos Universitatis socios distribuerentur, atque inde omnes Professores una suas ea de re sententias ad Serenissimum referrent.

Ex clementissimo rescripto Electorali dd. 2 Maji clarissimus *Joannes Andreas* **Röschlaub** Medicinae Professor Bambergensis huc advocatus est. Is Lichtenfelsi prope Bambergam 21 Augusti 1768 natus, postquam absolutis studiis humanioribus anno 1785 philosophici Baccalaureatus ac dein etiam Magisterii gradu insignitus, 1786 aliquamdiu SS. Theologiae, sequentibus autem annis primum Bambergae deinde Herbipoli Medicinae egregiam navarat operam, Medicinae Doctor rite promotus jam anno 1796 in literarum academia Bambergensi extraordinarius medicinae Professor, postero anno ejusdem Facultatis Assessor et eo ipso anno vixdum elapso Pathologiae et Clinicae Professor p. o. ibidemque secundarius in Nosocomio communi Medicus institutus fuit; neque solum ob eximiam eruditionem docendique claritatem atque artis suae exercendae dexteritatem maximam sibi comparaverat commendationem, sed brevi etiam scriptis libris inclaruit. Nam praeter

Ao. 1802.

dissertationem inauguralem: *„De febri“*, quam 15 Julii 1795 praeside *Ignatio Döllingero* defendit eodemque anno Bambergae typis in 8.° edidit, aliasque complures quas in *M. A. Weikardi „Magazin der verbesserten theoretischen und praktischen Arzneikunst“* et in ejusdem *„Sammlung medicinisch-praktischer Erfahrungen und Abhandlungen“* inseruit commentationes, evulgata sunt ab eo jam antequam ad nos pervenit: *„Untersuchungen über Pathogenie oder Einleitung in die medizinische Theorie“* P. I et II. Francof. a. M. 1798, P. III. ibid. 1800. 8; *„Von dem Einflusse der Brown'schen Theorie auf die praktische Heilkunde“* Wirceburg. 1798. 8; „Commentatio de scholae clinico-medicae fine ac requisitis“, Bamberg. 1800. 8; *„Lehrbuch der Nosologie“*, in usum praelectionum suarum, Bamb. & Wirceb. 1801. 8; al. Tanta igitur praestantissimi hujus Viri fama commotus serenissimus Elector eundem Consiliarium actualem, Clinicae medicinalis Professorem p. o. et medicae Facultatis Assessorem, praeterea Nosocomii et Scholae medic. Landishutanae Directorem cum annuo mille et sexcentorum florenorum salario ceterisque Ordinarii emolumentis clementissime nominavit, atque insuper ejus bona sarcinasque portorii immunes Landishutum transvehi et pro demigrationis sumtibus quingentos ei florenos jussit persolvi.

Ad submississimam Senatus academici propositionem de celebrando festo die translationis Universitatis Serenissimus 27 Maji clementissime rescripsit, id quidem Sibi placere ratumque esse, quod literarum Universitas antehac Ingolstadiensis inde ab hoc tempore *Landishuti* semper maneat et in posterum **„Ludovico-Maximilianea“** nomine appelletur. Festum autem translationis ejus cum congruis solemnitatibus melius tunc demum celebrandum fore, cum primum omnia Universitatis Attributa eo usque fuerint disposita et perfecta, ut ad commodiores usus academicos sufficiant. In hoc potissimum Senatui et fundi Deputationi laborandum, id in praesenti ante omnia intendendum. Quod si pro viribus fecerint, Se lubentissime destinaturum esse tempus, quo dies translocatae imo restauratae Universitatis solemniter agatur.

Atvero Senatus academicus, quum haud diutius posset comprimere aut retardare altam quae civium animos movebat gratiarum actionem, delectos Monachium dimisit, instantissime ab

Ao. 1802. Electore petens, ut rebus cunctis ad celebrandum diem festum jam praeparatis communi omnium desiderio clementissime dignaretur indulgere. Quibus iteratis commotus precibus Serenissimus tandem adnuit. Die igitur *quarta Junii* convenerunt in aedibus Universitatis Professores et omnium Facultatum Studiosi, atque inde per novam quae dicitur urbem ad templum antehac religiosis Patribus Ordinis S. Dominici Praedicatorum dicatum nunc Universitati traditum longo ordine processerunt. A fronte Ecclesiae arcus triumphalis erat exstructus atque insuper collocata *Pallas,* tenens clypeum ostendentem insigne Universitatis. Ad dextram adstitit *Lucipara* („die Aufklärung") tabulam manu gestans inscriptam verbis *„Fiat lux!"*; ad sinistram autem *Gratitudo* („die Dankbarkeit") tura injiciens in ignes arulae sacrificae. Supra portam affulsit epigramma *„Deo Opt. Max. Favente* **Maximiliano Josepho Electore** *Universitas Boica dedicat."* Ingredientes in domum Dei excepti sunt a nobilibus et militum praefectis, humanissime ad sacros actus invitatis, et a delectis iis, quos magistratus civicus e primoribus suis destinavit. Congregatis in unum omnibus plurimum reverendus *Georgius Aloysius* **Dietl** Aesthetices Professor sacrum suggestum ascendit et solennem habuit orationem, quam publicis postea typis exscriptam Landishuti in forma 8. edidit. Finito sacro pompa eodem ordine quo venerat ad Universitatem reducitur. Sub vesperum ejus diei concentus editus est in Aula academica magnifice decorata. Sex pyramides in fronte theatri positae totidem praeseferebant inscriptiones: *„dem Vater des Vaterlandes"* — *„dem Volksfreunde"* — *„dem Schöpfer der Universität"* — *„dem Wiederhersteller der Pressfreiheit"* — *„dem Liebling der Musen"* — *„dem Schützer der Toleranz"*. Decantata primum symphonia Wranskyana protinus aulaeum tollitur. Apparet templum Luciparae miro refulgens solis instar splendore, et in recessu templi imago serenissimi *Maximiliani Josephi* circumdata cunctis dominationis suae insignibus. Ante imaginem stetit ara sacrifica, in qua tergemina flamma tremiscit. Chorus geniorum in vestitu deaurato ignes alebat hymnos cantans floreasque ad altaris pedes deponens coronas.

Altera autem dies literariis solennitatibus impensa est. Habita enim oratione inaugurali a juridicae Facultatis Decano

Ao.
1802.

plurimum reverendo *Dr. Antonio* **Michl** viri duo praeclarissimi ob eximia sua in jurisprudentia merita publice Doctores renunciati sunt, praenobilis jurium Licentiatus *Dr. Simon Rottmanner,* Electoralis Advocatus, et *Dr. Joannes Bapt. Teutsch,* Consiliarius ac primarius Judex illustrissimi Comitis *de Schenk.* Simili modo saluberrima Facultas clarissimo philosophiae Doctori *D. Friderico Guilielmo Josepho Schelling* Professori Jenensi Medicinae doctoratus gradum honoris causa contulit. Postremo etiam amplissima philosophica Facultas plurimum reverendum *D. Cajetanum Weiler,* tunc temporis Electoralis Lycei Monacensis Directorem (post etiam regiae scientiarum Academiae adlectum socium et equestri ob civilia de corona Bavarica merita cruce decoratum) motu proprio et communi omnium professorum applausu, ut debitam ejus virtutibus aestimationem publice contestaretur, Philosophiae Doctorem creavit.

In saluberrima Facultate commemorandus est *Josephus Antonius* **Schmidtmüller,** Celsopetrensis Palatinus, 28 Novembris 1776 natus. Qui quum jam puer in Gymnasio Ambergensi praeceptoribus suis esset egregie probatus, in monasterio Weissenhohensi novitius assumtus est. Sed phthisico morbo implicitus relicto coenobio 1797 Medicinae studere coepit, et in Academia Erlangensi 4 Februarii 1801 habita dissertatione inaugurali *„De lympha“,* simulque *„Conspectu Politiae obstetriciae“* dissertationis loco pro venia legendi exhibito (Erlangae 1801. 8), summos in Medicina et Chirurgia honores docendique publice facultatem impetravit. Eodem anno non solum duas e lingua latina in germanicam transtulit commentationes, nempe *J. E. Küsteri „Einleitung in die Pharmakologie oder Wundarzneimittellehre“* Lips. 8, et *Godofr. Fleischmanni „Geschichte der Rindviehpest und Heilung derselben“* Norimberg. 8; sed etiam proprio marte exaravit opusculum s. t. *„Taschenbuch für die physische Erziehung der Kinder, zunächst der Säuglinge für das Jahr* 1802“ Fürth. 12. Deinde etiam coram Collegio medico Monacensi examinatus ac prorsus insigniter approbatus ex clementissimo rescripto dd. 5 Junii in Universitate Landishutana Doctor legens et Prosector cum sexcentorum florenorum stipendio designatus est. Ast demum sequente semestri praelectionum suarum initium fecit, cum scilicet priori semianno sumtibus publicis

Ao. 1802. Jenam se contulisset et duce *Lodero* celeberrimo ibi tunc Professore arti obstetriciae operam navasset.

Paulo ante initium feriarum auctumnalium plurimum reverendus *P. Paulus* **Hupfauer,** Consiliarius eccl. actualis et Historiae philosophico-literariae Professor p. o. nec non primarius Universitatis Bibliothecarius in monasterium suum Beuersbergense reversus, ibique 12 Augusti omnium Conventualium suffragiis *Abbas* electus et a Serenissimo Electore comprobatus est. Cathedram ejus *P. Gregorius* **Reiner** Philosophiae Professor suscepit; doctissimus autem *Antonius Drexel* nuperrime Philologiae Professor et Subbibliothecarius constitutus nunc summus et in praesente unicus Bibliothecae Custos designatur.

Ex decreto Serenissimi dd. 21 Augusti praenobilis Dominus *Schedel a Greiffenstein,* Electoralis Architectorum Centurio et supremus civicorum Aedilium Director Monacensis Landishutum missus est ad revidendas novorum aedificiorum descriptiones, quae in usus academicos placuit adaptare. Secundum enim edictum ad tempus propositum monasterium Dominicanorum in principale aedificium Universitatis, domus autem Foederis caritativi in Clinicum medicum et chirurgicum, porro monasterium Franciscanorum in theatrum anatomicum et chemicum laboratorium cum necessariis auditoriis, pars denique arcis Trausnizianae in Observatorium astronomicum fuerunt commutanda.

Die 29 Octobris plurimum reverendus *Aloysius* **Dietl** Consiliarius ecclesiasticus et Professor p. o. in ecclesia ad S. Martinum per obitum illustris *L. B. de Karg* h. t. vacante Parochus, retenta cathedra sua academica, clementissime designatus, et paulo post etiam cunctis Capitularium suffragiis Decanus ruralis electus est.

Eodem 29 Octobris tres Viri clarissimi ac de Universitate meritissimi, quos Ingolstadii remansisse supra commemoravimus, *Mederer, Siardi* et *Kandler,* publico docendi munere suo soluti sunt.

Secundo Novembris celsissimum emanavit Electorale decretum, decimo quinto in Concilio pleno communicatum *de constituendo novo Senatu academico* ejusque competentia et Assessorum numero et qualitate. Quae ordinatio, cum sit amplior et gravioris momenti, infra in *Codice diplom.* typis exscripta est.

Ao. 1802.

Serenissimus Elector d. 6 Nov. *Georgio Xaverio* **Semer** Jurium Professori p. o. Ephoratum in eos, qui annuis stipendiis in collegio Albertino sustentantur, Alumnos ulterius in triennium dignatus est conferre.

Praenobilis *Maximilianus Stöger*, Ratisbonae natus, qui monasticam vitam pertaesus relicto coenobio Benedictino Schyrensi, in quo jam Novitius erat assumtus, studiis philosophicis in hac alma Universitate Anglipolitana cum prosperrimo successu incubuit, 12 Decembris a Serenissimo Historiarum Lector clementissime designatus est, addita supplicanti hac venia, ut peregrinationes aliquamdiu prius instituere et anno demum proxime futuro praestatis praestandis lectiones suas incipere sibi liceret.

Eximiam doctorum Virorum industriam, quam in re literaria hoc quoque anno posuerunt, librorum haud exiguus numerus testatur. Elucubravit enim

in *theologica* Facultate:

Michaël **Sailer**, Der junge Geistliche des neunzehnten Jahrhunderts, Monach. 8.

Patric. **Zimmer**, Theologiae christ. specialis P. I. De Deo in se; Aug. Vindel. 8.

in Fac. *juridica:*

Jo. Ge. **Fessmaier**, Grundriss der jurist. Hülfswissenschaften, Landish. 8.

Nic. Thadd. **Gönner**, Handbuch des gemeinen deutschen Prozesses, T. III. Erlang. 8. — Gedanken über die Berichtigung des Lüneviller Friedens durch die hohe Reichsdeputation, Landsh. 8.

Caspar. **de Kandler**, Grundsätze der reinen Politik in Hinsicht auf die Regierungskunst, Ingolst. 8.

Fr. Xav. **Krüll**, Prüfung einzelner Theile des deutschen Privatrechts, T. I. Landish. 8.

in Fac. *publ.-oeconomica:*

Fr. Xav. **de Moshamm**, Wechselrecht, Edit. II.

in Fac. *medica:*

Andr. **Röschlaub**, Ueber Medizin, ihr Verhältniss zur Chirurgie &c. Francofurt. ad Moen. 8.

Ao.
1802. *Ant.* **Schmidtmüller,** Taschenbuch für die physische Erziehung der Kinder vom ersten bis zum siebenten Jahre, für 1803. Fürth. 12.

in Fac. *philosoph.*

Aloys. **Dietl,** Predigten an seine Pfarrgemeinde, Ed. III. Monach. 8; — Predigt auf das Fest der Verkündigung Mariä, Luc. I. 33, oder Ueber das, was in der Religion wesentlich und bleibend, und was zufällig oder veränderlich ist, ibid. 8; — Rede, als die churfürstl. Universität zu Landshut die ehemalige Dominikanerkirche in Besitz nahm und daselbst den ersten akademischen Gottesdienst hielt, Landish. 8.

Ant. **Drexel,** Ueber Erklärung der alten Klassiker durch Vergleichung mit neuerer Zeit, Diss. inaug. Landish. 8.

Paul. **Hupfauer,** Zehn Paragraphen über das Klosterwesen in Bayern, Landish. 8.

Gabr. **Knogler,** Die Meteorologie, in usum praelecct. suarum, Landish. 8.

Maur. **Magold,** Lehrbuch der Arithmetik, c. novem tabb., Landish. 8.

Fr. de Paul. **Schrank,** Briefe an Nau, Erlang. 8; — *Fauna Boica* T. III. Sect. 1. Ingolst. 8.

Jos. **Socher,** Ueber die Verwendung einiger Klostergüter zu Bildungs- und Wohlthätigkeits-Anstalten, Monach. 8; — Bemerkungen über den Kleinschrod'schen Entwurf eines peinlichen Gesetzbuches, publ. typis edita in Ephemeride c. t. „Materialien zur peinlichen Gesetzgebung in Bayern &c."; — Grundriss der Geschichte der philosophischen Systeme von den Griechen bis auf Kant, Monach. 8.

Ao.

Jos. **Weber,** Der Galvanismus, Ephemeris IV fascicc. c. figg. aeneis, Landish. 8; — Der Glascondensator, quae nova inventio descripta in *Gilberti* „Annalen der Physik“ 1802 c. 7 edita est, atque etiam in Gallicam linguam translata. 1802.

ANNO DOMINI MDCCCIII.

Ao.

Rector DLIII: **Josephus** WEBER, Philos. et Theol. D^r^, Serenissimi Electoris Consiliarius ecclesiast. actualis; Physices, Chemiae et Historiae naturalis Prof. p. o. 1803.

Nov. Inscripti 282.

Illustres:

Antonius **L. B. de Enzberg** a Mühlheim et Bronen, Mühlhemiensis Suevus, Jurium C.

Maximilianus Josephus **L. B. de Ott** a Katzdorf et Bettendorf, Mitterteichensis Palatin.

Augustus **L. B. de Imhof,** Mogonus, Scientiarum cameral. Cand.

Franciscus **L. B. de Gumppenberg,** Ratisbonensis, Cameral. Cand.

Serenissimus Princeps ac Dominus CAROLUS LUDOVICUS, **utriusque Bavariae, Palatinatus superioris, Franconiae et Montium Dux** *cett.* **Princeps Electoralis hereditarius.**

Constantinus **L. B. de Gebsattel,** Wirceburgensis Franco, Cameral. C.

Fidelis **L. B. de Bodmann** a Bodmann, Suevus; Jurium C.

Augustus **L. B. de Rechberg** Monacensis, Jurium C.

Ao. 1803. *Clemens* **L. B. de Hertling,** Traunsteinensis Boj., Jur. C.

Josephus **Comes de Armansperg,** Koetzinganus Boj., Philos. C.

Novi Proff. *Josephus* **Stürzer,** ex superiori anno extraordinarius, nunc publicus ordinarius Jurium Prof.

Franciscus Xaverius **Krüll,** extraordinarius antehac Jurium Professor, nunc eorundem publicus ordinarius.

Paulus **Hupfauer,** Ex-Abbas O. S. B. Beuersbergensis, Historiae literariae Professor honorarius et Universitatis Bibliothecarius.

Ex Inscriptorum numero praeter Illustres supra laudatos notari merentur: *Florianus Eisenreich,* Furthensis Bojus, tunc temporis Legionis pedestris Serenissimi Guilielmi Bavariae Ducis Chirurgus primarius; *Antonius Reflinger,* Monacensis, Philosophiae Candidatus, postmodo in publico, quo pueri ad militiam informantur, Collegio (quod vocant „Cadetencorps") Monacensi Professor et regius Consiliarius ecclesiasticus; praecipue *Philippus Franciscus Wallher,* Burweileranus Rheno-Palatinus, Med. et Chirurg. D^r^, qui postea hujus Universitatis celeberrimus Professor rempublicam medico-literariam eximie illustravit.

Ex clementissimo decreto dd. 2 Novembris praeteriti anni *novus et is angustior Senatus* e quatuor perpetuis totidemque quotannis variatis Assessoribus consistit. Et in perpetuos quidem a Serenissimo designati sunt Professores *Georgius Xaverius* **Semer,** *Fr. de Paula* **Schrank,** *Nic. Thaddaeus* **Gönner,** *Josephus* **Socher** et *Jo. Georgius* **Fessmaier** qua Archivarius. Mutabiles autem quovis anno Assessores praeside Rectore Magnifico, qui suam simul Facultatem repraesentat, tres reliquarum Facultatum Decani succedunt. Accidit autem per decursum hujus anni saepius, ut Senatus in absentia Rectoris Magnifici aegritudine nonnunquam impediti praeside Prorectore *Gönnero* conveniret, ideoque philosophica facultas suo repraesentatore esset destituta. Inde a Prorectore mota est quaestio, annon aegrotante aut impedito ipso Rectore

Ao. 1803.

Decanum ejusdem Facultatis placeat adhiberi; quae tamen propositio a Patribus rejecta est. Idne suamet auctoritate recte fecerint, nescio.

Serenissimus Elector cum sibi persuasum haberet, quam sit necessarium pecunias ad peraedificandas novas aedes et Attributa academica in tempore comparare, suadente potissimum **Sochero** Consiliario ecclesiastico die 11 Januarii decrevit, ut domus coquendae cerevisiae, quam antehac *PP. Dominicani* Landishuti possidebant, cum adpertinentibus rebus oeconomicis constituta auctione venderetur. Quapropter Universitatis Administratio jubetur curare, ut illa aedificia et utensilia sine mora aestimentur et salva ratificatione ad licitationem deducantur, de pecunia autem e rebus his divenditis percepta imminente proximo vere statim secundum species depictas et comprobatas incipiant aedificare.

Demississimam porro propositionem eorum, qui sunt ad administrandum Universitatis fundum deputati, ut jus coquendi e frumento vini, quod germanice dicitur *„die Brantweinbrennerei-Gerechtigkeit“*, et a monasterio *Dominicanorum* antehac Landishuti fuerat exercitum, in publicam auctionem deductum, summo licitationis pretio nempe numerata bis mille ducentorum et triginta florenorum pecunia venderetur, Serenissimus Elector datis die 11 Julii ad Universitatem literis clementissime ratam habuit.

Eodem modo jus et aedificium coquendae cerevisiae, quod Ordinis ibidem *S. Francisci* fuerat, nunc monasterio sublato unacum utensilibus publica auctione venditum et pretium a Serenissimo 8 Aprilis ratihabitum octodecim millium florenorum in rem Universitatis clementissime dispositum est.

Praeterea placuit jam die 24 Februarii decernere, ut pars argenti sacrae *Congregationis academicae*, quod sex et viginti libras et quadraginta novem semiuncias pondo (26 ℔ 24½ Loth) Ingolstadio Landishutum deportatum est, pretio mille et septuaginta florenorum *Josepho Schongero* aurifici venderetur. Nec ita multo post alia quoque argentea vasa usui antehac ecclesiastico destinata praevia facta aestimatione et salva ratificatione plurimo licentibus venierunt. Quam alteram venditionem Serenissimus postmodo per speciale decretum dd. 24 Septembris praesenti pecunia mille centum et viginti trium florenorum ratam fecit mandavitque,

Ao. 1803. ut reliquas res pretiosas, si forte Landishuti non cum quaestu aliquo potuerint venundari, Monachium curarent asportandas.

Submississimam quoque, quam praenobilis *Andreas* **Rohr,** academici fundi Ingolstadiensis ad tempus Administrator, nuperrime ad intimam Universitatis Curatoriam detulit propositionem, ut chemicum illic laboratorium unacum aediculis Substituti et adjacente hortulo sub hasta venderètur, Serenissimus transmissis 22 Augusti literis ratam esse voluit, ideoque supra memoratas res *Michaëli Grassl* civico hortulano, utpote plurimo licenti, nongentorum octo florenorum pretio addici eique legem mancipii ad publicatas conditiones et reservato constituto possessorio perscribi, et emtorem, cum primum dimidium pecuniae numerasset, immitti in possessionem jussit.

Postremo etiam venditio prati *Dominicanorum*, quod quatuor jugera et bis mille octingentos ac septuaginta in quadrum pedes continens prope Schoenbrunn situm est, aestimationis mille et quingentorum florenorum pretio composita 4 Maji clementissime rata habita est. Ceterum quum factis hucusque alienationibus de sumtibus ad aedificandas aedes academicas necessariis satis jam cautum fuisse videatur, res immobiles in posterum nonnisi Universitati minus utiles vel adeo molestas hastae subjiciendas easque non amplius praesenti pecunia sed imposito potius annuo vectigali seu certo canone emphyteutico esse alienandas.

Plurimum reverendus *D. Josephus* **Weber,** Physices Professor ac p. t. Rector Magnificus, die 23 Februarii ob infirmam valetudinem veniam impetravit, ut cum primum per anni tempestatem licuerit, relaxandi levandique animi causa ad parochiam suam Deininganam se conferret, ibique donec convaluerit remaneret.

Vigesimo secundo Aprilis *Serenissimus Dux et Elector* **Maximilianus Josephus** missis per illustrissimum *Comitem de Morawitzky* ad Senatum literis honorificentissimum nobis adferre nuncium dignatus est, quod Filius ejus dilectissimus *primogenitus* **Ludovicus** *serenissimus Princeps* propediem in hanc almam literarum Universitatem Ludovico-Maximilianeam esset adventurus, ut Album nostrum academicum insignissime ornaret. (Cf. Appendicem diplom. Nr. XIII.) Qui cum 6 Maji hora sexta pomeridiana, comitantibus

Ao. 1803.

Rectore Magnifico et quatuor Decanis, qui Mosburgum usque eidem obviarunt, moenia nostra inveheretur, communi omnium laetitia et ingenti gaudio exceptus est. Universitatis Professores Serenissimum ad scalas residentiae submississime valere jubebant; ac primo vesperi omnes Academici ab utroque urbis latere longam collucentibus facibus ducentes pompam Celsissimum Advenam tubis tympanisque accinentibus honorarunt, dum ex iis quatuor perillustres Deputati quadrigis advecti Principem nomine omnium commilitonum reverentissime salutarunt. Jam nona Maji Serenissimus Princeps hereditarius Professores auditionesque privatissime in aedibus suis coepit obire. Jussi sunt enim eundem docere *Maurus Magold* Mathematicam, *Fr. de Paula Schrank* Botanicam et Oeconomiam saltuariam, *Josephus Milbiller* Historiam et Statisticam, *Thaddaeus Gönner* jus Germanico-publicum, *Georgius Fessmaier* jus publicum Bavaricum. *Gönnero* praeterea, qui et Historiam imperialem tradidit, adeo publice auscultavit.

Vigesimo quinto Aprilis allatum est nobis decretum, quo serio commonentur Patres, ut *feriae vernales* in posterum non ultra quintum decimum diem, a Dominica nempe palmarum usque ad Dominicam in albis inclusive protrahantur. Studiosi, qui sunt indigenae, si non statim ab initio semestris collegia sua frequentaverint, sciant se oportere eo diutius in eodem cursu remanere nec prius quam adimpleto legitimo tempore absolutorium posse impetrare. Professores autem praelectionum suarum et principium et finem suo quisque Decano indicabunt, Decanus hujus indicii veritatem testatus pagellam sua manu subscriptam Rectori transmittet, qui quovis semestri cuncta ejusmodi testimonia intimo Electorali a rebus ecclesiasticis Ministerio insinuabit.

Pridie Calendas Maji transmissum nobis est clementissimum rescriptum, quo de publico eorum librorum providetur usu, qui ex bibliothecis suppressorum in Bavaria monasteriorum congesti sunt. Mandatur autem, ut de quocunque libro pretiosiori unum exemplar pro bibliotheca Electorali aulica, alterum pro Universitate *Ludovico-Maximilianea;* tertium, quartum, quintum, si suppeditant, pro bibliothecis provincialibus Neoburgensi, Ambergensi, Straubingana seligatur. Fusioris hujus decreti copiam in Part. V. Appendice Nr. VIII. curavimus exhiberi.

Ao.
1803. Parochia *Pondorf* pridie a. Cal. Junii per obitum *Max. Jos. Reizer* vacua ad praesentationem Senatus academici 14 Junii collata est pl. reverendo P. Dominicano *Bartholomaeo Wimmer,* ejusdem parochiae olim Vicario.

Decimo Junii a Generali studiorum Directorio Monacensi Index eorum studiosorum Universitati communicatum est, qui priori semestri h. a. ob inhabilitatem aut inertiam aut morum pravitatem e patriis scholis dimissi vel relegati sunt, ne scilicet hujusmodi rejecti discipuli Universitatem adire ibique assumti saluberrima praecepta disciplinae ad irritum possent redigere. Fuerunt autem dimissi e Lyceo Monacensi octo et ex Gymnasio ibidem octodecim; e Gymnasio et Lyceo Frisingensi decem, ex hujate Gymnasio Landishutano quinque, e Straubingano unus, e scholis Neoburgensi et Ambergensi nemo.

Quum Aesthetices Professor saepius conquereretur, quod sibi necessaria ad praelectiones suas de artibus effectivis subsidia fere omnino deessent, Serenissimus Elector adnuit, ut magna imaginum per aeneas laminas expressarum collectio quatuordecim millibus foliorum comprehensa, quam *Fr. Leopoldus Ruedorfer,* supremus Electoralis Rationarius et calculorum Revisor Monacensis, publice proscripserat venalem, decies mille florenorum pretio ex aerario Universitatis emeretur, ita tamen ut solutis centesimis quaternis in singulos annos usuris, ipsa summa aeris alieni suo demum tempore certis pensionibus redderetur. Decretum istud d. 14 Januarii infra in Appendice Constitt. Nr. X typis exscriptum legitur. Syngrapha Universitatis legitime exarata data fuit 23 Januarii. Ejus autem summae quadrantes duo (quinque millia florenorum) soluti sunt venditori 16 Januarii 1804, tertius quadrans seu duo millia et quingenti 16 Julii ejusdem anni, reliqua pars 16 Januarii 1805.

Similiter ad propositionem plurimum reverendi Consiliarii ecclesiastici *Fr. de Paula Schrank* Serenissimus Elector datis 8 Februarii literis non solum ratum esse voluit et decrevit, ut fossilium thesaurus, quem doctissimus *Augustinus Bertele,* Medic. & Chirurg. D.r et Prof. suis sibi sumtibus comparaverat, bis mille florenorum pretio et eo quidem quaternis annuis quingentorum florenorum pensionibus persolvendo in usus academicos ab Uni-

Ao. 1803.

versitate emerctur, verum etiam promisit, se clementissime curaturum, ut ex aliis ejus generis collectionibus et a metallorum praefecturus data occasione exemplaria quae desunt suppleantur.

Ex speciali mandato Serenissimi dd. 6 Junii generale Electoratus Directorium viginti duo molarum aliarumque machinarum proplasmata Instituto cameralistico sic dicto (quod nempe in tradenda Oeconomia publica versatur) et ea quidem gratis, sumtibus tamen pro vectura Universitati injunctis, in usum demonstrationis Monachio Landishutum curavit deportari.

His autem acquisitionibus quaestum longe majorem multoque pretiosiorem Universitas nostra fecit ex bibliothecis suppressorum per Bavariam Capitulorum cathedralium ac monasteriorum. Ut enim missis ceteris de una urbe *Passaviensi* dicam, quantus librorum ibi thesaurus adservaretur, sufficiat nonnulla ex autographa, quam plurimum reverendus *Paulus Hupfauerus,* Ex-Abbas Beuersbergensis utpote Electoralis Commissarius illinc die 5 Septembris ad Serenissimum Elcctorem miserat, epistola referre. Capucinorum quidem, ait, et Franciscanorum bibliothecae Passavienses haud multa alia pretiosa nisi antiquiorum Theologorum opera, praesertim singulares aliquot SS. Patrum editiones continebant. Atvero cathedralis ibidem bibliotheca ingentem recondidit multitudinem operum classicorum quos dicimus Scriptorum cum Variorum notis Antverpiae, Amstelodami, Lutetiis Batavorum, Bruxellis &c. in forma maxima, quartanaria, octonaria, atque etiam in usum Delphini editorum. Librorum autem Gallicarum, Italicarum, Hispanicarum et Anglicarum editionum tantus fuit numerus, ut vix ullam alibi bibliothecam inveneris, quae tot auctorum alienigenarum et eos quidem in sua cujusque lingua libros continere videatur. Historicarum item literarum studiis largissime prospectum permultis praecipue commentariis, qui gallice „Memoires“ audiunt, cujus generis scriptiones perexiguas tantum eo tempore habuit Universitas nostra. Theologia porro, maxime jus canonicum, scilicet ut episcopalem sedem decuit, sed etiam Archaeologia, sacrarum scripturarum Exegesis et Jus publicum copiosissimis subsidiis abundavit. Imo adeo philosophicorum, mathematicorum, physicalium et eorum, qui medicam artem tractant, operum etsi non aeque magna erat copia, tamen in his quoque disciplinis tot atque tam eximia repe-

Ao.
1803. rimus, ut eorum multa in bibliothecis sex et triginta hucusque visitatis et excussis vix suppeditarent. Qui libri omnes in duabus illic amplissimis aulis et sex conclavibus asservati sunt. Et licet aulica Electoralis bibliotheca Monacensis pro sua optionis praecedentia permagnam praestantissimorum librorum partem sibi sumserit, tamen etiam pro Universitatis bibliotheca supra quatuor millia delecta sunt.

Octavo Septembris *Serenissimus* **D. Carolus, Princeps haereditarius de Hohenzollern-Sigmaringen,** almae hujati Academiae, quam per integrum biennium frequentavit, ultimum vale dixit. Abeuntem plures Academici perillustres aliquantum itineris prosecuti sunt comites.

Die vigesimo quarto ejusdem mensis etiam *Serenissimus* D. LUDOVICUS, **Electoralis Bavariae Princeps hereditarius** urbem et Academiam Landishutanam, reliquit. Jam vesperum pridie ejus diei Magistratus civicus solennissime celebravit. Inde enim a quatuor urbis portis Musici tubis et tympanis concinentes adveniunt, longo taediferorum agmine deducti. Ad Principis aedes consistunt varios modos musicos hora amplius canentes. E regione autem residentiae magnifica porta triumphalis erecta fuit collucentibus per urbem facibus illustrata. Ipsa vero profectionis die Grenadarii civici cum pompa militari adstiterunt in armis, omnes autem Professores Serenissimum salutandi causa in atrio convenerunt, et descedentem per gradus comitati sunt ad currum, qui dilectissimum nobis Principem hora septima matutina tonantibus de monte aulico tormentis et pulsatis omnibus de turribus campanis subduxit. Rectore Magnifico ob causam valetudinis absente clarissimus *Thaddaeus Gönner* tunc temporis Prorector Erdingam usque praecurrerat, Serenissimum ibi iterum valedicturus.

Praenobilis ac doctissimus *Fr. Xaverius* **Krüll,** ex anno 1799 in juridica Facultate hucusque extraordinarius, ob eximia doctrinae suae merita scriptis etiam libris contestata per celsissimum Electorale rescriptum dd. 24 Septembris publicus ordinarius jurium Professor additis ducentis annuo suo salario florenis clementissime designatus, eique filiam perillustris *L. B. de Rehlingen* in matrimonium ducendi licentia data est.

Ao. 1803.

Reverendissimus *D. Paulus* **Hupfauer**, Canonicorum regularium antehac Praepositus Beuersbergensis, qui sublatis hoc anno tam suo coenobio quam ceteris per Bavariam Capitulis ac Monasteriis Serenissimo Electori ultro et gratuito operam suam obtulit, Universitati restituitur et ex celsissimo decreto 26 Septembris Historiae literariae Professor honoris causa iterum clementissime designatur, simulque Bibliothecae academicae denuo praeficitur, in quo officio cum indefessa industria usque laboravit et inprimis illud Serenissimi mandatum, ut ex sublatorum monasteriorum bibliothecis nuperrime evacuatis idonea quaeque pro Universitate seligerentur opera, omni quae sui singularis ingenii fuit diligentia et dexteritate exsecutus est.

Maximilianus Josephus Stöger, Ratisbonensis, qui jam superiori anno exspectativam privatim legendi veniam impetraverat, si prius praestanda praestitisset, tertio Novembris a Facultate philosophica doctoratum petiit. Cum autem in tentamine rigoroso Examinatoribus minus esset probatus, spem infinitam ulterius persequi noluit et proposito suo ultro mutato aliam vitae rationem instituit. Etenim antiquorum librorum haud mediocriter peritus in coëmendis et vendendis libris potissimum versatus modicum sibi comparavit victum ac postremo Monachii ad supremam senectutem provectus aetatis anno nonagesimo diem obiit supremum.

Postremo plurimum reverendus *Laurentius* **Kappler**, Philos. et Theologiae D[r] ac per triennium in hac alma literarum Universitate Paedagogices primum extraordinarius dein ordinarius Professor sub finem hujus anni Serenissimi Electoris *Consiliarius scholasticus* in Bavaria inferiori clementissime designatus est; quo munere strenue functus Landishuti 6 Julii 1818 aetatis anno vix quinquagesimo tertio e vita discessit.

Reliquum est texere Catalogum librorum, quos VV. DD. Professores hoc anno ediderunt:

in Facult. *theologica:*

Michael **Sailer**, Vertraute Reden zunächst an Jünglinge auf Universitäten, II Tomi. Monach. 8.

Patric. **Zimmer**, Theologiae christianae specialis et theoreticae P. II: De Deo Creatore, Aug. Vindel. 8.

Ao.
1803. in Fac. *juridica:*

Jo. Ge. **Fessmaier,** Grundlinien zum Staatsrechte von Bayern, Landish. 8.

Thadd. **Gönner,** Auserlesene Rechtsfälle, T. II. Ldsh. 8; — Ueber die Frage, inwiefern Zunft- und Gewerbssachen Justizsachen seyen, ib. 8; — Staatsrechtliches Verhältniss der adelichen Gutsbesitzer in den churbayerischen Entschädigungslanden (sine loco typogr. 8.); — Ueber die Cultur und Vertheilung der Gemeindeweiden in rechtlicher und staatswirthschaftlicher Beziehung, Landish. 8.

Fr. Xav. **Krüll,** Prüfung einzelner Theile des bürgerlichen Rechts, T. II. Landish. 8.

Fr. Xav. **de Moshamm,** Einleitung in das gemeine und bayersche Wechselrecht, Edit. II. Ratisbon. 8.

Joseph. **Stürzer,** Ueber den Zustand des Criminalwesens in Deutschland, Landish. 8.

in Fac. *medica:*

Augustin. **Bertele,** Versuch einer Lebensunterhaltungskunde, Landish. 8.

Andr. **Röschlaub,** Untersuchungen über den Nutzen einer wohleingerichteten medizinisch-klinischen Schule, Landish.; — Die Afteranwendung des neuesten Systems der Philosophie auf die Medizin, ibid. 8.

Jos. Ant. **Schmidtmüller,** Einige pyrometrische Versuche, edit. in Gilberti „Annalen der Physik" ad a. 1803. P. II. 3; — Ueber die Enthauptung und das Bewusstseyn nach derselben, ed. in Hartenkeilii „Medizinisch-chirurgische Zeitung, Salisburg. T. IV.

in Fac. *philosophica:*

Maurus **Magold,** Lehrbuch der Elementar-Geometrie und Trigonometrie, Landish. 8.

Joseph. **Milbiller,** Grundriss akadem. Vorlesungen über die Geschichte der deutschen Nation &c. Mon. 8.

Ao.

Fr. de Paula **Schrank**, Fauna Boica T. III. Sect. 2. Landish.; — Grundriss einer Naturgeschichte der Pflanzen, Erlang. 8. 1803.

Jos. **Socher**, Ueber Vertheilung der Pfarreien und Besoldung der Geistlichen in Bayern, Monach. 8.

ANNO DOMINI MDCCCIV.

Ao.

Rector DLIV: **Josephus** SOCHER, Philos. et Theol. Dr, Serenissimi Elect. Consiliarius ecclesiasticus actualis, Philosophiae et Historiae philos.-literariae Professor p. o. nec non Parochus Kelhemiensis. 1804.

Nov. Inscripti 251.

Illustres:

Clemens Wenzeslaus **L. B. de Linker**, Ratisbonensis; Jurium Cand.

Maximilianus **L. B. de Dio**, Marisburgensis Suevus; Jur. C.

Josephus **L. B. de Rassler**, Gannerschwangensis Suevus; Logices Studiosus.

Josephus **L. B. de Weinbach**, Ambergensis Palatinus; Jur. Cand.

Carolus **L. B. de Haakl**, Neoburgensis Neo-Palatinus; Jur. C.

Josephus **L. B. de Taenzl**, Oberbechinganus Bojus; Jur. C.

Carolus **L. B. de Closen**, Bipontinus; Jur. C.

Henricus **Comes de Starhemberg**, Vindobonensis Austriacus; Jur. C.

Carolus **Comes de Tattenbach**, Vindobonensis Austriacus; Cameral. Cand.

Carolus Augustus **L. B. de Cetto**, Bipontinus; Jur. Cand.

Ao.
1804. *Maximilianus* **Comes de Tauffkirchen,** Landishutanus Bav.; Jur. C.
Philippus **Comes de Lerchenfeld,** Monacensis; Jur. C.

Nov. Profess. *Paulus Joannes Anselmus* **Feuerbach,** Jurium Professor antehac Kielensis, nunc communis juris civilis et criminalis in hujate Academia Prof. p. o.
Carolus Sebastianus **de Hellersberg,** supremi Electoralis Directorii Monacensis aliquamdiu Consiliarius, nunc iterum Jurium Prof. p. o.
Philippus Franciscus **Walther,** Professor et Consiliarius medicus Bambergensis, nunc in hujate medica Sectione Physiologiae Prof. p. o.
Joannes Baptista **Graser,** Eltmannensis Suevus; Paedagogices Prof. p. o.
Simon **Klotz,** Manhemiensis; Aesthetices et effectivarum Artium Prof. p. o.
Carolus Felix **Seyffer,** ex Academia Göttingana in almam nostram evocatus Physices et Matheseos Prof. p. o.
Carolus Guilielmus Fridericus **Breyer;** Jenensis antehac, nunc apud nos Historiae et Statisticae Prof. p. o.
Joannes Antonius **Schmidtmüller,** hucusque Prosector anatom. et Medicinae D^r^ legens, jam vero ejusdem Prof. extraordinarius.

Priv. Docent. *Francisc. Xav. Florianus* **Atzenberger,** Straubinganus Boj.; Theologiae D^r^ legens.
Guilielmus **Butte,** Treysanus Hassus; Oeconomiae publicae D^r^ legens.

Novi DD^rr^ 26 Junii *Frider. Mich. Ebenbeck,* Dietenkofiensis Bojus } *Jur.*
12 Sept. *Jo. Bapt. Nibler,* Neoforensis Palatin. }

Praeter supra laudatos, qui Albo nostro hoc anno nomina dederunt, commemorari etiam merentur: *Jacobus Klar,* Fürsten-

Ao.
1804.

feldbruckensis Bojus, Jurium Candidatus, postea Ordinis meritorii Coron. Bavar. Eques et summus Monachii metropolis vir consularis; *Ludovicus Wirschinger,* Ratisbonensis, Juris utriusque Candidatus, post Ordinis merit. civil. Coron. Bavar. Eques &c., summus regnis a Justitia Minister; *Herenaeus Haid,* Molitoris filius Geissenfeldensis Bojus, Theologiae Candidatus, postea de re sacra homiletica Scriptor meritissimus, libere resignans Decanus et Parochus Pondorfiensis, Archiepiscopi Monaco-Frisingensis Consiliarius ecclesiasticus &c.; *Maurus Harter,* Aichacensis Bojus, O. S. B. Schyrensis professus, Philosophiae ac Theologiae Repetitor, non ita multo post Bibliothecarius noster in his Annalibus saepius laudandus; *Jo. Evang. Paintner,* cauponis filius, Pingendorfensis Bavarus, Philos. Candid., posthac regius Professor gymnasialis Monachii, dein Seminarii Studiosorum ibidem ac denique Parochus urbanus in Mosburg; *Josephus Scheill,* agricolae filius Schnaizelreuthensis Bav., Philosophiae Cand., sequiori tempore S. Theol. Dr et Capellanus in suburbio Augia prope Monachium, inde in Lyceo regio Hosiano Brunsbergensi Borussiae orientalis Theologiae pastoralis Professor publ. et in Seminario clericorum dioecesano Varmiensi Regens, Protonotarius apostolicus; *Daniel Gustav. Bezold,* Medicinae Doctoris filius Rothenburgensis, Jurium Cand., post Regis Bav. a Consiliis intimis, Ordinis merit. Coron. Bav. Eques, Ord. S. Michaëlis aliorumque complurium, Ordinum Commendator &c.

Quod clarissimo *Antonio* **Willio,** primario artis veterinariae Professori Monacensi per multos abhinc annos ex fundo academico solutum est quotannis mille florenorum stipendium vi clementissimi decreti dd. 4 Januarii ex centrali publico aerario in posterum praestabitur.

Vigesimo sexto Januarii celsissimum decretum emanavit, quod inscribitur: *„Revision der Organisation der churfürstl. Baierischen Ludwig-Maximilians-Universität Landshut“.* Quo rescripto Universitatis rationes magnopere immutatae ac prope de integro ordinatae sunt. Ex hoc enim tempore adeo nomen „Facultas“ esse desiit, et omnes literarum disciplinae duabus classibus, generalium nempe et specialium studiorum complectuntur, quarum utraque classis rursus quatuor sectiones, et classis quidem gene-

Ao.
1804. ralis sectionem philosophicam (proprie sic dictam), mathematicam et physicam, historicam et philologicam; specialis autem classis sectionem theologicam, juridicam, publico-oeconomicam et medicam continebit. Cuilibet sectioni unus praeficitur, cui in posterum nomen „Director", Decani scilicet nomine demto. Fusiorem hujus ordinationis copiam videsis infra in Constitt. Append. Nr. XVII. Porro novus Statutorum academicorum codex, c. t. *„Akademische Gesetze"* Studiosis omnibus in Aula congregatis praesentibus cunctis item Professoribus promulgatus est, qua data occasione plurimum reverendus *Josephus* **Socher** h. a. Rector Magnificus orationem habuit *„Ueber den Zeitgeist"*. Codicem illum infra sub Nr. XVIII. curavimus describendum.

Praenobilis ac clarissimus *Nicolaus Thaddaeus* **Gönner,** quo potissimum auctore Universitas ab avita sua sede mota Landishutum fuerat translata, ex eo tempore longius indies honore et auctoritate processit, quum praesertim tum jam non solum ore atque calamo eximiam sibi doctrinae laudem peperisset, verum etiam serenissimi Ludovici Principis Electoralis haereditarii, cui jus publicum et historiam imperialem tradidit, quotidiana quasi consuetudine uteretur adeoque a Summa S. R. I. Deputatione Ratisbonensi et ab intimo Electorali Consilio Monacensi in consulendis fere omnibus rebus gravioribus de sua sententia rogaretur. Quo factum est, ut idem, cui jam superiori anno Procancellariatus partes provisorio modo creditae sunt, hoc ipso anno *perpetuus* scilicet ad revocationem usque almae Universitatis Ludovico-Maximilianeae **Procancellarius** a Serenissimo Electore constitueretur.

Vigesimo quarto Januarii clarissimus *Paulus Joannes Anselmus* **Feuerbach,** Philos. et utriusque Juris D.r, ob eximiam suam jurisperitiam a Serenissimo nostro Consiliarius aulicus actualis ac Juris civilis et criminalis Professor p. o. in hac alma literarum Universitate designatus est assignato eidem annuo mille octingentorum florenorum ac modio uno tritici et quatuor secalis modiis salario, praeterea impertita sibi et familiae suae civitate, immunique rerum familiarium importu et mille florenorum pro itinere impensis. Is Advocati filius, Francofurti ad Moenum 14 Novembris 1775 natus, absolutis in urbe patria studiis gymnasialibus in inclyta Jenensi Universitate egregiam Philosophiae et Juris-

Ao. 1804.

prudentiae operam impendit, ibique anno 1799 extraordinarius jurium Professor designatus perorata oratione inaugurali *„De causis mitigandi ex capite impeditae libertatis“* publicis eodem anno typis edita solemne praelectionum suarum initium fecit. Anno jam proxime futuro in Ordinariorum quidem Professorum numerum receptus tamen brevi post ad Academiam Kieliensem invitatus illuc se contulit, usque dum hoc ipso anno nostram Landishutanam Universitatem coepit illustrare. Verum multis etiam antequam ad nos pervenerat, libris praestantissimis Jurisconsultorum oculos in se convertit. Scripserat enim *„Ueber die einzig möglichen Beweisgründe gegen das Daseyn und die Gültigkeit der natürlichen Rechte“*, Lips. 1795; *„Kritik des natürlichen Rechts“*, Alton. 1796; *Anti-Habbes oder Ueber die Grenzen der höchsten Gewalt*, T. I. cum tab. aenea, Giess. 1798; *„Philosophisch-juristische Untersuchung über das Verbrechen des Hochverraths“*, Erford. 1798; *„Ueber die Strafe als Sicherungsmittel vor künftigen Beleidigungen des Verbrechers“*, Giessae 1800; *„Lehrbuch des gemeinen in Deutschland gültigen peinlichen Rechts“*, ibid. 1801, qui liber sequiori tempore decies bis recusus est; *„Civilistische Versuche“*, P. I, ib. 1803; praeterea fuit socius et administer operis *„Bibliothek für die peinliche Rechtswissenschaft und Gesetzkunde“*, quae bibliotheca Gissae 1797—1804 tribus tomis prodiit.

Eodem die 24 Januarii doctissimus *Joannes Baptista* **Graser**, S. Theol. Lic. et Philos. D^r^, de doctrina aeque ac moribus egregie commendatus, ex clementissimo Electorali decreto in hac alma literarum Universitate Paedagogicae Professor p. o. cum annuo salario mille florenorum designatus est. Is patre rustico Eltmanni, pago quodam prope Herbipolim, mense Julio 1768 natus, exantlatis Bambergae studiis humanioribus 7 Septembris 1786 summos in Philosophia honores et quadriennio post in seminario Clericorum Wirceburgensi etiam theologici Licentiatus gradum capessivit. Deinde Salisburgum evocatus a celsissimo ibi Principe et Archiepiscopo Paedagogio aulico et Collegio Virgiliano praefectus est, quo tamen munere non ita multo post se abdicavit et in patriam rediit vitam degens privatam, donec cathedram academicam suscepit.

Hoc anno praenobilis *Josephus* **Stürzer**, Juris utr. D^r^ et Professor extraordinarius a nobis discessit. Is enim ex clemen-

Ao.
1804. tissimo dd. 6 Februarii Consiliarius judicii aulici Bambergensis cum stipendio normali mille ducentorum florenorum et solita frumenti additione, proximo deinde anno Serenissimi Electoris a supremis Consiliis justitiae in Franconia, triennio autem post summi regii Monacensis provocationum Judicii (k. Oberappellationsgerichts-) Consiliarius designatus est. Sed tantum abfuit, ut muneris docendi studium et amorem inter tantos labores unquam abjiceret, ut data demum multis post annis occasione cathedram academicam illico rursus ascenderet.

Per celsissimum decretum dd. 7 Martii plurimum reverendus *Franciscus Xaverius* **Lechner,** Collegii clericorum Georgiani hucusque Regens, ad parochiam Burghusianam dioeceseos Passaviensis promotus et, postquam illius ecclesiae per annos tres et quadraginta meritissimus rector et regionarius scholarum Inspector, ab anno autem 1818 etiam semel atque iterum in secundam seu inferiorem Statuum regni Bavarici Curiam delectus fuerat, postremo ao. 1848 in Capella quae dicitur antiqua Ratisbonensi receptus est, ibique 26 Februarii 1849 aetatis anno septuagesimo quinto animam posuit. *Lechnero* ad parochiam abeunti ab amplissimo Philosophorum ordine, ut usus ferebat, reverendus *Andr.* **Buchner,** Altheimensis Bojus 23 Nov. 1776 natus, primarius Landishuti in ecclesia ad S. Martinum Cappellanus decimo septimo Martii Seminarii Georgiani Regens sufficitur. Quae tamen electio, quum Serenissimus cum Georgiano collegio Bartholomaeum quoque clericorum Seminarium uniri, Sibique jus instituendi Directorem reservari statuisset, ex decreto dd. 24 ejusdem mensis tamquam praepropera irritata est. *Buchnerus* igitur sedecimo Octobris cum annuo septingentorum florenorum salario Philosophiae Professor primum Ambergam missus, mox inde per recentius decretum de 14 Decembris Dilingam translatus est. Interea clarissimus D.r *Antonius* **Michl,** Juris ecclesiastici et Historiae sacrae Professor vicario modo Georgiano praefectus, die vero 18 Junii plurimum reverendus *Mathias* **Fingerlos** ejusdem Collegii Director clementissime designatus est. Fuit is Flatschachii in Lungavia Salisburgensi 6 Septembris 1748 natus moxque a suscepto sacro sacerdotio pluribus passim locis curam animarum exercuit, deinde duodecim integris annis Seminarii Alumnorum Salipolitani Regens necnon

Ao. 1804.

Serenissimi ibi Principis et Archiepiscopi Consiliarius ecclesiasticus, novissime autem Parochus in urbe Mühldorf et ecclesiae ibidem collegiatae Decanus fuit; vir utique multae quidem eruditionis sed famoso illo bipartito libello, cui titulus: *„Wozu sind Geistliche da?“* Salisburgi 1801 suis sumtibus evulgato jam multis clericis aeque ac laicis minus probatus.

Decimo tertio Februarii hora 2 matutina *Balthas. Kirschhofer* Parochus urbanus *Landaviensis* anno aetatis septuagesimo primo diem obiit supremum. Huic a Serenissimo Electore salvo jure Universitatis, utpote cui ex antiquissimo tempore jus nominationis competit (cf. Annales Acad. Ingolst. P. IV. p. 31 sq.) die 23 Martii successor datus est plurimum reverendus *Nerb*, Concionator aulicus et Ecclesiae collegiatae Oettinganae nunc suppressae Canonicus.

Decimo quinto Martii religiosissimus *P. Maurus* **Harter,** Ex-Benedictinus Schyrensis, duobus tunc temporis Bibliothecariis academicis *Hupfauero* et *Drexelio* tanquam scriptor amanuensis additus est. Erat autem vir iste, postmodo de bibliotheca nostra tam egregie meritus, sartoris filius Aichacensis Bojus 4 Aprilis 1777 natus et in S. baptismo Aloysii nomine inditus. Novemdecim autem annorum adolescens in monasterio Ordinis S. Benedicti Schyrensi receptus atque inde Maurus nominatus 13 Maji 1798 sacra vota emisit, et triennio post etiam presbyter ordinatus, coenobii bibliothecario, utpote infirmo ac persaepe aegrotanti viro, coadjutor ad sublevandum datus est. Jam vero eo ipso tempore, quo totus in eo erat occupatus, ut bibliothecam sexies mille tomos continentem accuratius describeret et in ordinem dirigeret, monasteria per Bavariam suppressa et Delecti ad seligendos undique ex illorum bibliothecis libros emissi sunt. Fuerunt autem ad hoc negotium deputati Hupfauerus quoque et Drexelius. Qui quum venissent Schyram, et eruditionem sollertiamque Mauri cognovissent, juvenem monachum secum duxerunt Landishutum, brevique comprobata ejus singulari industria effecerunt, ut ei Scriptoris officium, non ita multo post etiam Custodia bibliothecae academicae deferretur.

Pridie Calendas Aprilis plurimum reverendo *Atzenberger,* Salisburgensi olim Professori p. o., ut theologicas pro lubito tra-

Ao.
1804. deret disciplinas concessum est. Fuit autem *Fr. Xav. Florianus* **Atzenberger** Advocati filius Straubinganus Bojus, natus 2 Decembris 1766. Humanioribus et theologicis studiis partim Straubingae partim Salipoli probe eruditus et gradu illic Baccalaureatus insignitus in monasterium O. S. B. Oberaltacense receptus tertio Februarii 1788 solemnia ibidem vota edixit, et 18 Decembris 1790 Ratisbonae sacro sacerdotio initiatus est. Anno autem 1796 a reverendissimo Beda Abbate iterum Salisburgum missus ediscendis orientalibus potissimum linguis operam dedit, et proximo inde anno ad suos reversus et Professor domesticus institutus varias deinceps Philosophiae ac Theologiae tradidit disciplinas et nonnullas etiam commentatiunculas evulgavit, quae Straubingae typis Lernoanis in 8. prodierunt s. t. *„Materia ad disputandum exposita ex linguis orientalibus“*, 1798; *„Materia tentaminis e lingua hebraica“*, 1799; *„Materia tentaminis ex philosophiae elementis“*, 1799; *„Ueber den Begriff der Theologie“*, 1801. Eo autem ipso anno et medio quidem Octobri mense a celsissimo Principe Archiepiscopo Salisburgensi invitatus recepto illic Doctoris philosophiae gradu Logicam et Metaphysicam publice coepit docere et postero anno summis quoque S. Theologiae honoribus decoratus Exegeseos et Hermeneuticae Professor p. o. ac simul Consiliarius ecclesiasticus designatus est. Mense vero Septembri 1803, quum suppressis paulo ante in Bavaria monasteriis sua quoque abbatia Oberaltacensis fuisset dissoluta, publico docendi munere se abdicavit, et in patriam redux Landishuti vitam aliquamdiu degebat privatam. Ibi igitur ex clementissimo Electorali decreto theologicas pro lubito disciplinas sed eas nonnisi privatim tradendi veniam impetravit.

Eodem die ultimo Martii praenobilis *Simon* **Klotz**, Manhemii 1777 natus, qui in pictorum schola Monacensi duce potissimum celeberrimo *Dornero* artem suam edoctus brevi haud mediocrem sibi peperit famam, Aesthetices et artium effectivarum Professor publicus institutus, eique quod petiit, ut durante proximo semestri artis et antiquitatis lustrandae causa in Galliam Italiamque iter institueret, permissum est. Quem in finem a Calendis Aprilibus dimidium salarii, trecentos nempe florenos, ex aerario Universitatis in antecessum datos, ex iis autem, quae pro

Ao. 1804.

suscipiendis in rei publicae commodum itineribus suppeditabunt pecuniis sexcentos accepit florenos. Quo in itinere is non exiguas antiquitates, statuas et imagines tum marmore tum gypso formatas coëmit, quas in novem cistis reconditas jussu Electorali clarissimus *D. Dillis,* pinacothecae Monacensis Inspector Landishutum deportavit et in singulari, qua res antiqui operis continentur, aula academica collocavit.

Ex clementissimo Electorali decreto d. 31 Martii sancitur, nequis ad speciale sive theologiae sive jurisprudentiae sive medicinae studium admittatur, antequam generales philosophiae disciplinas rite absolverit. Ceterum non esse necesse, ut pro more hucusque solito summos in Theologia honores nemo possit recipere, quin prius philosophici magisterii gradu fuerit insignitus. Quod autem ad Senatorum praesentiam in hujusmodi actibus attinet, id quod jam dudum statutum est, maneat usque, ut qui non intersit solemnitati nec quidquam inde recipiat emolumenti.

Eodem die ac mense rescribitur, testimonia Studiosorum pro absolutorio necessaria non a Doctoribus privatim legentibus sed ab actualibus et publicis duntaxat sive ordinariis sive extraordinariis Professoribus valide posse deponi; nisi forte, ut ex sequiori decreto dd. 24 Decembris innotuit, Doctor privatim legens Candidatum praesente aliquo ejusdem Facultatis sive Sectionis ordinario Professore examinaverit, et ambo subscripserint testimonium.

Praenobilis ac doctissimus *Jo. Antonius* **Schmidtmüller,** hucusque privatim docens, commendante amplissimo Medicorum Ordine per celsissimum decretum Electorale dd. 16 Aprilis Medicinae Professor extraordinarius institutus, et perorata lucubratione: *„Was ist die Wärme dem Organismus?“,* quam typis edidit Landishuti in 8., praelectiones suas exorsus est.

Mense Majo gravissimus *tumultus Academicos inter et milites* exortus est. Jam diu sub cinere latebat ignis, mutua nutritus altercatione et lascivia; decimo denique ejus mensis die in deversorio quodam inter crebres potationes res venit ad manus. Milites arma arripiunt, in Studiosos irruunt, inermes fustibus adeoque strictis gladiis petunt, caedunt, vulnerant. Quidam medicinae Candidatus, naso mutilatus e conflictu asportatur. Utra-

Ao.
1804. que pars dimicantium accurrentibus undique sociis brevi suppetias accipit, jam jamque atrocior fit pugna; universa mox civitas impletur et excitatur tumultu. Adeo advolanti Rectori Magnifico simul et militari Praefecto, qui cum vitae periculo medios inter pugnantes sese conjiciunt, vix contigit, ut dimicationes sedarent et quietem tandem reducerent. Ab utraque parte, quae facta sunt, cito equite nuntiatur Monachium. Interea simultas et discidium utrinque manet alta mente repostum, donec ira repressa die tertio denuo exardescit, cum miles quidam Academicum, qui in maceria horti sedens libri quem secum habuit paginas attente percurrit, ex insidiis oprimeret, et ejus manum ictu gladii percuteret, ut ex omnibus digitis sanguis proflueret vehementer. Quo facto protinus quasi dato signo recens oboritur pugna. Academici autem Rectoris cito advenientis dicto statim audientes a conflictu quidem desistunt, sed plerique ex urbe, cum non satis ibi tuti viderentur esse, in loca circumjecta decesserunt exspectantes promissam sibi a Senatu tutelam. Postridie primo mane quatuor Professores Thaddaeus *Gönner,* Leonardus *Reiner,* Andreas *Röschlaub* et Anselmus *Feuerbach* a Senatu deputati Monachium profecti sunt; alii duo Joannes *Graser* et Augustinus *Bertele* loca Viecht, Ast, Kronwinkl, alia urbi vicina, quo Studiosi dimigrasse ferebantur, obierunt, monentes et praecaventes, ne causam renovati jurgii darent. Altero jam die missis data opera a Serenissimo literis milites, qui in statione Landishutana hucusque fuere, urbe hujate sine mora decedere et Ingolstadium abire jussi sunt. Utrobique deinde judices quaesitores civiles aeque ac militares constituti, qui rem accurate inquirerent, et causa cognita sententias proferrent. Ceterum mutato stativo urbis nostrae praesidio et reductis eodem die Academicis mentes brevi resederunt. Medicinae Candidato, qui misere mutilatus fuit, annua ex aerario militari pensio ad dies vitae assignata est.

Perillustris *Carolus Felix* **Seyffer** ob insignia de disciplinis mathematicis merita a Serenissimo die 14 Maji Consiliarius Electoralis actualis et Physices ac Matheseos Professor p. o. cum annuo mille et quingentorum florenorum stipendio solitaque additione frumentaria florenis centum aequiparanda designatus est, impetrata insuper pro se suisque in omnibus provinciis Bavariae here-

Ao. 1804.

ditariis civitate immunique in Specula astronomica habitatione et libera supellectilis importatione, quingentis denique florenis pro expensa itineraria assignatis. Fuit is Bixfeldi in Suevia 25 Januarii 1762 natus, studiisque in Academia Tubingensi absolutis ad summos in philosophia honores promotus, deinde a 1789 per annos quindecim Gottingae Professor tum lectionibus tum etiam scriptis clarus.

Cum viri praenobiles ac spectatissimi *Joannes Georgius* **Fessmaierus** Jurium Professor p. o. et *Carolus Heller* **de Hellersberg** summi Directorii Consiliarius Monacensis a Serenissimo Electore impetrassent, ut munera sua sibi invicem liceret commutare, *Fessmaierus* Monachium abiit ibique postremo regii Ministerii aerarialis Consiliarius 27 Martii 1828 aetatis anno quinquagesimo secundo vitae terminum attigit; Carolus autem *de Hellersberg* 13 Junii h. a. illius cathedram in hujate Academia cum annuo mille et trecentorum florenorum salario suscepit. Idem etiam, dum Monachii suo munere fungebatur, nonnullas exaraverat commentationes, cujus generis sunt: *„Beiträge zur Wappengeschichte der Herzoge in Bayern“*, Monach. 8; *„Beiträge zur neueren Geschichte der Patrimonialgerichtsbarkeit in Bayern“*, ibid. 8; *„Natürliches Mittel, die Scharwerke in Bayern aufzuheben“*, ib. 1802. 8; *„Landschaftliche Bibliothek“*, in VI fascicc., ed. ib. 1800—1804. 8. Is vi recentioris decreti dd. 17 Augusti Universitatis Archivarius et Senator academicus designatus 31 Octobris deposito fidelitatis juramento in omnia ista munera solemniter immissus, ejusque salarium a proxime futuro anno quadringentis florenis clementissime auctum est.

Cum per saecularisationem territorium Principis et Episcopi Augustani Electori Bavarico obvenisset, et quae Dilingae eousque floruit literarum Universitas suppressa et in Lyceum commutata esset, clarissimus *Josephus* **Weber** Physices Professor et h. t. Prorector, id quod suppliciter ipse semel atque iterum sed incassum diu petiit, ut Dilingam rursus dimitteretur, tandem ex clementissimo rescripto impetravit, ac proinde salvis, quibus usque adhuc utebatur, honore, beneficio et annuo septingentorum florenorum stipendio Physicae Professor et Lycei Rector ibidem constitutus est. Crescente autem hujus pretiosissimi viri quotannis cum me-

Ao.
1804. ritis fama a Regia Majestate postea cruce equestri civilibus de patria meritis dicata insignitus atque die 2 Julii 1826 cathedralis ecclesiae Augustanae Decanus designatus est. Postremo etiam reverendissimi Episcopi Vicarius in spiritualibus generalis et regio Ordine Ludovici decoratus e vivis discessit 14 Februarii 1831, aetatis anno septuagesimo septimo. Memoria ejus benedicta in secula. Erat enim vir doctrinae maxime insignis pariter atque virtutis, editisque tanto numero partubus literariis illustris, ut mirum sit, quomodo ab uno homine tam multae tamque variae res potuerint emanare. Quorum omnium si catalogum vellem texere, Annalium nostrorum brevitatem longe essem excessurus. Recensentur autem in opere saepius allegato, qui inscribitur: *„Gelehrten- und Schriftsteller-Lexicon“* P. II (ed. *Waitzenegger,* Landishut. 1820. 8) p. 486—492.

Plurimum reverendus *Michaël* **Sailer** ad disciplinas, quas hucusque tradidit, etiam Paedagogicam docendam in posterum suscepit loco clarissimi *Joannis Baptistae* **Graser,** qui postquam in hac nostra Universitate vix septem mensibus publico docendi munere perfunctus erat, per novum Electorale decretum dd. 20 Augusti summus a rebus scholasticis in Franconia Commissarius designatus est, ibique abjecto coelibatu uxorem duxit, cumque ea vixit apostata, donec postremo a munere suo dimissus 28 Februarii 1841 diem obiit supremum aetatis anno septuagesimo tertio.

Celsissimo rescripto dd. 18 Septembris praenobilis et clarissimus Philos. Dr. *Carolus Guilielmus Fridericus* **Breyer,** Professor Jenensis, jure indigenae et titulo Electoralis Consiliarii aulici donatus redditisque pro itinere quingentorum florenorum sumtibus huc arcessitus et cum annuo mille et ducentorum florenorum stipendio Historiae universalis et Statisticae Professor p. o. designatus est. Fuit is parochi Augustanae confessionis filius, Heutingshemiensis Suevus, 29 Septembris 1771 natus; jamque ab anno 1800 inde in Universitate Jenensi Doctor legens et proximo abhinc elapso anno Historiarum Professor ordinarius non solum solidissima doctrina sed scriptis etiam libris egregie se orbi literario commendarat. Extat enim ex eo tempore „Dissertatio de justitia Aragonum“, Jenae 1800, qua succinctam hujus magistratus historiam ab ao. 1348 usque ad annum 1479 exponit, et

Ao.
liber in usum lectionum suarum accommodatus c. t. „*Grundriss* 1804.
der Universalgeschichte“ cujus P. I. Jenae 1802, P. II. Sect. I. ibid. 1804 prodiit.

Per clementissimum rescriptum d. 8 Octobris septem Professoribus salarium suum auctum est ita ut Thaddaeus *Gönner* quadringentos, Andreas *Röschlaub* ducentos quinquaginta, Michaël *Sailer* ducentos; Fr. Xaverius *Krüll* centum quinquaginta, Patricius *Zimmer,* Fr. de Paula *Schrank* et Antonius *Schmidtmüller* centenos reciperet florenos. Unde Gönnero bis mille et ducenti, Röschlaubio mille octingenti quinquaginta, Schrankio mille centum, Krüllio nongenti quinquaginta, Zimmero octingenti, Sailero septingenti, totidemque Schmidtmüllero floreni quotannis assignantur.

Proponente intima Electorali Universitatis Curatela praenobilis ac doctissimus *Augustus Fridericus Guilielmus* **Crome,** Kniephusanus, Professor Giessensis de eximiis ingenii animique dotibus et morum probitate egregie commendatus ex clementissimo decreto dd. 29 Octobris Consiliarius actualis et Statisticae Professor p. o. in sectione publico-oeconomica, quam cameralem nostrates vocant, cum annuo mille et octingentorum florenorum salario designatus est. Is autem cum in sede patria stipendio suo trecenti quotannis floreni adderentur, vocationem suam decentissime deprecatus in loco suo manere satius duxit, ibique Serenissimi Magno-Ducis Hassiae intimus Consiliarius et Senior Universitatis emeritus die 11 Julii 1833 demum vitae terminum attigit. Qua de recusatione vix certior factus praenobilis ac doctissimus *Guilielmus* **Butte,** Landgrafii Hassiae Consiliarius, missis ad serenissimum Electorem nostrum literis enixe petiit, ut illa cathedra *Cromeo* prius destinata jam sibi clementissime concederetur. Verum id quidem statim non impetravit, tamen per rescriptum dd. 22 Decembris benignissime invitatus, eique pro annua sexcentorum florenorum remuneratione easdem privatim tradendi disciplinas venia data est. Quodsi de doctrina sua se satis commendaverit, certo eum posse confidere, fore ut brevi tempore in salarium ordinarii Professoris succedat. Hac promissione contentus *Guilielmus Butte* proxime futuro semestri lectionum suarum in hujate nostra literarum Universitate principium fecit.

Ao. 1804. Die tertio Novembris experientissimus in hac alma Universitate per quinquennium Medicinae Professor p. o., *Carolus Josephus* **Niederhuber**, ad iteratas preces suas salvo titulo Consiliarii actualis cum pensione annua quadringentorum viginti quinque florenorum ex aerario Universitatis assignata Physicatum Aichacensem nactus est.

Eodem die 3 Novembris in amplissimo Professorum Pleno actum est de electione Rectoris Magnifici in futurum sed eum jam quidem inchoatum scholasticum annum. Electus est autem per suffragiorum pluralitatem e theologico ordine plurimum reverendus *Joannes Michaël* **Sailer**, qui datis decimo Novembris a Serenissimo literis clementissime confirmatus est, injuncta tamen seria commonitione, ne in posterum actus iste tamdiu distrahatur, ut neo-electus intra ferias auctumnales novi muneris sui aliquam jam ante initium anni scholastici cognitionem et rerum tractandarum peritiam sibi possit comparare.

Saluberrimum die decimo septimo Novembris singulis Academiae nostrae Facultatibus communicatum est rescriptum. Ut enim Studiosorum indoles ac diligentia magis incitentur, et promotiones academicae pristinam suam, quam novissime perdidisse videantur, recipiant aestimationem, Serenissimo Electori placuit edicere, ut a quocunque ordine aliqua quotannis quaestio literaria cum praemio publice proponatur elaboranda, isque, qui punctum tulerit, si habito posthac tentamine rigoroso in omni suo literarum genere comprobatus apparuerit, palam dignus praemio pronuntietur et summos sui Ordinis honores academicos gratuito recipiat, dissertatio autem praemio praeposito coronata sumtibus Universitatis typis publicis evulgetur.

Sub finem hujus anni in amplissimum Medicorum ordinem hujatis Academiae advocatus est praenobilis ac clarissimus *Philippus Franciscus* **Walther**, Medicinae ac Philos. Dr. et Professor Bambergensis. Is Burweileri in Palatinatu hodie Bavaro-Rhenano patre natus quaesitore illustrissimi Principis de Leyden 3 Januarii 1782 hujus mundi lucem aspexit. Latinae linguae principia ab ipso patre edoctus scholam primo Spirensem adiit, deinde Heidelbergae, quo parentes ejus a belli aerumnis profugi se contulerunt, humanioribus literis eruditus anno 1797 acade-

Ao. 1804.

mica ibidem studia septendecim annorum adolescentulus exorsus egregia ingenii animique ubertate prima jam fundamenta jecit illius famae, quam postero tempore docendo aeque ac scribendo peperit. Ad studia artis medicae continuanda penitiusque excolenda Vindobonam secessit, ibique per triennium duce potissimum celeberrimo *Joanne Petro Frankio* tantam sibi doctissimorum virorum promeruit approbationem, ut ipse *Beerius* Professor et clarissimus tunc temporis medicus ocularius aliquamdiu morbo detentus juvenem viginti demum annis natum omnibus quos curandos habuit aegrotis commendaret. Verum etiam scriptis illic duabus commentationibus inclaruit, quarum unam: *„Kritische Darstellung der Gall'schen anatomisch-physiologischen Untersuchungen des Gehirns und Schädelbaues“*, Tiguri 1802, sed tecto suo nomine; alteram autem: *„Ueber die therapeutische Indikation und den Technicismus der galvanischen Operation“* inscripto se auctore Vindobonae 1803 cum tribus tabulis et figuris aeneis in folio evulgavit. Ab Academia dein Vindobonensi Landishutum profectus in hac alma nostra Universitate 22 Februarii 1803 summos in medicina et chirurgia honores capessivit atque mense Octobri ejusdem anni Consiliarius Electoralis et in urbe Bambergensi Medicinae Professor publicus necnon nosocomiorum ibidem Protochirurgus instituitur. Proximo autem anno 1804 jam ineunte primo vere Parisios se contulit ibique ad auctumnum usque mansit. Unde cum rediisset, ex clementissimo decreto dd. 14 Decembris in ipsa nostra literarum Universitate Physiologiae brevique post etiam Chirurgiae Professor p. o. designatus est.

Sub finem anni ab intima Universitatis Curatoria legis instar sancitum est, ut Rector Magnificus anniculo suo munere deposito per annum etiam proxime futurum nomine Prorectoris cum voto et sessione in Senatu comparendi et ipso Rectore impedito vel absente praesidium tenendi ejus loco jus et potestatem habeat.

Reliquum est, ut *libros* recenseamus, quos hoc anno in lucem ediderunt Professores,

in *theologica* sectione

Vit. Ant. **Winter**: Versuche zur Verbesserung der Liturgie, Tentamen I. Monachii 4.

Ao.
1804. *Patric.* **Zimmer:** Theologiae specialis et theoret. christianae P. III. De Deo gubernatore, Aug. Vind. 8.

in *juridica*

Jo. Georg. **Fessmaier:** Geschichte von Baiern, Landishut. 8.

P. Anselm. **Feuerbach:** Ueber Philosophie und Empirie in ihrem Verhältnisse zur positiven Rechtswissenschaft, Oratio inaug., Ldsh.

Thadd. **Gönner:** Auserlesene Rechtsfälle, T. III. Ldsh. 8; — Die Staatsverhältnisse der Reichsritterschaft im Bambergischen und Würzburgischen, ibid. 8; — Deutsches Staatsrecht, ib.; — Ueber die Nothwendigkeit einer Verbesserung der Ansicht vom Staate, ib.; — Ueber das rechtliche Prinzip der deutschen Territorialverfassung, ib.; — Handbuch des gemeinen deutschen Prozesses, T. IV; et ejus operis editio altera T. I—III, ib.

Fr. Xav. **Krüll:** Prüfung einzelner Theile des bürgerlichen Rechtes, T. III. Landish. 8.

in sect. *medica*

Augustin. **Bertele:** Handbuch der Mineralogie einfacher Fossilien, Landish. 8.

Henr. M. de **Leveling:** Wie können medizinische Wissenschaften auch für andere Staatsdiener auf Akademien nützlich und anwendbar gemacht werden, Landish. 8.

Andr. **Röschlaub:** Entwurf eines Lehrbuchs der allgemeinen Iatrie und ihrer Propädeutik, P. I. Francof. 8.

Ant. **Schmidtmüller:** Handbuch der Staatsarzneikunde zu Vorlesungen &c., Landish. 8; — Ueber die Ausführungsgänge der Schilddrüse, Epistola ad D. Sam. The. Soemmering. c. tabb. aeneis, ibid. 8; — Etwas über die Zweckmässigkeit der gewöhnlichsten Lagen und Haltungen der Kreissenden, in

Ao.
Sieboldi „Lucina“ ao. 1804. T. II. Nro. 1, 1804.
cum Append. ed. ibid. ao. 1806. T. II.
Nro. 3.

Phil. Fr. **Walther:** Neue Darstellung der Gall'schen Gehirn- und Schädel-Lehre &c. mit einer Abhandlung über den Wahnsinn, die Pädagogik und die Physiologie des Gehirns nach der Gall'schen Theorie, Monach. 8.

in sect. *philosophica:*

Maur. **Magold:** Lehrbuch der Polygonometrie und Markscheidekunst, Ldsh. 8.

Jos. **Milbiller:** Kurzgefasste Geschichte der Deutschen, zum Gebrauche beim Unterricht in Gymnasien, Monach. 8; — Geschichte der Schweitz, T. II. Lips. 12.

Jos. **Socher:** Christenlehrbuch, editio altera correctior, tomis IV, Monach. 8.

ANNO DOMINI MDCCCV.

Ao.
Rector DLV: **P. Joannes Michael** SAILER, Philos. et Theol. Dr., 1805.
Serenissimi Electoris Palatino-Bavarici Consiliarius ecclesiast. act.; Theologiae moralis, pastoralis et Disciplinae paedagogicae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 148.

Illustres: *Franciscus* **Comes de Jenison-Walworth,** Palatinus; Jur. Cand.
Ernestus **L. B. de Lafabrique,** Monacensis; Jur. C.
Aloysius **L. B. de Oefele,** Monacensis; Philos. C.

Novi Profess. *Ignatius* **Thanner,** Salisburgi antea Paedagogicae; nunc in hujate Academia Philosophiae Prof. p. o.

Ao. 1805.

Ge. Anton. Fridericus **Ast,** Philos. D^{r} legens Jenensis; nunc Philologiae Prof. p. o.

Fridericus **Tiedemann,** Medicinae D^{r} legens Marburgensis; jam vero Anatomiae et Zootomiae Prof. p. o.

Jo. Antonius **Schmidtmüller,** hucusque Medicinae extraordinarius, nunc artis obstetriciae et Medicinae forensis Prof. p. o.

Doctt. legg.

Joann. Nepom. **Fuchs,** Mattenzellensis Palatino-Bav.; Chimiae et Mineralogiae priv. docens.

Antonius **Peischer,** Schongaviensis Bojus, Med. Dr. et Prosector.

Novi Doctt. m. Sept. Pl. rev. *Georgius Amann,* Deggendorfensis Bojus, — *Theol.*

2 Jul. *Jo. Nep. Buchinger,* Altöttinganus Bav., — *Jur.*

10 Sept. *Jos. Hutter,* Rundinganus in Palatinatu superiori, — *Jur.*

— *Ludovicus Würschinger,* Ratisbonensis, — *Jur.*

23 Sept. *Leonard. Drummer,* Kirchehrenbacensis Franco, — *Jur.*

Magnus Ant. Prischer, Schongaviensis Bojus, — *Med.*

Inter Inscriptos hoc anno praecipue merentur commemorari: *Fr. Xav. Dettenhofer,* Mercatoris filius Furthensis Bojus, postea supremi provocationum Judicii Monacensis Consiliarius et regii Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques; *Leonardus Dresch,* Bambergensis Franco, Jurium Candidatus, et *Jo. Nepom. Ringseis,* Schwarzhofensis in Palatinatu superiori, Cand. Medicinae; uterque postmodo perillustres alter jurisprudentiae alter medicinae in hac alma literarum Universitate Professor, quos sequiores Annales nostri persaepe laudabunt.

E Calendis Februarii in Collegio ducali-Georgiano viginti alumnorum febri scarlatina graviter aegrotabant; nonnulli adeo morbo succubuere. Cum crebri (ut in tali calamitate fieri solet)

Ao. 1805.

questus de victu et alimentis spargerentur, Electoralis Commissarius die septimo ejusdem Monachio missus est, qui rem inquireret. Et sane accusationes istae haud omnino futiles et commenticiae fuisse videbantur; die enim 13 Martii celsissimum advenit rescriptum, multa et saluberrima praecepta continens, quae Seminarium illud melioribus temperabant institutis.

Cum ex lege Bavarica (Cod. civ. P. V. c. 22. § 16) iis, qui in aliquo ordine academico Doctoratus aut Licentiatus honores capessierint, praerogativae quoque juri sigilli adnexae tribuantur, datis a Serenissimo literis d. 11 Februarii decretum est, ut istud privilegium, quod vocant „Siegelmässigkeit", nonnisi iis in posterum concedatur, qui in aliqua patria Universitate academico gradu rite fuerint insigniti.

Clarissimus *Carolus Felix* **Seyffer**, superiori anno in hac alma Universitate Physices et Matheseos Professor p. o. designatus, sequiori decreto Monachium avocatus est, Astronomus ibi et astronomicae Speculae Monacensis Director futurus. Is brevi post titulo Consiliarii aulici insignitus, quum antehac aliquamdiu etiam Architectorum militarium Geographus in principiis castrorum fuisset, honorariae legionis Francogallicae Ordinem recepit, et statisticotopographici Musei in Ministerio a rebus externis Director constitutus est. Extant autem nonnullae, quas hoc sequiori tempore latine exaravit, dissertationes in Commentariis et iis quidem mathematicis, quos scientiarum Academia Monacensis, cujus ipse erat socius adscriptus, intra annos 1807—1813 evulgavit. Obiit vir meritissimus 17 Septembris 1822, aetatis anno sexagesimo.

Praenobilis ac doctissimus *Paulus Anselmus* **Feuerbach**, Jurium Professor et Electoralis Consiliarius aulicus, quod submisse petiit, per rescriptum dd. 2 Martii a Serenissimo impetravit, ut non solum a sessionibus Senatus academici, cui erat adlectus, sed etiam a conciliis juridicae Facultatis (exceptis iis, quae adinstar Collegii Juridicorum habentur) usque adeo dimitteretur, donec demandatum sibi Codicis criminalis Commentarium elaborasset. Eidem Serenissimus Elector propositis Sibi ab intima Universitatis Curatela rationibus permotus sexcentos quotannis florenos addere, ideoque ejus annuum salarium a proximis Calendis Octobribus ad tria

Ao.
1805. millia florenorum adaugere datis sua manu 18 Maji literis clementissime constituit.

Plurimum reverendus *Jo. Michaël* **Sailer,** h. a. Rector Magnificus, egregium pietatis in patriam exemplum edidit renuendo quaestuosiorem aliorsum vocationem. Jam ao. 1801, ut canonicatum ecclesiae cathedralis Klagenfordiensis in Carantana satis pinguem acceptaret, deinde proximo abhinc anno ut cathedram theologicam in alma literarum Academia Heidelbergensi, et hoc ipso anno ut publicum aliquod pro suo lubito docendi munus in Universitate, quae Monasterii in Borussia rhenana erigenda fuit, cum bis mille florenorum salario susciperet, semel atque iterum humanissime invitatus est. At ille annuo septingentorum florenorum stipendio et perexiguo beneficio suo Aislingano contentus omnia ista commoda sibi deprecari quam patriam deserere malebat. Quae piissima devotio a Serenissimo Electore datis ad eum sua manu 2 Martii literis gratiosissima cum laude excepta est.

Cum *Dr. Guilielmus* **Butte,** antehac Augustanae confessionis parochus Barstettensis in Magno-Ducatu Hassia, die vero 22 Decembris superioris anni ut publicam Oeconomiam in hac Universitate privatim traderet clementissime designatus, eodem fere tempore in Actis diurnis quae vocantur „Reichs-Anzeiger" Nro. 334 p. 4388 tanquam homo mendax, calumniosus, prodigus palam fuisset diffamatus, Serenissimus Elector decretum illius designationis eo usque vetuit expediri, donec iste legalibus adlatis de moribus suis testimoniis ab illis criminationibus sufficienter fuerit purgatus. Qui quum his diebus innocentiam suam satis ut videbatur defenderet ac testibus fide dignis probaret, se re familiari haudquaquam prodige fuisse usum, Senatus academicus pridie Idus Martii jubetur eundem in officium immittere, ut cum semestri proxime futuro lectiones suas possit inchoare.

Plurimum reverendus *Bartholomaeus Wimmer,* Exdominicanus et Parochus in *Pondorf* 16 Januarii ad ecclesiam parochialem Neokirchensem promotus est; in vacuam autem per illius translationem parochiam Pondorfiensem sexto Martii amplissimus Senatus academicus *Joannem Bapt. Kreitmayr,* Ord. item S. Dominici professum praesentavit.

Ao. 1805.

In vacuam parochiam *Wemdinganam* ab Universitate nostra, penes quam jus est nominationis, plurimum reverendus ac perillustris *Marquardus Comes de Reisach,* Monhemii Scholarum Inspector, ad preces suas designatus et a serenissimo Electore die vigesimo tertio Maji praesentatus est, addita tamen declaratione, fore ut cum primum ille exspectatam in capitulo cathedralis ecclesiae Ratisbonensis praebendam fuerit consecutus, parochia Wemdingana eo ipso vacatura alteri cuipiam ab Universitate designando sacerdoti conferatur.

Iteratis supplicissimis precibus, quibus plurimum reverendus et clarissimus *Josephus* **Socher,** Philosophiae D[r] ejusdemque Professor p. o. et h. t. Prorector, petiisset, ut sibi relicta cathedra academica in parochiam suam redeundi venia concederetur, Serenissimus tandem commotus datis quarto Aprilis literis eum salvo Consiliarii ecclesiastici actualis titulo *Kelhemium* dimisit, clementissime testans, quantopere is Sibi in omnibus usque adhuc susceptis officiis fuerit probatus; Seque sperare et confidere, fore ut vir tam eximie meritus, licet ab academica sede remotus, tamen scriptis suis et consiliis etiam in posterum quantum possit ad scientias propagandas conferat. Quam quidem Socherus nequaquam fefellit exspectationem. Scripsit enim complures etiam post suum a nobis discessum libros, e. gr. *„Biblische Geschichte der Offenbarungen Gottes im A. und N. T.“,* Monach. 1806, qui liber iteratis curis ibidem 1811 et 1815 prodiit; *„Ueber die Ehescheidung in katholischen Staaten“,* Landish. 1810; *„Ueber Platons Schriften“,* ibid. 1820. 8. &c. Et eundem quo ipse usque flagrabat liberalium artium et studiorum amorem in clericis etiam Cooperatoribus sibi subditis suscitare et augere pro viribus studuit. Singularem autem sibi promeruit laudem ex egregia illa prudentia, industria et dexteritate, quam in variis quibus fungebatur muneribus praesetulit. Erat enim non solum Parochus urbanus Kelhemiensis ejusdemque Capituli ruralis Decanus, sed scholarum quoque tam urbis quam confinium Inspector et sequioribus annis saepius Deputatus in secunda Curia conscriptorum Ordinum regni, quibus in conciliis eundem multoties de gravissimis rebus publicis egregie perorantem audivimus. Obiit senex prope octogenarius 17 Januarii 1834.

Ao. 1805. Eodem die, quo *Socherus* cum permissione Serenissimi publico docendi munere se abdicavit, plurimum reverendus ac doctissimus *Ignatius* **Thanner** ex clementissimo Electorali decreto cathedram ejus suscepit pluribus jam scriptis maxime commendatus, cujus generis sunt: *Akademischer Versuch über das Vogteirecht in Salzburg*, Salisburgi 1794; *Ueber Schulinspectionen auf dem Lande*, Monachii 1804; *Der Transscendental-Idealismus in seiner dreifachen Steigerung; oder Kant's, Fichte's, Schelling's philosophische Ansicht, nebst des Verfassers Ansicht und Beurtheilung*, ibid. 1805. 8. Fuit is autem procuratoris filius Neofori ad Rottam 9 Februarii 1770 natus et absolutis S. Theologiae studiis 10 Aprilis 1792 (scilicet impetrata ob defectum aetatis a sede apostolica dispensatione) presbyter ordinatus. Quadriennio post ecclesiae collegiatae Mattseensis Canonicus et Salisburgi Paedagogicae Professor institutus, inde vero ob eximia in philosophia merita a Serenissimo Electore nostro in hanc almam Ludovico-Maximilianeam Universitatem evocatus est cum dignitate, juribus et emolumentis Professoris publici ordinarii et annuo mille ducentorum florenorum salario eidem etiam si forte dimitteretur permansuro, donec ipsi alio et eo quidem aequivalenti munere fuerit provisum.

Proponente plurimum reverendo Physices Professore *Gabriele* **Knogler** Serenissimus Elector 4 Aprilis clementissime ratum habuit, quod *telescopium speculare Schraderianum* sumtibus academicis mille ducentorum triginta trium florenorum pretio compararet, injuncta tamen seria admonitione, nequid in posterum ultra pactum primitivum concederetur. Initio enim mille tantum florenis idem illud instrumentum Universitati indicatum fuerat.

In philologicam cathedram ex Academia Jenensi huc evocatus est praenobilis et doctissimus *Ge. Antonius Fridericus* **Ast.** Is Gothae Saxonum 29 Decembris 1778 natus prima eruditionis suae fundamenta jecit in Gymnasio urbis patriae ibique jam anno 1799 Apparatum philologicum in Propertium poëtam typis evulgavit. Ejusmodi doctrinis egregie imbutus theologicas Protestantium disciplinas *Griesbachio* potissimum et *Paulo* ducibus in Universitate Jenensi auspicatus, deinde vero dimissis sacris studiis totus Philologiae deditus *Platonis Phaedrum* commentatus est. Anno autem 1802 Doctor ibidem privatim legens assumtus ador-

Ao. 1805.

nata versione *Sophoclis* aliorumque graecorum operum et elucubrato *Aesthetices enchiridio*, praeterea editis ibidem duabus dissertationibus *„De primis Artis Pulchri lineamentis“* et *„Πλάτωνος πολιτεία* sive *De republica“* libris X (Jenae 1802—1804) haud mediocrem sibi pepererat doctrinae famam, cum ex decreto dd. 5 Aprilis h. a. Serenissimi Electoris nostri Consiliarius aulicus et Philologiae in hujate alma Universitate Professor p. o. clementissime designatus est.

Serenissimus iteratis precibus commotus quarto Maji Consiliariis suis ecclesiasticis et Professoribus *Gregorio* **Reiner**, *Benedicto* **Holzinger** et *Mauro* **Magold** tum ob insignia eorum merita tum etiam propter dimissas, quibus antea utpote Religiosi fruebantur, pensiones annua stipendia ducenis in posterum florenis clementissime augere dignatus est. Eandem gratiam vigesimo quinto ejusdem mensis ad supplicissimas preces suas impetravit etiam religiosissimus *P. Sebastianus* **Mall**, SS. Scripturarum et Linguarum orientalium Professor.

Superiori mense initis jam feriis paschalibus nobilis *Georgius Primbs* Bavarus exarata quidem pro summis in medicina et chirurgia honoribus capessendis quaestione inaugurali et exantlato tentamine rigoroso, publica tamen disputatione ob raritatem auditorum et temporis angustiam remissa, quoniam Doctorandus ad examina publica pro obtinendo Physicatu forensi Ambergam in Palatinatu superiori erat abiturus, approbante majori parte Senatorum in stuba academica gradu Doctoratus insignitus fuerat. Qua re ad Serenissimum nuntiata pridie Nonas Maji delatum est decretum, quo amplissimus Senatus unacum saluberrimo Medicorum ordine vehementius increpatur. Severe generalibus Universitatis legibus sancitum esse, ut gradus academici nonnisi prius habita a Doctorandis publica disputatione conferantur, neve Rector et Procancellarius promotioni cuipiam adesse aut Acta protocollaria subscribere sibi praesumant, antequam ex iisdem cognoverint, omnia praescripta desuper rite et accurate fuisse observata. Nihilominus proxime elapso mense a Facultate medica Medicinae Candidato Georgio Primbs nulla omnino habita disputatione Doctoris gradum in stuba academica collatum et actum istum illegitimum ab omnibus prope Senatoribus comprobatum fuisse. Id eo magis

Ao. 1805. esse reprehensione dignum, quum Senatus temerariam potestatem a legibus dispensandi absque ulla graviori causa sibi arrogaverit. Etenim Doctorandum facile ad legitimam disputationem justo tempore Landishutum pervenire potuisse, si quidem examen a Candidatis Ambergae subeundum ad penultimum demum diem hujus mensis esset indictum. Itaque ut definitis legibus haud impune adversum iri sentiant, promotionem istam plane irritam ac nullam hisce declarari, jamque Electorale Gubernium Ambergense sub hodierno die jussum esse Candidato supradicto statim irrogare, ut pro summis in Medicina honoribus rite et legitimo more impetrandis Landishutum remearet, de damno autem et expensis inde sibi emersis regressum sumeret adversus omnes atque singulos eos Senatores et medicae Facultatis Professores, qui ad illegitimam promotionem cooperarint. Ad haec amplissimus Medicorum ordo per Senatum demississime curavit referri, se de promotione illa cum bona fide et tanquam de re mere domestica consuluisse, cum crediderint suum esse, judicare de idoneitate eorum, qui gradibus academicis forent decorandi, satisque in concreto fuisse cautum, ne indignus lauream reciperet doctoralem. Serenissimus autem datis trigesimo ejusdem literis rescripsit, tantum abesse, ut cognita eorum excusatione prolatam suam sententiam existimaverit revocandam, ut inde potius cognoverit renitentem quendam et suo soli commodo servientem animum civicis scilicet olim tribubus proprium, cum medica Facultas quasi status in statu esse anhelarit, atque adeo jus ac potestatem Principis condendi leges circa ritus et effectus graduum academicorum ausa sit addubitare. Ceterum ne auctoritas totius Universitatis detrimentum patiatur, id Sibi placuisse decernere, ut valeat quidem et subsistat vitiosa ista promotio, Promotus autem habita quam primum disputatione publica statutis academicis satisfaciat.

Haec dum in medica Facultate gerebantur alia ejusdem fere generis oborta est dissensio in Facultate philosophica. Cum enim plurimum reverendus *Ignatius* **Thanner** ex vocatione Electorali nuperrime Philosophiae Professor nominatus instanter petiisset, ut in cathedram suam immiteretur, amplissimus Philosophorum Ordo id ex lege fieri non posse praetendit, nisi habita prius disputatione publica et recepto gradu academico habilem se prae-

Ao. 1805.

stitisset. Qua re ad Serenissimum relata ex speciali mandato datis 18 Maji literis ad Senatum declaratur, quod designati Professoris aditus ad cathedram non a recepto doctoratu pendeat, cum scilicet is academico gradu opus habeat non tam ut suum docendi munus exercere possit, quam ut ejusmodi honores ipse aliis quoque valeat conferre; ideoque nullum jam designatum Professorem, qui gradu nondum insignitus fuerit, in detrimentum studiorum licere impediri, quominus lectiones suas incipiat. Ceterum Serenissimum velle et exspectare, fore ut quicunque ad publicum docendi munus nominatus quam celerrime ab amplissima sui Ordinis Facultate gradum studeat expetere, et in eum finem loco disputationis orationem inauguralem in solemni consessu perorare et in publicam scientiarum suarum comprobationem typis evulgare nullo modo detractet.

Ad vacantem parochiam *Uttenhofiensem,* quam *Ignatius Christianus Mayr* per integrum seculi quadrantem tenuit, amplissimus Senatus academicus tamquam patronus plurimum reverendum *Georgium Schreiner,* Cooperatorem Prunnensem ob eximia ejus in cura pastorali praecipue in erudienda juventute merita Calendis Julii praesentavit, injuncta eidem annua viginti quinque florenorum legitima pensione ad fundum Universitatis persolvenda.

Clarissimus *Petrus Theodorus* **de Leveling,** Medicinae Doctor ejusdemque primum Heidelbergae, deinde in hac alma Ludovico-Maximilianea Universitate per septennium Professor p. o. sub finem prioris semestris publico docendi munere suo se abdicavit, et ex clementissimo decreto dd. 22 Maji cum annua pensione quadringentorum et viginti quinque florenorum salvoque Electoralis Consiliarii aulici titulo Medicus forensis Göggingae prope Augustam Vindelicorum constitutus est.

Cum ad perfectiorem Universitatis restaurationem pluribus adhuc noviter erigendis Institutis et sumtuosis jam erectorum attributis et supplementis opus esset, quorum impensae neque ex percipiendis ordinariis fructibus neque ex usuris mutuarum sortium sine detrimento praesentis rei familiaris poterant sustineri, Serenissimus die 24 Augusti decrevit, ut de rebus Universitatis undequaque acquisitis omnes, quas invenerint inutiles et superfluas, sive sub Rectoris et Senatus potestate sive sub singulorum Or-

Ao.
1805. dinum tutela sive sub Administratorum Ingolstadiensis et Landishutani cura fuerint, absque mora aestimarentur et in his ipsis, si cum commodo posset fieri, nundinis plurimo licenti sub hasta venderentur. Deducantur autem in hanc licitationem *candelabra, pocula, alia vasa argentea et aurata* in epulis academicis et promotionibus olim usitata; *generosi lapides* et *res gemmatae, rosaria, calices,* alia in aula Orbaniana hucusque recondita; utensilia superflua et paramenta Congregationis olim academicae, ecclesiae Dominicanae et Beatovallensis monasterii nondum devendita. Harum rerum descriptio et publica auctio demandata est Professoribus *Georgio Xaverio* **Semer** et *Gabrieli* **Knogler**, ac Jurium Licentiato *Schlicker* administratori academico Ingolstadiensi. Pecunia vero ex istis venditionibus parta, quam in aerario Universitatis separatim collocari et in tabellis menstruis sub rubro *„Parta ex venditis Universitatis rebus pretiosis et utensilibus ecclesiasticis“* in rationes referri curabunt, nonnisi in res ex speciali quocunque mandato Serenissimi designatas erit impendenda.

Proponente intima Universitatis Curatela Serenissimus Elector datis 28 Augusti ad Rectorem literis Senatui praecepit, ut quovis Semestri catalogum praelectionum academicarum ab intima Curatela prius approbatum justo tempore typis publicis curaret evulgari. Idem jubetur providere, ut cuilibet praelectioni apponatur etiam, quota hora habeatur; et si forte inter Professores ea de re oritura sit dissensio, haec altercatio brevi et amicabili modo componatur. Porro nemini Docentium in posterum licebit omittere suas sibi ex decreto assignatas disciplinas et alias alteri commissas tradere, aut in collegium assumere auditores, nisi exantlatis studiis humanioribus sufficienter fuerint praeparati. Denique singulorum Ordinum Decani in quacunque Facultate lectiones quidem propaedeuticas et methodologicas haberi, sed eas non more hucusque solito in semiannuas protrahi et extendi, imo vero paucis hebdomatibus absolvi curabunt.

Medicorum quoque amplissimus Ordo virum hoc anno nactus est, novum sibi decus et ornamentum futurum. Etenim *Fridericus* **Tiedemann**, patre Consiliario aulico et Philosophiae Professore 23 Augusti 1781 natus, Casselanus Hassus, qui exantlatis Marburgi studiis suis academicis et tentaminibus rigorosis, exarata insuper

Ao. 1805.

pro capessendis summis in Medicina et Chirurgia honoribus dissertatione inaugurali *„De cordis Polypis“*, quam 10 Martii 1804 unacum thesibus publice cum nota eminentiae defendit, Doctor legens ibi fuit assumtus, inde elapso nondum biennio 28 Augusti h. a. in hujatem Academiam invitatus et Anatomiae Professor p. o. cum annuo mille et ducentorum florenorum salario clementissime designatus est.

Praenobili ac doctissimo *Joanni Antonio* **Schmidtmüller** extraordinario Medicinae Professori et Prosectori anatomico ob singularem in officiis suis probatam dexteritatem atque industriam ex decreto Electorali dd. 26 Septembris additamentum ducentorum quotannis florenorum clementissime assignatum est, ita ut inde ab hoc tempore annuum salarium nongentorum florenorum in numerato et frumentariam additionem florenis centum aequiparandam esset recepturus.

Tempore vacationum auctumnalium funus elatum est *Georgii Fr. Xaverii* **Semer**, Electoralis Consiliarii aulici et Jurium in hac alma Universitate per annos viginti quatuor Professoris, qui febri nervosa correptus die 17 Octobris omnibus sacris munitus aetatis anno quinquagesimo primo placide diem obiit supremum. Juris observantissimus aeque ac peritissimus officia sua severe et graviter administravit; praesertim ex eo tempore, quo Academia huc translocata est, quippe cum esset simul Quaestor Universitatis, in referendis pecuniarum rationibus immodice occupatus fuit. Sit ei terra levis! In munere Quaestoris ex decreto d. 4 Novembris successor ei datus est clarissimus *Carolus* **de Hellersberg**; stipendiorum autem Ephoratum, quo idem ille fungebatur, obtinuit praenobilis *Fr. Xaverius* **Krüll.** De cathedra vero ejusdem academica sequiori tempore providebitur.

Nova in annum posterum Rectoris et Senatorum electio in amplissimo Pleno 7 Septembris habita die 23 Novembris a Serenissimo confirmata est. Evectus est igitur in Rectorem Magnificum ex saluberrimo Medicorum Ordine experientissimus *Augustinus* **Bertele**; in Senatum autem suffecti ex Facultate theologica religiosissimus *Jo. Michael Sailer*, h. t. Prorector; ex juridica clarissimus *Fr. Xaverius Krüll;* ex Sectione secunda et quarta philosophica plurimum reverendi *Gabriel Knogler* et *Antonius Drexel.*

Ao.
1805. In perpetuum denique Senatorem loco defuncti Semeri a Serenissimo nominatus est *Gregorius Leonardus Reiner,* Philosophiae Professor.

In philosophica Sectione privatim docturus assumtus est praenobilis *Joannes Nepomucenus* **Fuchs,** patre agricola Mattenzelli prope Brennberg in Palatinatu superiori 15 Maji 1774 natus. Is exantlatis disciplinis humanioribus primum quidem arti medicae cum tanta eruditionis laude operam navavit, ut adeo supremum doctoris medicinae gradum reciperet. Postea tamen eam nihilominus ultro abjecit, ut totus solis Chemiae et Mineralogiae studiis vacaret. Quum igitur in hunc finem Fribergi, Berolini, postremo etiam Parisiis aliquamdiu degisset et susceptis compluribus in montuosa peregrinationibus in patriam redux ab amplissima literarum Academia Monacensi examinatus, egregieque fuisset commendatus, ex decreto Electorali dd. 25 Novembris c. a. in hujate alma Universitate Chemiae ac Mineralogiae Doctor legens cum annuo sexcentorum florenorum salario in praesenti clementissime designatus et clarissimo *Augustino* **Berteleo** Professori ordinario in adjutorium datus est.

Eodem die in saluberrima Facultate experientissimus *Georgius Antonius* **Schmidtmüller,** artis obstetriciae et medicinae forensis Professor ordinarius clementissime nominatus, in officium autem Prosectoris anatomici, quo idem hucusque praeter extraordinariam suam professionem fungebatur, praenobilis D.r Antonius *Peischer,* utpote ab amplissimo Medicorum Ordine summopere commendatus, cum annuo quadringentorum florenorum stipendio provisorio modo receptus et perillustri Consiliario aulico *Friderico* **Tiedemanno,** ordinario Anatomico, adjunctus est.

Proponente intima Universitatis Curatela Serenissimus Elector die 9 Decembris clementissime decrevit, ut Universitas suis sibi sumtibus jam pridem desideratum *thesaurum zoologicum* 5674 numeris adornatum, quem intimus Electoralis Consiliarius *Liber Baro de Moll* Monacensis venumdare constituit, sex millium quingentorum florenorum pretio et eo quidem quinque intra biennium pensionibus persolvendo compararet.

Sub finem hujus anni tertium amisimus insigne decus Universitatis. Clarissimus enim *Paulus Joannes Anselmus* **Feuerbach,**

Ao. 1805.

celeberrimus Jurium Professor p. o., Commentarium Codicis criminalis pro regno Bavarico exarare jussus ex decreto dd. 14 a. Cal. Januarii 1806 Monachium avocatus est intimus ibi in Ministerio Justitiae Referendarius futurus. Is anno 1814, quo Codicem illum s. t. *„Strafgesetzbuch für das Königreich Bayern“* cum annotationibus et locupletissimo indice tribus partibus absolutum edidit, secundarius Judicii appellationum Praeses Bambergae, deinde mense Martio 1817 primarius Judicii provocationum Onoldini pro gubernio Rezatensi Praeses, ac denique ao. 1821 Magister Equitum Ordinis Coronae Bavaricae meritorii et regius a rebus publicis gerendis Consiliarius actualis (germanice dictus „k. wirkl. Staatsrath“) designatus est. Sed etiam remotus diu a publico docendi munere et longe aliis abditus occupationibus non destitit novis et iis quidem praestantissimis ingenii sui partubus literarium orbem illustrare. Ex eo enim tempore, quo ab Universitate discessit, (ut omittam commentationes insertas in *Julii Edu. Hitzig „Annalen der deutschen und ausländischen Criminalrechtspflege“*, Berolin. 1827 sqq.) seorsim in lucem deinceps emisit libros: *„Merkwürdige Criminalrechtsfälle“*, II Voll. Giess. 1808. 1811; *„Revision der Grundsätze und Begriffe des positiven peinlichen Rechtes“*, II Partt. ibid. 1810; *„Blick auf die deutsche Rechtswissenschaft“*, Monach. 1810; *„Themis oder Beiträge zur Gesetzgebung“*, Landish. 1812; *„Betrachtungen über die Geschwornengerichte“*, Landish. 1813; *„Die hohe Würde des Richteramts“*, Norimberg. 1817; *„Erklärung über seine angeblich geänderte Ueberzeugung in Ansehung der Geschwornengerichte“*, Erlang. 1819; *„Betrachtungen über die Oeffentlichkeit und Mündlichkeit der Gerechtigkeitspflege“*, II. Voll. Giess. 1821. 1825; *„Aktenmässige Darstellung merkwürdiger Verbrechen“*, II. Vol. ibid. 1828. 1829; *„Kaspar Hauser, Beispiel eines Verbrechens am Seelenleben des Menschen“*, Onoldsbaci 1832; *„Kleine Schriften vermischten Inhalts“*, II Sectt. Norimb. 1833. 8. — Obiit autem vir illustrissimus 9 Maji, 1833.

E numero Professorum, qui edendis ingenii sui partubus singularem operam navarunt, hoc anno cum praecipua laude commemorandi sunt

in S. Ordine *theologico*

Matth. **Fingerlos:** Versuch einer Pastorallehre, II T. Mon. 8.

Ao.
1805. *Michaël* **Sailer:** Geist der akademischen Gesetze, oratio, qua munus Rectoris magnifici auspicatus est, ed. Monach.; — Heggelin's hundert väterliche Lehren, ibid. 8. — Grundlehren der Religion, ib. 8.

Vit. Ant. **Winter:** Vorarbeiten zur Beleuchtung der österreichischen und baierischen Kirchengeschichte überhaupt und der Agilolfingischen Periode insbesondere, T. I. Mon. 8.

Patric. **Zimmer:** Philosophische Religionslehre, P. I: Lehre von der Idee des Absoluten, Landish. 8.

in Facult. *juridica*

Thadd. **Gönner:** Auserlesene Rechtsfälle, P. IV. Ldsh. 8; Ueber die Nothwendigkeit eines Staatsschatzes, ib. 8; Ueber den Einfluss einer richtigen Ansicht vom Staate auf Geschichte, Statistik, Politik, Staatswirthschaft und Völkerrecht, ib. 8.

Fr. Xav. **Krüll:** Prüfung einzelner Theile des bürgerlichen Rechts, tom. IV. Ldsh. 8; Das deutsche Privatrecht, ib. 8.

Anton. **Michl:** Kurze Uebersicht des katholischen Kirchenrechts, Sectt. I & II. Ldsh.

Fr. Xav. **de Moshamm:** Europäisches Gesandtschaftsrecht, Landish. 8.

in *saluberrima* Facult.

Augustin. **Bertele:** Handbuch einer dynamischen Arzneimittellehre, Landish. 8.

Ant. **Schmidtmüller:** Etwas über die Entstehung der Muttermahle, et: Geschichte einer sehr schweren Geburt und ihrer Folgen, Elucubrationes duae ed. in Siboldi „Lucina" Ephemeride T. I et IV. nr. 1; Ueber die Wirkungen der Lungenprobe, Dissert. in Hornii Ephemeride, c. t. „Archiv für medizinische Erfahrungen", T. VIII. fasc. 1.

Ao.
Andr. **Röschlaub** (et D[r] *Ge. Oeggl*), Hygiea, Zeitschrift für öffentliche und Privat-Gesundheitspflege T. I. Francof. ad Moen. 8. 1805.

in Classe *philosoph.*

Frider. **Ast:** Ueber den Geist des Alterthums und dessen Bedeutung für unser Zeitalter, Diss. inaug., Ldsh. 4.

C. G. Frid. **Breyer:** Historisches Magazin, T. I. Jenae 8; Ueber den Begriff der Universalgeschichte, Landish. 8.

Maur. **Magold:** Lehrbuch der höheren Geometrie, Ldsh. 8.

Fr. de P. **Schrank:** Catalogus plantarum horti academici, Landish. 4.

ANNO DOMINI MDCCCVI.

Ao.
Rector DLVI: **Georgius Augustinus** BERTELE, Philos. et Med. D[r], Serenissimi ac Potentissimi Regis Bavariae &c. Consiliarius aulicus actualis; Pharmaciae, Materiae medicae, Toxicologiae, Diaetetices, Mineralogiae et methodi Formulas medicinales concinnandi Prof. p. o. 1806.

Nov. Inscripti 157.

Illustres:

Casparus **L. B. de Dürniz,** Arenschwangensis; Jur. Cand.

Ferdinandus **L. B. de Hornstein,** Wackersteinensis; Jur. C.

Antonius **Comes de Pestalozza,** Hemaviensis; Philos. C.

Paulus Gustavus **L. B. de Stetten,** Augustanus; Diplomat. Studiosus.

Antonius **L. B. de Freiberg,** Dilinganus; Jur. Cand. et

Carolus **L. B. de Freiberg,** Monacensis; Cameral. C.

Ao. 1806. *Carolus Guilielmus* **L. B. de Troeltsch,** Noerdlinganus; Jur. C.

Novi Profess. *Matthias* **Fingerlos,** Collegii Georgiani Director, nunc etiam Theologiae pastoralis Prof. p. o.
Theophilus **Hufeland,** Jenae et Wirceburgi antehac, nunc apud nos Juris Romano-civilis et ejusdem Historiae Prof. p. o.
Ludovicus Walradus **Medicus,** ex Academia Wirceburgensi nunc in hujate Ludovico-Maximilianea Publicae oeconomiae Prof. p. o.
Conradus Dietericus Martinus **Stahl,** antehac Wirceburgi, nunc in hac nostra Universitate Physices ac sublimioris Matheseos Prof. p. o.
Christianus Jacobus **Parz,** Advocatus Burgfriedbergensis; Juris criminalis Prof. extraordinarius.

Novi Doct. m. Aug. *Aloys. Buchner,* Murnaviensis Bav. *Theol.*
27 Sept. *Fr. de Paula Wagner,* Vilsbiburgensis Bavarus
5 Dec. *Jo. Balthas. Beyer,* Geisslinganus Suev. } *Med.*
Erhardus Seidl, Furthensis Bav., Sacerdos,

Laetissimum fuit Bavariae hujus anni initium, cum scilicet Serenissimus Dominus MAXIMILIANUS JOSEPHUS, Palatino-Bavariae et Franconiae Dux, S. R. I. Archicomes Palatinus, Archidapifer et Elector, Calendis Januarii gloriosissimum *Dei gratia* REGIS BAVARIAE nomen dignitatemque assumsit. Quo adlato nuntio Universitas nostra, ne in communi laetitia officium suum desiderari pateretur, duodecimo ejusdem mensis Magistratum academicum Monachium deputavit, qui ad Potentissimi Principis alloquium et gratulationem clementissime est admissus et gratiosissime a Regia Majestate exceptus.

Quinto Martii praenobilis ac clarissimus Philosophiae Dr *Conradus Dietericus Martinus* **Stahl** regius Consiliarius aulicus et in hac alma literarum Universitate Physices et sublimioris Matheseos

Ao. 1806.

Professor p. o. designatus est. Is pictoris aulici filius Brunsvigae 30 Martii 1773 natus, absolutis in Gymnasio ibidem et Collegio Carolino studiis humanioribus Universitatem Helmstadiensem adiit, ubi Jurium pariter ac Scientiarum de rerum natura Candidatus mense Aprilis 1795 summis in Philosophia honoribus insignitus est. Eo ipso anno in Academia Jenensi, quum elucubratam a se dissertationem mathematicam, qua *„Doctrinam de dignitatibus“* nova methodo exhibuit, cum summo omnium applausu publice defendisset, Doctor legens assumtus est, ibique Mathematicam et physicalem Geographiam privatim tradidit. Inde verno tempore 1804, postquam etiam in Gymnasio academico Coburgensi aliquamdiu publice docuerat, Wirceburgum, biennio autem post Matheseos et Physices Professor (florenis ei mille et ducentis in salarium, trecentis autem in transmigrationis compensationem assignatis) Landishutum evocatus est. Idem jam tunc temporis rem mathematicam egregie illustraverat commentationibus, cujus generis sunt: *Zahlenarithmetik und Buchstabenrechnung,* Jenae 1797. 8; *Grundriss der Combinationslehre,* ibid. 1800. 8; *Einleitung in das Studium der Combinationslehre,* ibid. 1801. 8; *Anfangsgründe der Arithmetik,* ib. 1802. 8. &c. Praeterea nonnullas dissertationes Ephemeridi quoque inseruit, cui titulus: *„Jenaer allgemeine Literaturzeitung.“*

In cathedram juris civilis Romani vocatus est perillustris *Theophilus* **Hufeland,** Philos. et Juris utriusque D^r^, regius Consiliarius aulicus. Is Gedani, urbe munita hodie Borussiae (Danzig), 19 Octobris 1760 natus absolutis ibidem gymnasialibus disciplinis anno 1780 Lipsiam se contulit et triennio post peragratis Germaniae, Belgarum, Francogalliae et Helvetiae terris unacum *Hugone,* celeberrimo postea Institutionum Romani juris doctore, Gottingae studiis juridicis egregia cum laude navavit operam. Deinde impetrata venia legendi in alma literarum Academia Jenensi 1788 extraordinarius et quinque post annis ordinarius jurium Professor instituitur. Anno autem 1803 accepta honorifica vocatione Wirceburgum pervenit atque inde post triennium, cum nempe territorium istud in ditionem *Ferdinandi* Magno-Ducis Toscanae venisset, a gloriosissimo *Maximiliano I. Bavariae Rege* Landishutum arcessitus et ex clementissimo decreto dd. 5 Martii Jurium Professor

Ao. 1806. p. o. nominatus est, florenis ei bis mille et quingentis in annuum salarium, mille autem et ducentis pro itineris compensatione assignatis. Magnum ille tum jam nomen sibi fecerat ex editis permultis partubus literariis, quorum catalogum juxta ordinem temporis, quo lucem aspexerunt, hic exhibeo: *Versuch über den Grundsatz des Naturrechts* &c., Lips. 1785, 8; *De legum in Pandectis interpretandarum subsidio ex earum nexu et consecutione petendo*, Jenae 1785; *Ueber das Recht protestantischer Fürsten, unabänderliche Lehrvorschriften festzusetzen* (quae commentatio provocata est per edictum relig. pro regno Borussia de 9 Julii 1788) Francof. et Jenae 1788; *Lehrsätze des Naturrechts und der damit verbundenen Wissenschaften, zu Vorlesungen*, Francof. 1790 (editio II. ibid. 1795); *Praecognita juris Pandectarum hodierni*, Jenae 1795; *Lehrbuch der Geschichte und Encyclopädie aller in Deutschland geltenden positiven Rechte*, T. I. Sect. 1. ibid. 1795; *Einleitung in die Wissenschaft des heutigen deutschen Privatrechts*, ibid. 1796; *Abriss der Wissenschaftskunde und Methodologie der Rechtsgelehrsamkeit*, ib. 1797; *Die Lehre vom Gelde und Geldumlaufe*, ib. 1798; *Institutionen des gesammten positiven Rechtes*, ibid. 1798 (Ed. II. ibid. 1803); *Primae lineae doctrinae de protestatione cambiali*, ib. 1799; *Beiträge zur Berichtigung und Erweiterung der positiven Rechtswissenschaft*, Fasc. I—III, ib. 1801; Fasc. IV et V. ibid. 1802; *Primae lineae juris circa pecuniam privati*, c. not. biogr. C. F. A. *Burckhardt*, ib. 1803. 4; *Vorläufige Nachricht von den juristischen Schätzen der Würzburger-Universitätsbibliothek* &c., Bamb. 1805. 8.

Ex eodem decreto regio d. 5 Martii vir alius jam gesto publico docendi munere insignis ad Universitatem nostram accessit, praenobilis ac clarissimus D.r *Ludovicus Walradus* **Medicus.** Fuit is *Friderici Casimiri Medici*, Directoris horti botanici Manhemiensis, filius et ipse Manhemii 8 Augusti 1771 natus. Studiis academicis et iis quidem potissimum publico-oeconomicis et mineralogicis per quinquennium operam dedit in alma Universitate Heidelbergensi, et illarum rerum scientias in variis peragratis regionibus penitius usu quoque perrexit ediscere. Vigesima Decembris 1795 a **Carolo Theodoro** serenissimo tunc Palatino-Bavarico Electore pro schola publico-oeconomica cum Universitate Heidelbergensi unita

Ao. 1806.

Professor extraordinarius nominatus, proximo autem anno (salva tamen cathedra academica) in summum rei saltuariae Collegium Manhemiense Consiliarius actualis cum voto ac sessione receptus est. Anno deinde 1802 ob egregia doctrinae suae merita scriptis etiam publice contestata summos Doctoris Philosophiae honores recepit et biennio post cathedram ordinariam in Julio-Maximilianea Herbipolitana obtinuit; unde anno 1806, cum territorium Wirceburgense Magno-Duci Florentino fuisset cessum, a potentissimo Rege nostro Landishutum translatus et in alma hujate Academia cum annuo mille quadringentorum florenorum stipendio additisque florenis trecentis et quinquaginta ad compensandos sumtus transmigrationis Professor p. o. Agriculturae nec non saltuariae et metallicae rei clementissime designatus est. Jam vero, antequam huc pervenit, praeter complures, quas in *Gritanneri „Politische Annalen“* 1793, in *Beckeri „Taschenbuch für Gartenfreunde“* 1796, in *Gattereri „Neues Forstarchiv“* T. IX. 92, T. XIII. 187, in *„Annalibus Heidelberg.“* ad ann. 11. P. II. aliisque ephemeridibus insertas edidit commentationes, nonnullis etiam seorsim evulgatis libris inclaruit, cujus generis sunt: *Bemerkungen über die Alpenwirthschaft,* Lips. 1795; *Versuch einer Skizze der ökonomisch-politischen oder staatswirthschaftlichen Encyclopädie,* ibid. 1797; *Forsthandbuch, oder Anleitung zur deutschen Forstwirthschaft,* Tubing. 1802; *Von dem nachtheiligen Einflusse der sogenannten Schäfereien auf die Schafzucht und den Ackerbau* &c., Manhem. 1802; *Ueber den Gesichtspunkt, aus welchem der akademische Unterricht in der Landwirthschaft &c. zu beachten ist, u. s. m.* Wirceb. & Bamb. 1804. 8.

In vacuam, quam vixdum per biennium *Jo. Anselmus Feuerbach* obtinuit, Juris criminalis cathedram praenobilis et doctissimus *Christianus Jacobus* **Parz,** religione Calvinista, brevique ante expositus Advocatus Burgfriedbergensis ex clementissimo decreto dd. 17 Aprilis Professor extraordinarius Collegiique Juridicorum Assessor arcessitus, eique annuum mille ducentorum florenorum salarium trecentis insuper pro transmigratione additis assignatum est. At is, cum primum Landishutum pervenisset, priusquam lectionum suarum principium fecit, febri scarlatina correptus undevigesimo Julii aetatis anno vigesimo septimo flebilis occidit.

Ao.
1806. Cathedram per ejus obitum iterum vacuam ad tempus suscepit Jurium peritissimus *Fr. Xaverius* **Krüll.**

Parochiam *Oberglaimensem* per obitum *Conradi Heidmaieri* vacuam ex rescripto dd. 4 Junii ad nominationem Universitatis Regiamque praesentationem admodum reverendus *Bernardus Bernlochner* h. t. Landishuti ad S. Jodocum Beneficiatus obtinuit. Eodem autem clementissimo decreto placuit concedere, ut tria unita, quae ille hucusque possidebat beneficia cum dicta parochia Jodokiana pro sustentando proprio Praedicatore in posterum jungantur, huic ecclesiae tamdiu maneant incorporata, quamdiu aliquis Professor aut alius corpori academico adscriptus clericus eam tenuerit Parochiam.

Plurimum reverendus *Gabriel* **Knogler,** Benedictinus olim Schyrensis, Philosophiae D.r et Consiliarius ecclesiasticus, hoc tempore per annos unum et viginti publico docendi munere functus (duobus enim annis Frisingae, sex Ambergae, duobus Neoburgi, undecim in hac alma Universitate Ingolstadii et Landishuti Physices et Matheseos cathedram obtinuit) vigesimo primo Julii jam superioris anni ad parochiam Schatzhofiensem vacuam praesentatus erat. Ipse serenissimus Rex consignatis tunc 2 Martii sua manu literis Senatui academico, penes quem est jus praesentandi, enixius eum commendaverat. Cum autem clarissimus *Josephus Oeggl,* in superiori urbe *Ingolstadiensi Parochus,* proximo abhinc tempore obiisset, hanc illi urbanam potius parochiam ad D. Virginem Speciosam placuit conferre. Triennio vero post Vir religiosissimus ad parochiam *Wemdinganam* promotus est, quam zelosissimus animarum fidelium pastor tenuit usque ad 5 Martii 1838, quo demum die prope octogenarius in patriam migravit coelestem. *Schatzhofiensis* autem parochia per istam *Knogleri* translationem tunc temporis vacua reverendo *Jo. Paulo Klezlmaier,* Cooperatori in Zeillarn de re scholastica eximie merito, ad praesentationem Universitatis 2 Julii collata est.

Collegii Georgiani antistites prioribus seculis nihil fere cum publica literarum Universitate et Facultate theologica habuere commercii. Regens enim, qui Seminario illi praefuit, ab amplissimo Philosophorum ordine (solis scilicet tunc presbyteris Professoribus composito) designatns et a Serenissimo Principe confirmatus

Ao. 1806.

est, atque cum juniori aliquo clerico tanquam Subregente sibi assumto id unum habuit negotii, ut alumnos suos in celebrando Missae sacrificio, in recitandis horis canonicis, in praedicando verbo divino et sacramentorum administratione ceterisque functionibus, quae ad exercitium officii pastoralis pertinent, informarent. Curatio vero domestica tam disciplinaris quam oeconomica et totius rei familiaris administratio Professori cuidam tanquam illius Ephoro concredita fuit usque ad annum 1804, quo novus Regens sub voce „*Directoris*“ a Serenissimo Electore nominatus universae rei domesticae curatoriam suscepit, et in delectum numerum eorum, qui pro rebus Universitatis et Collegii Georgiani administrandis deputati sunt, cum voto et sessione receptus est. Similiter doctrina curae animarum sive theoretica Alumnorum in Theologia pastorali institutio hucusque alii atque alii publico et ordinario theologicae Facultatis Professori solebat demandari, donec hoc ipso anno ex decreto regio Idibus Julii huc transmisso plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus actualis *Matthias* **Fingerlos**, Seminarii clericorum Georgiani per biennium Director etiam Theologiae pastoralis *Professor* publicus et ordinarius clementissime designatus est. Ex quo tempore cuilibet, qui Collegio illi dirigendo praeficitur, simul Theologiam pastoralem, Homileticam, Catecheticam, Liturgicam tradendi provincia committitur.

Vigesimo Augusti Rex clementissime adnuit, ut Herbarium, quod *D. Natterer* in oppido Faucensi (Füssen) habuit venale, trecentis et viginti novem florenis ab Universitate emeretur. Sequiori decreto dd. 12 Decembris Regia Majestas etiam ratam habuit *Walradi* **Medici** Professoris submississimam propositionem, ut Bibliotheca academica *Skuhrii* imagines botanicas et *Kerneri* plantarum oeconomicarum imagines octo tomis in forma 4. editas pacto trecentorum triginta octo florenorum pretio suis sibi sumtibus compararet.

Ex decreto regio dd. 17 Octobris *Parochia Ergolding* dioeceseos Ratisbonensis per translationem prioris possessoris vacua ad praesentationem Universitatis reverendo *Carolo Waltl*, Cooperatori Mammendorfensi de re scholari et animarum cura per viginti annos optime merito Sacerdoti collata est.

Ao. 1806. In proximum annum scholasticum ab amplissimo Pleno per suffragiorum majoritatem Rector electus est ex juridica sectione magnificentissimus *Fr. Xaverius* **Krüll;** in Senatorum autem numerum loco discedentium suffecti plurimum reverendi *Ignatius Thanner* et *Paulus Hupfauer* ex ordine philosophico, clarissimique *Walradus Medicus* e sectione publico-oeconomica et *Augustinus Bertele* Medicinae Professor h. t. Prorector. Qui quidem omnes a regia Majestate pridie Cal. Novembris confirmati; in perpetuos autem Senatores e sectione Ictorum *Thaddaeus Goenner* Procancellarius et *Carolus Sebast. de Hellersberg,* e philosophica *Fr. de Paula Schrank* clementissime designati sunt. Rector quidem novus iterata supplicatione Rectoratum submississime deprecatus est varias excusationis causas adferens; sed frustra. Rex enim quarta Decembris ad Senatum rescripsit, Se persistere in Sua voluntate et confidere, fore ut vir egregie Sibi commendatus oblatum munus susciperet et pro sua prudentia et industria sustineret.

Res importuna sane ac permolesta versus anni hujus finem accidit. Adlatus est enim ad regiam Aulam nuncius, Academiae tranquillitatem *popularibus Studiosorum sodaliciis* atque inde obortis contentionibus ac *duellis* haud raro perturbari. Quare communicatum est Universitati die antepenultima Decembris celsissimum decretum, quo omnia ejus generis sodalicia quocunque nomine inita denuo ac severe prohibentur, ita ut quicunque post hujus interdicti publicationem in tali societate comprehensi fuerint, sive indigenae sive extranei sine ulla mora dimittantur, duces autem et propugnatores omnesque ex provocatione dimicantes et certaminum arbitri publica proscriptione relegentur; caupones vero, thermopolae, domorum locatores, qui aedes suas ad duella et comissationes commodant, quin statim eas Rectori aut publicae disciplinae Praefecto denunciaverint, primum decem deinde viginti imperialium poena ad fundum pauperum mulctentur; denique Medicinae et Chirurgiae Professores, Doctores, alii, qui vulneratos in duellis deligant sauciosque curant, severissime jubentur eorum nomina denunciare.

Literaria monumenta hoc anno ediderunt Professores
in sectione *theologica:*

Ao. 1806.

Michaël **Sailer**, Wie Ankömmlinge auf Universitäten ihre Studien einrichten sollen, Monach. 8.

Patric. **Zimmer**, Theologiae christ. specialis et theoret. P. IV, Aug. Vind. 8.

in *juridica:*

Thaddaeus **Gönner**, Kritik des Entwurfs einer neuen Gerichtsordnung für die chursächsischen Länder, Landish. 8; Ueber die Nothwendigkeit einer gründlichen Reform des in Deutschland geltenden Privatrechts, ibid. 8.

in *medica:*

Ant. **Schmidtmüller**, Beitrag zur Organisirung des Medicinalwesens in Deutschland, in *Augustini* „Archiv der Staatsarzneikunde", T. I. P. 1 & 2; Beiträge zur Vervollkommenung der Staatsarzneikunde, additamentum ad Enchiridion biennio abhinc typis evulgatum, Landish. 8; Medicinische Adversaria, in *Hornii* „Archiv" &c., T. IV. fasc. 2.

Phil. Fr. **Walther**, Merkwürdige Heilung eines Eiterauges, nebst Bemerkungen über die Operation des Hypobion, Landish. 8.

Andr. **Röschlaub**, *John Brown's* sämmtliche Werke, herausgegeben &c. T. I et II. Francof. ad M. 8.

in *philosophica:*

Jos. **Milbiller**, Kurzgefasste Geschichte von Bayern, Monach. 8.

Ign. **Thanner**, Die Idee des Organismus, angewandt auf die höheren Lehrgeschäfte, Monach. 8.

Ao. 1807.

ANNO DOMINI MDCCCVII.

Rector DLVII: **Franciscus Xaverius** KRÜLL, Jur. utr. D., Serenissimi Regis Bavariae Consiliarius aulicus act.; Encyclopaediae et Methodologiae juris, Processus ac Juris civilis Bavarici, Juris item feudalis et Juris privati Germani Professor p. o.

Nov. Inscripti 216.

Illustres:

Antonius **Comes de Lerchenfeld,** Monacensis; Jurium Cand.

Carolus **L. B. de Imhof,** Augustanus; Cameral. C.

Fridericus Carolus **L. B. de Eyb,** Eichstettensis; Jur. C.

Ferdinandus **L. B. de Schoepf,** Manhemiensis, tribunus militum in Magno-Ducatu Badensi; Jurium Cand.

Josephus Augustus **Comes de Toerring-Gutenzell,** Monacensis; Jur. C.

Maximilianus **Comes de Preysing,** Monacensis; Jur. C.

Leopoldus **Comes de Arco,** Tyrolensis; Jur. C.

Carolus **L. B. de Leoprechting,** Heidelbergensis; Jur. Cand.

Novi Profess.

Guilielmus **Butte,** Oeconomiae publicae hucusque Doctor legens, nunc Statisticae et publicae disciplinae, quam Policiam hodie vocant, Professor p. o.

Joannes Nepom. **Fuchs,** Chemiam et Mineralogiam antehac privatim docens, nunc earundem Professor p. o.

Georg. Antonius **Dätzel,** e schola saltuaria Weihenstephanensi huc translatus, rei saltuariae et agriculturae Prof. p. o.

Fridericus **Köppen,** Pastor Calvinianus Bremensis; Philosophiae Prof. p. o.

Ao. 1807.

Jacobus **Salat,** in Lyceo Monacensi antehac Theologiae, nunc in hujate Academia Philosophiae Prof. p. o.

Novi Doctt.	*Carol. Guilielm. L. B. de Tröltsch,* Nördlinganus Suevo-Bav.	*Jur.*
	Michaël Hornsteiner, Werdenfeldensis Bojus	*Publ.-oecon.*
	Joseph. Löw, Esslarnensis in Palatinatu sup.	*Med.*
	Jo. Bapt. Liebl, Solisbacensis in Palat. sup.	*Philos.*

Ex Inscriptorum hoc anno numero inprimis mihi memorandi sunt: *Martinus Deutinger,* Wartenbergensis Bojus, Philos. Candidatus I anni, de quo meritissimo viro ad a. 1813 plura; et *Eduardus de Schenk,* Düsseldorpiensis, Physices Studiosus, postea Regis Bav. a rebus internis et scholasticis Administer, postremo regiminis per Palatinatum superiorem Praeses; *Frider. Carol. Loë,* Eichstettensis, Med. Cand. et *Jo. Baptista Rainer,* Elsendorfiensis prope Abensbergam, postero tempore in hac alma literarum Universitate Professores; porro *Carol. Lippl,* Molitoris filius Pressfurthensis, Med. Cand., triennio post ejusdem D^r^, nunc in provincia Bav. superioris Consiliarius medic. et Ordinis merit. S. Michaëlis Eques; *Jo. Georgius Krabinger,* Oberbergkirchensis Boj., Philologiae Cand. post scientiarum Academiae Monac. socius ord., reg. aulic. Bibliothecarius, et Ordinis Bav. meritorii S. Michaëlis I Cl. Eques.

Gravissimum Senatui academico negotium sub initium hujus anni facessiverunt *exempla quaedam strenuioris disciplinae,* quibus in nonnullos Studiosos animadversum est. Cum enim iterata monita, ut a nocturnis ultra tempus compotationibus, inconditis per plateas clamoribus, rixis ac duellis abstineant, minus valuissent, imo petulantia quorundam et protervia eo usque procederet, ut chartae passim contumeliosae in Rectorem legibus strenuissime invigilantem spargerentur, Regia Majestas vigesimo Januarii decretum emisit aliquanto severius, quo scilicet Studiosi tam indigenae quam peregrini, quicunque popularium sodaliciorum praesides aut seniores extiterint, et certamina singularia sive provocasse

Ao. 1807. sive subiisse fuerint convicti, sine mora ab Universitate partim in tempus dimissi, partim in perpetuum relegati sunt. Sed et ceteri, qui duellorum quomodocunque participes fuisse aut turbatores tranquillitatis deprehensi sunt, alii complurium dierum carcere detenti, alii insuper consilio abeundi coërciti poenas dederunt. Acerrime autem inquisitum est in auctores infamium libellorum. Rector ob gravitatem et constantiam, quam in hac causa praebuit, merito laudatur; frivola vero et animosa in eundem denunciatio et erga Studiosos conniventia quorundam Professorum, maxime *Gönneri,* acriter reprehenditur, iidemque serio jubentur omni ope atque opera eniti, ut disciplina ab omnibus sine ullo personarum respectu exigatur.

Decimo quinto Februarii improvisam mortem oppetiit plurimum reverendus *Leonardus Gregorius* **Reiner,** Philos. D.r et Consiliarius regio-ecclesiasticus, Prof. Philosophiae p. o., qui quidem in omni fere quas classicas dicimus literarum genere versatus uberrimam ingenii eruditionem et copiam cum vegeta suavique elocutione conjunxit, sed etiam suo prolixiori interdum ingenio nimis indulsit. Succubuit autem morbo laborans hydropico pectoris aetatis anno quinquagesimo primo, dum celeri passu properabat in suburbium Seligenthal, ubi nescio quo casu incendium conclamatum fuit. R. i. p. Ejus loco per regium decretum dd. 8 Maji clarissimus Jurium Professor *Theophilus Hufeland* perpetuus Senator clementissime nominatur.

Sub finem mensis Martii clarissimus Philosophiae D.r *Carolus Guilielmus Fridericus* **Breyer,** per annos duos et semissem heic Historiarum Professor, a scientiarum Academia Monacensi nuperrime restaurata inter socios ordinarios adlectus Monachium avocatus est, ubi pariter in regio Lyceo Historiarum cathedram egregie illustravit et proximo anno a Regia Majestate in Ordinem eorum, qui ob civilia sua merita nobilitantur, clementissime assumtus est. Scripta, quibus post suum a nobis discessum inclaruit, haec sunt in primis memoratu digna: *Ueber Aventin, den Vater der baierischen Geschichte,* oratio quam in prima sessione publica regiae Academiae denuo instauratae die 28 Septembris 1807 peroravit typisque edidit Monachii; *Geschichte des dreissigjährigen Krieges,* e manuscriptis hausta nondum editis, T. I. Monach. 1811. 8;

Ao. 1807.

Beiträge zur Geschichte des dreissigjährigen Krieges, ibid. 1812; *Lehrbuch der allgemeinen Geschichte für die Studienanstalten des Königreichs Bayern*, II Partt. ibid. 1817. 8. — Obiit morte immatura abreptus die 28 Aprilis 1818 aetatis anno quadragesimo sexto. Defuncti laudes oratione funebri egregie celebravit D. *Fridericus Thierschius,* Monach. 1818. Erat vir comti et eruditi ingenii et in omni fere quas classicas vocamus literarum genere versatissimus, integerrimae vitae cultor, uxoris amantissimus, in discipulos benevolentissimus, collegis suis amicissimus.

Plurimum reverendus *Patricius* **Zimmer**, Consiliarius ecclesiasticus et Theologiae dogmaticae hucusque Professor meritissimus, cui adversarii clam palam jam a suo in hac Universitate adventu fallacias struere non desistebant, structis denique eorum insidiis oppressus mense Novembri superioris anni a publico docendi munere *amotus* est. Verumtamen haud diuturnus fuit inimicorum triumphus. Jam enim mense Aprili hujus anni Universitati clementissime *restitutus,* nunc autem *Archaeologiae biblicae* et *S. Exegeseos* Professor p. o. designatus est.

Vigesimo nono Martii augustissimus Rex MAXIMILIANUS JOSEPHUS datis ad Rectorem Senatumque literis praecepit, ut, postquam constitutio Imperii Romano-Germanici desierit existere, *gradus academici* in Universitatibus regni Bavarici non sicut hucusque fieri solebat, ex imperiali ac pontificia potestate sed *sola regia* in posterum *auctoritate* conferrentur.

Hoc decretum brevi post subsecutum est alterum dd. 8 Maji, quo etiam de *officio* **Procancellarii** *academici* aliter providetur. Ex Electorali enim ordinatione dd. 26 Januarii 1804 clarissimus Jurium Professor et Consiliarius aulicus *Nicolaus Thaddaeus Gönner* ad revocationem usque ac salva suprema tertio quovis anno repetenda confirmatione vice Cancellarii fungebatur. Cum autem munus istud innitatur legibus et institutis, quae non amplius actu valent, nunc elapso primo triennio clementissime sancitur, ut in futurum *quicunque* **Rector** *Universitatis* fuerit electus et confirmatus, jus etiam habeat et potestatem, omnium sectionum *Decanos* seu Directores *ad gradus academicos Licentiatus* nempe et *Doctoratus* (Baccalaureatu penitus abrogato) rite conferendos *Regiae Majestatis nomine* auctorisandi.

Ao. 1807. Plurimum reverendus *Florianus Atzenberger,* qui superiori anno in Ducali clericorum Collegio Georgiano Subregens designatus fuerat, ad preces suas ab hoc officio dimissus theologicas, ut antea solebat, disciplinas privatim tradere perrexit.

Octavo item Maji praenobiles ac doctissimi *Guilielmus* **Butte** et *Jo. Nepomucenus* **Fuchs,** quorum alter publicam Oeconomiam alter Chemiam et Mineralogiam hucusque in hujate Academia privatim tradiderunt, ad cathedras *ordinarias* in sua quisque Facultate promoti sunt, annuo mille et ducentorum florenorum salario utrique assignato.

Eodem die ac mense in sectione publico-oeconomica Professor p. o. designatus est etiam plurimum reverendus olim Societatis Jesu presbyter, *Georgius Antonius* **Dätzel,** Furthensis Palatinus. Is 5 Februarii 1752 natus omnia sua a puerili institutione literarum studia Monachii emensus, ibique 15 Aprilis 1775 sacro sacerdotio initiatus ab anno 1780 primum in Electorali Epheborum aulicorum paedagogio et decennio post in schola saltuaria Weihenstephanensi prope Frisingam hoc ipso anno sublata Matheseos Professor publice cum summa laude docuit. Sed etiam scripta, quae in lucem jam tum ediderat, viri et ingenium et industriam eximie commendarunt; e. gr. *Theorie der Wasserschraube,* Monach. 1775. 8; *Praktische Anleitung zur Forstwissenschaft,* c. tabb. aeri incis. ibid. 1788; *Lehrbuch für die pfalzbaierischen Förster,* opus jussu Electorali post *Ge. Grünbergerum,* qui tomum I ediderat, continuatum et tribus voluminibus absolutum, Monach. 1790; *Grundlehren der allgemeinen chemischen und physischen Eigenschaften der Körper und ihrer einfachen Bestandtheile,* ibid. 1793; *Ueber Forsttaxirung und Ausmittlung des jährlichen nachhaltigen Ertrages* &c., c. charta saltuaria picta et figuris, ibid. 1793; *Anfangsgründe der Goniometrie oder der analytischen Trigonometrie und Polygonometrie* &c. ibid. 1800; *Anleitung zur Forstwissenschaft,* ib. 1802. II. 8. Scripsit idem multas praeterea in variis ephemeridibus insertas commentationes.

Eodem fere tempore ex urbe Hanseatica Brema huc advocatus est vir clarissimus ac perdoctus, *Fridericus* **Köppen.** Hic Lubecae, patre Augustanae confessionis Parocho 21 Aprilis 1775 natus et ibidem in schola Catharinea studiis humanioribus eruditus

Ao. 1807.

est. Anno autem 1793 Jenam profectus Theologiae potissimum operam impendit, simulque philosophicis etiam *Fichtéi* et *Reinholdi* praelectionibus diligentissime interfuit. Triennio post Gottingam se contulit, et commentatione s. t. *„Versuch zur Bestimmung der Verhältnisse einer Offenbarung zu den Menschen“*, 1797 publicis ibi typis edita Helvetiam aliquamdiu peragravit, et in urbem patriam reversus elucubratis nonnullis dissertationibus brevi innotuit; unde anno 1804 a conventu Calviniano Bremensi Parochus electus, et postquam per tres annos plebem suam in sacris aedificaverat, ex decreto clementissimi Regis cum annuo bis mille et ducentorum florenorum salario et florenis mille et quingentis pro transmigratione assignatis in hac alma literarum Universitate Philosophiae Professor p. o. designatus est. Scripta autem, quibus ita se commendarat, fere haec sunt: *Lebenskunst, in Beiträgen,* Hamburg. 1801. 8; *Ueber die Unternehmer des Kriticismus, die Vernunft zum Verstande zu bringen,* ibid. 1801; *Ueber Offenbarung in Beziehung auf die Kant'sche und Fichte'sche Philosophie,* Edit. II. Lubec. 1802; *Reden über die christliche Religion,* Lubec. et Lips. 1802; *Schellings Lehre oder das Ganze der Philosophie des absoluten Nichts,* Hamburg. 1803; *Vermischte Schriften,* ibid. 1806; *Predigt, gehalten in der Kirche zum hl. Ansgar in Bremen am 21 Juni* 1807, qua oratione perorata typisque Bremae edita conventui suo valedixit. In Ludovico-Maximilianea nostra decima quarta Novembris lectionum suarum principium solemne habuit.

A Calendis Octobris nonnullis Professoribus annuum salarium clementissime auctum est, ita ut Conradus Dietr. Martinus *Stahl* et Franciscus Philippus *Walther* trecenorum, Ludovicus Walradus *Medicus* et Andreas *Röschlaub* ducenorum; Fr. Xaverius *Krüll,* Henricus Maria *de Leveling,* Maurus *Magold,* Josephus *Milbiller,* Fr. Xaverius *de Moshamm* et Antonius *Schmidtmüller* centenorum in posterum florenorum additionem impetrarent.

Ex decreto dd. 30 Octobris magnificentissimus Rector *Franciscus Xaverius* **Krüll** a Regia Majestate *etiam in posterum annum* in hoc summo academico munere confirmatus; porro *Nicolaus Thaddaeus* **Gönner** uti paullo ante a Procancellariatu ita nunc etiam ab officio *perpetui Senatoris* solutus est. Denique plurimum reverendus *Ignatius* **Thanner** a philosophica sectione in theologicam

Ao. 1807. translatus est, traditurus in posterum dogmaticam, cujus hucusque obtinuit cathedram religiosissimus Benedictus *Patricius* **Zimmer,** qui salvo suo annuo septingentorum florenorum stipendio denuo in tempus dimissus et ad parochiam suam abire jussus est, donec sibi de alia cathedra provideretur.

Senatores perpetui designati sunt Consiliarius aulicus *Fr. Xav. de Moshamm,* Consil. ecclesiasticus *Fr. de Paula Schrank,* Consil. aul. *Amadeus Hufeland,* Consil. gubernialis *Carolus Sebast. de Hellersberg;* annui autem Senatores electi sunt et confirmati Consiliarius medic. *Fr. Phil. Walther,* Consil. eccles. *Ge. Aloys. Dietl,* Consil. aulicus *Conradus Stahl,* et Consil. eccl. *Math. Fingerlos.* Directores s. *Decani* in posterum annum succedunt in Sectione theologica *Dr. Sebast. Mall,* in juridica *Dr. Fr. Xav. de Moshamm,* in cameralistica *Dr. Fr. de Paula Schrank,* in medica Sect. *Dr. Fridericus Tiedemann.* In Facultate philosophica, quae nunc generalium literarum Classis nuncupari solet, praeerit Sectioni primae (philosoph.) Consiliarius eccles. *Dr. Jacobus Salat,* secundae (physic. et mathemat.) *Dr. Maurus Magold,* tertiae (historicae) *Dr. Jos. Milbiller,* quartae (philolog. et aesthet.) *Dr. Ge. Aloys. Dietl.*

In *Thanneri* locum successit plurimum reverendus *Jacobus* **Salat.** Is Abbatisgemundi in regno hodie Württembergico 24 Augusti 1766 natus studiis Gymnasialibus Elvaci, philosophicis autem et theologicis in Universitate Dilingana, ubi praeside *Webero* pro gradu philosophico publice disputavit, egregia cum laude absolutis anno 1790 presbyter ordinatus est. A peregrinatione, quam literarum causa sumtibus reverendissimi ac celsissimi Principis et Episcopi Augustani *Clementis Wenceslai* parabat, ob belli aerumnas desistere coactus aliquamdiu pastorali curae animarum incubuit et post triennium parochiam in Zusramzell, qui pagus Augustam Vindelicorum inter et Dilingam situs est, suscepit. Sed acerbe illic ab hostili milite, acerbius etiam ab inimicis, qui impietatis eum et haereseos accusabant, impetitus cupide ac libenter locum istum cum alio commutandi occasionem arripuit, cum patrocinante Casparo Antonio de Mastiaux parochia Haberskirchen prope Friedberg sibi offerretur. Jam vero 1801 Monachium evocatus, ibique in Lyceo Electorali Theologiae moralis et pastoralis cathedram per obitum beatissimi *Mutschelle* vacuam brevique post etiam

Ao. 1807.

parochiam Arnsbacensem in partem salarii obtinuit; hoc ipso autem tempore 1807, quo studiorum sectio theologica ibi suppressa et cum Universitate Landishutana unita fuit, ex decreto regio dd. penultimo Octobris huc translatus et Professor p. o. amplissimae Philosophorum sectioni cum annuo nongentorum florenorum stipendio adscriptus est. Idem compluribus, jam antequam huc pervenit, libris orbi literario innotuit, e quorum numero eos tantum, quos seorsim edidit, sufficiat recensere, nempe: *Ein Paar Worte über die Frage: Führt die Aufklärung zur Revolution?* Monach. 1802. 8; *Winke über das Verhältniss der intellectuelen und verfeinernden Cultur zur sittlichen,* ibid. 1802; *Einige Züge aus dem Charakter eines würdigen Lehrers,* ib. 1803; *Ueber den Geist der Philosophie* &c. ib. 1803; *Die Aufklärung in Bayern im Contrast mit der Verfinsterung im ehemaligen Hochstift Augsburg* (Ulmae 1803); *Der Geist der allerneuesten Philosophie der HH. Schelling, Hegel und Compagnie* &c. Monach. II. Partt. 1803—1805; *Die Philosophie mit Obscuranten und Sophisten im Kampfe,* Ulm. 1803; *Auch die Aufklärung hat ihre Gefahren,* Mon. 1804; *Fortschritte des Lichts in Bayern,* Ulm. 1805; *Ueber den Geist der Verbesserung im Gegensatze zum Geiste der Zerstörung,* Mon. 1805; *Die reinmenschliche Ansicht der Ehe,* ib. 1807; alia permulta, quae variis Ephemeridibus inseruit.

Cum non oporteat, eos, quibus publicum docendi munus academicum suscipere in animo est, a scholae subselliis in cathedras statim imponere, sed dudum lege sancitum sit, ut ejusmodi Candidati quadriennali discendi tempore in patria Universitate rite peracto et exantlatis examinibus rigorosis saltem unum et eum quidem continuum per annum studiis et exercitationibus non intermissis perfectiorem doctrinae suae sibi cognitionem et experientiam comparare pergant, speciali decreto regio dd. 25 Decembris (!) praecipitur, nequis in posterum Doctor legens admittatur, nisi servatis istis conditionibus etiam extraneam aliquam eamque celebritate conspicuam per integrum annum frequentaverit Academiam, atque adlatis inde publicis aliisque fide dignis attestationibus quam maxime profecisse se probaverit.

Elucubratas hoc anno commentationes typis publicis ediderunt Professores

Ao.
1807. in sectione *theologica:*

Sebastianus **Mall,** Lehrbuch der hebräischen Sprache, Landish. 8, qui liber posthac ter est recusus.

Antonius **Michl,** Christliche Kirchengeschichte, P. I. Monach. 8.

Mich. **Sailer,** Ueber Erziehung für Erzieher, Mon. 8; Das Heiligthum der Menschheit, II. Partt. ib. 8; Vom Verhalten des denkenden Mannes in Hinsicht auf sein Zeitalter, Landish. 8.

Vit. Ant. **Winter,** Die drei grossen Synoden der Agilolfing'schen Periode zu Aschheim, Dingolfing und Neuching, kritisch bearbeitet; quae lucubratio inserta est Actis histor. regiae scientiarum Academiae Monacensis h. a. editis. 4.

in *juridica:*

Thadd. **Gönner,** Ueber den Umsturz der deutschen Staatsverfassung und seinen Einfluss auf das Privatrecht in den neuen Staaten der rheinischen Conföderation, Ldsh. 8.

Theoph. **Hufeland,** Handbuch der Staatswirthschaftskunst, T. I. Giessae. 8.

Fr. Xav. **Krüll,** Handbuch des bayerschen gemeinen bürgerlichen Rechts, III Tomis Ldsh. 8.

in sectione *medica:*

Andr. **Röschlaub,** Num in medico potestas formationem et incrementum foetus limitandi moderandique? Ldsh. 4; Lehrbuch der besonderen Nosologie, Iatreusilogie und Iatrie, T. I. Sect. 1. Francof. 8; *John Brown's* sämmtliche Werke herausgegeben &c. T. III. Francofurt. ad M. 8.

Jo. Ant. **Schmidtmüller,** Jahrbuch der Geburtshülfe, oder Kritische Uebersicht der Literatur und des Standes der Geburtshülfe von 1802 bis Ostern 1806, T. I. Erlang. 8; Was hat sich die Geburtshülfe von der bisherigen

Ao.

naturphilosophischen Behandlung der Medicin zu versprechen; et: Beschreibung und Abbildung missgestalteter Zwillinge und ihrer Placenta, duae dissertatt. ed. in ephemeride Sieboldi „*Lucina*“ ad a. 1807. T. IV. Nro. 1. 2. 1807.

Phil. Fr. **Walther,** Physiologie des Menschen mit durchgängiger Rücksicht auf die comparative Physiologie der Thiere, in usum lectionum academicarum T. I. Ldsh. 8.

in classe *philosophica:*

Frider. **Ast,** Grundriss einer Geschichte der Philosophie, Landish. 8.

Ge. Aloys. **Dietl,** Lebensbeschreibung G. A. Dietls (quam sibi ipse vitam scripsit), typis ed. in opere, cui tit. „Gallerie denkwürdiger Bayern“ Fasc. I. Monach. 8.

Ant. **Drexel,** Anthologie aus Italiens klassischen Schriftstellern, Tomi II. Ldsh. 8.

Frider. **Köppen,** Ueber den Zweck der Philosophie, Ldsh. 8.

Ignat. **Thanner,** Handbuch der Vorbereitung und Einleitung zum selbstständigen wissenschaftlichen Studium besonders der Philosophie, P. I: Lehrbuch der Logik, Monach. 8.

ANNO DOMINI MDCCCVIII.

Ao.

Rector DLVIII: **Fr. Xaverius** DE KRÜLL, Jurium Dr, regii Ordinis Coronae Bavaricae pro meritis civilibus Eques, Consiliarius regius aulicus actualis et Jurium Prof. p. o. II. 1808.

Ao. 1808. Nov. Inscripti Illustres: 209.

Josephus Antonius **L. B. de Freyberg** in Raunau, Jurium Cand.

Maximilianus **Comes de Lamberg** ab Amerang, Ratisbonensis; Philos. C.

Fridericus **L. B. de Wulfen,** Passaviensis; Jurium et Cameral. C.

Carolus **Comes de Piatti,** Bipontinus; Cameral. C.

Ernestus **Comes de Fugger,** Dominus hereditarius a Gloett, et fratres

Carolus, Josephus, Eberhardus **Comites de Fugger** in Gloett, Gloettenses Suevi, Philosoph. Candidati.

Franciscus **Comes de Aham,** Neohusanus Austriacus; Jur. C.

Jo. Bapt. **L. B. de Reichlin,** Felhemiensis Suevus; Jur. C.

Maximilianus **L. B. de Freyberg,** Monacensis; Jur. Cand.

Serenissimus Dominus **Ludovicus Ernestus** *Princeps hereditarius de* **Oettingen-Oettingen** *et* **Oettingen-Wallerstein,** *Baltern et Zoetern,* &c.

Novi Profess.

Patricius **Zimmer,** tertium restitutus; jam vero sacrae Exegeseos Prof. p. o.

Benedictus **Schneider,** Dogmaticae antehac in regio Lyceo Monacensi; nunc ejusdem in hujate Academia Prof. p. o.

Conradus **Mannert,** antea in Universitate Wirceburgensi; nunc in nostra Ludovico-Maximilianea Historiarum et rei statisticae quam vocant Prof. p. o.

Fridericus Carolus **de Savigny,** Marburgo huc advocatus, Juris romano-civilis Prof. p. o.

Priv. Docens:

Eduardus Henke, in Universitate Erlangensi antehac, nunc in hujate Jurium Doctor legens.

Ao. 1808.

Novi DD.r 26 Mart. *Herenaeus Haid,* Geissenfeldensis Boj. } *Theol.*
4 Aug. *Frider. Brenner,* Bambergensis Franco }
Georg. Leonard. Dresch, Forchhemiensis Franco, } *Jur.*
2 Sept. *Chrph. Frider. Jäger,* Kirchbergensis e ditione Hohenlohica, }
— *Fr. de Paula Gruithuisen,* Hattenbergensis Suev. } *Med.*

Hoc anno inter Candidatos *Theologiae* eximiores Albo academico immatriculati sunt *Petrus Emanuel de Grimeisen,* Serenissimi Principis Ernesti de Oettingen gubernator et saecularisatae cathedralis ad S. Petrum ecclesiae Fritzlariensis Canonicus capitularis; *Fridericus Wiedemann,* Schlichtensis Palatinus, Theologiae Candidatus et in Collegio Georgiano Alumnus, postea ejusdem Seminarii clericorum Director et in hac Universitate Professor saepius in hisce annalibus laudandus; *Josephus Wurm,* Grossaigenensis prope Furthum Bojus, Theolog. Cand. et Seminarii Georgiani Alumnus, sequiori tempore Parochus in Riedering et Camerarius Decanatus ruralis Rosenhemiensis, postremo archiepiscopalis Consiliarius et Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus capitularis. Prae omnibus autem memorandus est *Franciscus Reisinger,* Consiliarii aulici filius Augustanus, Medicinae Cand., meritissimus postea in hac ipsa Universitate Prof. ejusque benefactor excellentissimus.

Praenobili *Josepho Miltermaier* Monacensi, Jurium Candidato, de ingenii animique virtutibus et morum probitate eximie commendato per decretum d. 22 Januarii ad scientias suas in extranea aliqua Universitate penitius excolendas sexcentorum florenorum stipendium assignatur ita, ut ducentos statim ad tempus profectionis, reliquos autem quadringentos trimestribus pensionibus percipiat.

Clarissimus *Dr. Theophilus* **Hufeland,** Jurium Professor et Consiliarius regius aulicus, a civibus suis Dantiscanis enixius invitatus, ut in urbe patria, quae suam ex pace Chronopolitana recuperaverat libertatem, summum nunc magistratum susciperet, datis supplicibus ad Majestatem literis gratiosam a publico docendi

Ao. 1808. munere dimissionem petiit, et per rescriptum clementissimum dd. 15 Aprilis impetravit. In vacuam per ejus abitum Juris Romano-civilis cathedram perillustris *Fridericus Carolus* **de Savigny** suffectus est. Is Francofurti ad Moenum natus 1779, studiisque humanioribus absolutis in literarum Universitate Marburgensi anno 1800 summis in philosophia et utroque jure decoratus honoribus scripta dissertatione inaugurali *„De concursu delictorum formali"*, Marburgi 1800. 8, maxime vero evulgata commentatione *„Das Recht des Besitzes, eine civilistische Abhandlung"* Gissae 1803, quae inde sexies recusa est, egregiam sibi peperit commendationem; unde Jurium Professor extraordinarius nominatus et lustratis per plures annos Germaniae potissimum et Francogalliae bibliothecis, ut abditos ibi aut minus cognitos juris Romani fontes inquireret et indagaret, die decimo tertio Maji hujus anni Landishutum arcessitus et cum annuo trium millium florenorum stipendio, florenis autem mille et quingentis pro transmigratione numeratis regius Consiliarius aulicus atque juris civilis Romani Professor p. o. designatus est, addita speciali promissione, ut post biennium, si forte Landishutum minus sibi gratum foret, aliam eligendi Academiam haberet potestatem.

Plurimum reverendus *Dr. Ignatius* **Thanner**, hucusque in hac alma literarum Universitate per triennium Philosophiae, anno autem proxime elapso Theologiae dogmaticae Professor p. o. ex iteratis regiis rescriptis dd. 19 Aprilis et 27 Maji salvo suo Consiliarii eccl. titulo et assignata centum et quinquaginta florenorum gratificatione Oenipontum missus est philosophiam ibi traditurus. Deinde ubi territorium Salisburgense, quod ex abdicatione Hieronymi Comitis de Colloredo celsissimi eousque Principis et Archiepiscopi saecularizatum primum sub Austriacam, dein sub Francogallicam venerat ditionem, postremo cum Bavarico regno unitum, Universitas autem Salipolitana 15 Novembris 1810 suppressa et in Lyceum commutata fuit, idem ad preces suas illuc translatus Philosophiae Professor et regii Lycei Director designatus est. Quo fungens munere quantopere in suis auditoribus virtutem simul cum doctrina suaderet, grato animo testantur, quicunque eum Professorem et Rectorem habuisse possunt gloriari. Erat enim subtilis ingenii, mirae eruditionis et felicissimae memoriae, rarae

Ao. 1808.

facundiae et summae gravitatis in administrandis omnibus officii sui partibus ita, ut non minus moribus et exemplo quam cohortationibus et doctrina juvenum avidissimos post se traxerit animos. Hoc ego quoque pretiosissimo duce et protectore studia mea philosophica per biennium peregi, nec ulla unquam memoriam dilectissimi viri delebit oblivio. Recentiores ex eo tempore edidit libros potissimum tres: *Versuch einer möglichst fasslichen Darstellung der absoluten Identitätslehre,* Monach. 8; *Lehr- und Handbuch der praktischen Philosophie* P. I: *Allgemeine praktische Philosophie und Naturrecht,* Salisbg. 1811; *Lehrbuch der theoretischen Philosophie nach den Grundsätzen der absoluten Identitätslehre,* P. I: *Logische Aphorismen,* P. II: *Metaphysische Aphorismen,* ibid. 1812; *Wissenschaftliche Aphorismen der katholischen Dogmatik für akademische Vorlesungen,* ib. 1816. 8. Neque vero posteaquam terra Salispolitana iterum in Austriacam venit ditionem, *Thannerus* commutare locum suum noluit, sed Reverendissimi illic Archiepiscopi pariter ac Caesareae Majestatis a Consiliis ecclesiasticis studii philosophici praeses et Lycei Director usque ad supremam senectutem permansit. Obiit vir meritissimus, jam dudum Maltseensis Capituli Senior et jubilaeus Sacerdos, Salisburgi 28 Maji 1856, aetatis anno octogesimo sexto. Sit ei merces copiosa nunc in coelis.

In vacuam autem per abitum Thanneri cathedram dogmaticam hujatis Academiae successit plurimum reverendus *Benedictus* **Schneider.** Is igitur, postquam anno 1799 Superiorum jussu in monasterium suum Oberaltacense redierat, ab anno autem 1804 inde iterum evocatus in Lyceo Monacensi Professoris Dogmaticae partes egregie sustinuerat, per regium decretum 19 Aprilis h. a. Universitati nostrae denuo clementissime restitutus est. Eodem celsissimo decreto etiam plurimum reverendus *Patricius* **Zimmer,** quem superiori anno in otium temporarium fuisse transditum comperimus, denuo professionem suam publicam et eam quidem in theologica sectione suscipere, jam vero pariter ac *Sebastianus Mall* Scripturas sacras jussus est interpretari.

Decendio post philosophica quoque Facultas, quam generalium literarum classem placuit appellare, novum nacta est incrementum arcessito Historiarum Professore clarissimo *Conrado* **Mannert.** Is patre chirurgo Altorfii natus 17 Aprilis 1756, ibi-

Ao.
1808. que exantlatis philosophicis studiis et elucubrata dissertatione inaugurali *„De Vandalis &c.“*, Altorf. 1783 typis edita, d. 22 Junii 1784 laurea doctorali coronatus, anno autem 1797 Historiarum et linguarum occidentalium Professor p. o. institutus et anno 1805 in alma literarum Universitate Herbipolitana receptus alacri sua et ex tempore docendi facultate magnum auditorum numerum ad se traxit et pellexit. Verum etiam scriptis libris dudum jam haud parum sibi peperit existimationis; elucubraverat enim antequam ad nos advenit: *Kurzer Entwurf einer Geschichte Genserichs und der Vandalen* &c. Altorf. 1782. 8; *Geschichte der Vandalen,* Lips. 1785; *Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexanders,* ibid. 1787; *Avantures de Joseph Pignata,* opus denuo elabor., Norimb. 1787; *Französisches Lesebuch,* ib. 1787; *Miscellanea,* ib. 1793; *Res Trajani imperatoris ad Danubium gestae,* libellus a societate scientiarum regia Göttingensi praemio donatus, c. figg. et mapp. geograph., ib. 1793; *Geographie der Griechen und Römer* T. I. Norimberg. 1795, quod opus praestantissimum intra annos 1795—1825 continuatum X tomis ibid. edidit; *Miscellaneen, meist diplomatischen Inhalts*, ibid. 1795; *Fr. A. Nitsch's Kurzer Entwurf der alten Geographie,* III Edit. Lips. 1798 (IV Edit. emend. ibid. 1802); *De numerorum, quos arabicos vocant, vera orig. Pythagor.,* Norimb. 1801; *Freiheit der Deutschen, adliche Knechtschaft* &c. ib. 1799; *Compendium der deutschen Reichsgeschichte,* Norimb. et Onolsbaci, 1803; *Geogr.-histor.-statistisches Zeitungslexicon von Wolfgang Jäger,* quod denuo curavit, T. I. ib. 1805; *Compendium der Statistik,* Bamberg. 1805; *Statistik des deutschen Reichs,* ib. 1806; *Die älteste Geschichte Bojoariens und seiner Bewohner* &c. Norimb. et Onolsbac. 1807. 8; *Statistik der europäischen Staaten,* Bamberg. 1808; Sic ore pariter atque calamo commendatus clarissimus *Conradus Mannert* per regium decretum die nono et vigesimo Aprilis h. a. emanatum Consiliarius aulicus necnon Historiarum et rei statisticae quam vocant Professor p. o. cum annuo bis mille et quingentorum florenorum salario ac numeratis mille florenis in itineris compensationem designatus, eodemque hoc anno a scientiarum Academia Monacensi socius in ordine assumtus est.

Hoc anno praenobilis ac clarissimus *Philippus Franciscus* **Walther,** Consiliarius regius medicinalis et Chirurgiae Professor p. o.

Ao. 1808.

ob egregia sua de re medica et chirurgica arte merita equestri cruce civilibus de Corona Bavarica meritis dicata a Regia Majestate insignitus est. Idem honoris ac nobilitatis decus consecuti sunt meritissimi VV. DD. Medicinae Prof. *Aloysius* **Winter**, Prof. publicae oeconomiae *Fr. de Paula* **Schrank**, et Jurium Prof. *Fr. Xaverius* **Krüll** h. t. iterum Rector Magnificus.

Decimo tertio Junii nervosa febri nobis ereptus est inprimis reverendus ac doctissimus *D. Paulus* **Hupfauer**, S. Theologiae et Philosophiae Dr., regius Consiliarius actualis, communis Historiae literariae Professor et superior Universitatis Bibliothecarius, monasterio Canonicorum regularium Beuersbergensi olim Praepositus. Fuit is eximio religionis studio, rectis et antiquis moribus, singulari in rebus literariis solertia et ab officio suo nihil recedens, tamen gloriae laudisque minime cupidus, vir veracissimi ingenii, simulandi ac dissimulandi plane nescius, amicis denique ob eximium animi candorem pretiosissimus. Uberius Defuncti laudes oratione funebri 20 Junii in ecclesia academica perorata complexus est Professor *Fr. de Paula de Schrank*. Eidem die 28 ejusdem mensis etiam Professores Gymnasii cum suis discipulis in ecclesia olim Melitensium solemni Missae sacrificio et oratione panegyrica parentarunt. Erat enim *Hupfauerus* p. m. humaniorum studiorum regius Commissarius. In ejus successorem quoad officia academica anno uno et dimidio post suffectus est clarissimus *Jo. Christianus Siebenkees*, de quo infra ad a. 1810. Interea plurimum reverendus Subbibliothecarius *Antonius Drexel*, qui et ipse officio suo se abdicare voluit, solus utriusque negotia suscepit, majorem tamen laboris partem injiciens in reverendum Exbenedictinum *Maurum Harter* t. t. Custodem, cui propterea exiguum, quo hucusque fruebatur, modice salarium auctum est.

Ex Theologiae Candidatis hoc anno duo laurea doctorali insigniti sunt. Vigesimo nempe secundo Martii *Herenaeus Haid*, cujus jam ad a. 1804 honoris ergo inter Inscriptos mentionem fecimus, dissertatione cum thesibus ex universa theologia propugnata doctoratus gradum praemii loco recepit, cum quaestionem superiori anno pro capessendis summis in theologia honoribus a sacrosancta Facultate propositam: *„Welches ist das Wesen der Sokratik und welche sind die davon abgeleiteten Grundsätze und*

Ao.
1808. *Regeln?*“ egregie solvisset. Quarto autem Augusti *Fridericus Brenner* Bambergensis exantlato tentamine rigoroso habitaque publica disputatione et perorata, quam typis Landishuti in 8. edidit, dissertatione: *„Was ist ein wahrer Gottesprophet nach dem Sinne der Schrift?“* eodem academico honore est decoratus. Idem postea Bambergae S. Theologiae dogmaticae Professor compluribus scriptis praesertim libro c. t. *„Katholische Dogmatik“* Bamb. 1817—1819, secundis curis Francof. 1827—1830, et tertiis Ratisbon. 1837 sq. edito catholico orbi innotuit, et postremo Ecclesiae metropolitanae Bambergensis Canonicus ejusdemque Capituli Decanus institutus est.

Ex neocreatis Medicinae Doctoribus praenobilis *Josephus Loew*, Eslarnensis Palatinus non solum animi indole atque eruditione sed etiam plurimarum virtutum ornamentis prae ceteris meretur commemorari. Atvero is, postquam perorata, quae nuperrime praemio donata fuit et in forma 4. typis evulgata, dissertatione inaugurali *„Ueber die sympathetischen Wirkungen der Dinge“* summos honores recepit, et aliam eodem fere tempore commentationem *„Ueber den Urin als diagnostisches und prognostisches Zeichen in physiologischer und pathologischer Hinsicht“* viris doctis eximie probatam publici juris fecit, hoc ipso nondum elapso anno, aetatis suae vix quinto et vigesimo medios inter conatus officii sui typho correptus vitam posuit.

Quaestionem pro capessendo gratuito gradu doctoratus ab amplissima Sectione *publico-oeconomica* superiori anno propositam *„Gründliche Beurtheilung der baierischen Grundvermögens-Steuer-Einrichtung, verbunden mit Bestimmung des Werthes des ursprünglichen Steuer-Quantums“* egregie persolvit *Jo. Georgius Strobel*, Landishutanus, et huic proxime accessit *Georgius Reindl*, Esslarnensis e Palatinatu superiori. Id quod in Sessione amplissimae Facultatis die 28 Augusti h. a. habita per pluralitatem suffragiorum decisum et publice pronuntiatum est.

In Sectione autem *juridica* elucubrata dissertatione *„Vergleichung der römischen, baierischen und französischen Gesetze über den Vollmachts-Vertrag“* de proposito praemio quatuor Candidati concertarunt, e quibus *Augustinus Buchner* Murnaviensis Bojus unanimi Professorum consensu dignissimus judicatur, cui summi in utroque jure honores praemii loco gratis conferantur.

Ao. 1808.

Ingolstadii in parochiam *Mauritianam*, quam plurimum reverendus *Dr. Jo. Nepom. Mederer* hujus Academiae meritissimus olim Professor ac Procancellarius hucusque possedit (Cf. a. 1800), ad Universitatis nominationem 23 Augusti a Regia Majestate praesentatus et a Reverendissimo Ordinariatu Eichstettensi institutus est *Franciscus Xav. Therer,* Monacensis Bojus, regius Consiliarius actualis et antea Parochus in Mamendorf toparchiae Dachaviensis.

Datis ad Senatum die 21 Octobris literis edicitur, ut in promotionibus theologicis *symbolum fidei Tridentinum* in posterum non publice pro more ab antiquis tradito et usitato, sed in alio quopiam conclave praesentibus solis theologicis Professoribus a promovendo peroretur; in reliquis autem Facultatibus omnino omittatur.

Ex clementissimo regio rescripto die vigesimo primo Octobris magnificentissimus per pluralitatem suffragiorum etiam in posterum annum electus *Franciscus Xaverius* **de Krüll** tertium jam in supremo Rectoris munere confirmatus est. Perpetui, qui a Rege designantur, Senatores iidem ac hucusque excepto *Hufelando,* qui in suam patriam dimissus abiit, in consessu maneant; in numero autem eorum, qui quovis anno per scrutinium constituuntur, noviter electi confirmatique sunt clarissimi Professores *Sailer, Medicus, Köppen, Mannert.* Directores singulis Sectionibus praeficiuntur, theolog. *Schneider,* jurid. *Michl,* publico-oecon. *de Schrank,* medicae *Schmidtmüller;* quatuor denique philosophicae Classis sectionibus *Köppen, Fuchs, Drexel, Mannert.*

Vigesimo octavo Octobris in sectione juridica praenobilis *Hermannus Guilielmus Eduardus* **Henke** Jurium Doctor legens assumtus est. Fuit is celeberrimi Medicinae Professoris Erlangensis Adolphi Henrici frater minor, Brunsvigae 28 Septembris 1783 patre ibidem praedicatore natus. In Gymnasio urbis patriae Catharineo et collegio Carolino studiis primum humanioribus, deinde in literarum Universitatibus Helmstadiensi et Gottingana etiam Jurisprudentiae disciplinis egregie instructus et propugnata dissertatione inaugurali *„De vera criminis laesae majestatis indole atque poena“* (Helmstadii 1806. 4) summis in utroque jure honoribus insignitus, aliquamdiu Brunsvigae Advocati officio functus est; anno autem 1806 in Academia Erlangensi veniam legendi petiit

Ao. 1808. et impetravit. Elucubrato ibi opere *„Criminalistische Versuche“* T. I. Berolini 1807; et tomo I libri c. t. *„Versuch einer Geschichte des deutschen peinlichen Rechts und der peinlichen Rechtswissenschaft“*, Solisbaci 8. edito, Landishutum se contulit, ubi pari conditione varias deinceps juris cum civilis tum criminalis disciplinas privatim tradere auspicatus est.

Literarios partus hoc anno ediderunt Professores,

in sectione *theologica:*

Sebastian. **Mall**, Hebräische Sprachlehre, Ldsh. 8.

Michaël **Sailer**, Winkelhofer, der Mensch und Prediger, Monach. 8; Herbstblumen, ib. 8; Friedrich Christians Vermächtniss an seine Söhne, Straubing. 8.

Ignat. **Thanner**, Handbuch der Vorbereitung und Einleitung zum wissenschaftlichen Studium besonders der Philosophie, P. II: Lehrb. d. Metaphysik, Monach. 8.

Vit. **Winter**, Erster Nachtrag zu den drei grossen Synoden der Agilolfingischen Periode, Ldsh. 8.

in sectione *juridica:*

Thadd. **Goenner**, Der Staatsdienst aus dem Gesichtspunkte des Rechts und der Nationalökonomie betrachtet, Landish. 8; Archiv für Gesetzgebung und Reform des juristischen Studiums, T. I, quod opus tomis IV absolutum intra annos 1808—1814 in lucem prodiit Landish. 8.

Car. **de Hellersberg**, Umständliche Recension der ältesten Geschichte Bojoariens von *Mannert*, quam recensionem cum aliis ejusdem generis scriptis edi curavit in Prof. D. *Astii „Zeitschriften für Wissenschaft und Kunst“*, T. I. Fascc. 1. 2. 4.

Theoph. **Hufeland**, Pandekten-Compendium oder Lehrbuch des in Deutschland geltenden gemeinen und subsidiären Civilrechts, T. I. Giess. 8.

Ao. 1808.

Fr. X. **de Krüll,** Handbuch des bayerischen gemeinen bürgerlichen Rechts, III Ti. Ldsh. 8.

in sect. *publico-oeconom.*

Walr. **Medicus,** Kann der Unterricht einer Special-, Forst- und Landwirthschafts-Schule durch den Universitäts-Unterricht surrogirt werden? Ldsh. 8.

in *medica* sectione:

Andr. **Roeschlaub,** Lehrb. der besonderen Nosologie, Sect. 2, Francof. 8.

Ant. **Schmidtmüller,** Handbuch der medicinischen Geburtshülfe, etiam c. inscriptione: Die Krankheiten der Schwangeren &c., II Partes, Francof. 8.

Frid. **Tiedemann,** Allgemeine Zoologie des Menschen und der Säugethiere, Ldsh. 8.

Phil. Fr. **de Walther,** Physiologie des Menschen &c. in usum praelectt. suarum, T. II. Ldsh. 8.

in classe *generali:*

Frid. **Ast,** Grundriss der Philologie, Ldsh. 8; Grundlinien der Grammatik, Hermeneutik und Kritik, ibid.; Entwurf der Universalgeschichte, ib.; Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst, T. I. Ldsh. 8.

Conr. **Mannert,** Compendium der deutschen Reichsgeschichte, Ed. altera Norimb. et Onolsbac. 8.

Jac. **Salat,** Vernunft und Verstand, P. I. Stuttg. et Tubing. 8.

Fr. de Paul. **de Schrank,** Dem Andenken Paul Hupfauers gewidmet, Oratio funebris, Ldsh. 4.

Ao. 1809.

ANNO DOMINI MDCCCIX.

Rector DLIX: **Fr. Xaverius** DE KRÜLL, Jur. utr. D^r^, regii Ordinis meritorii civilis Coronae Bavaricae Eques, Consiliarius regius aulicus act., Jurium Prof. p. o. &c. III.

Nov. Inscripti 235.

Illustres:
Albertus Fridericus **L. B. de Troeltsch**, Noerdlinganus; Cameral. Cand.
Carolus **L. B. de Gumppenberg**, Monacensis; Jur. C.
Carolus **Comes de Holnstein**, Ambergensis; Philos. C.
Rupertus **L. B. de Pappus**, Campidunensis; Philos. C.
Carolus **L. B. de Grossschedl**, Burglengenfeldensis; Jur. C.
Carolus **L. B. de Herrmann**, Memminganus; Cameral. C.
Augustus **Comes de Seinsheim**, Monacensis; Jur. C.
Serenissimus Dominus **Fridericus Crato Henricus** *Princeps in* **Oettingen-Oettingen** *et* **Oettingen-Wallerstein**, *Hohenbaldern* et *Zoetern*, Serenissimi Regis Würtembergici summus succenturio legionis I. Equitum levis armaturae, et Eques Ordinis aureae Aquilae majoris; Jur.

Novi Profess.
Josephus Augustus **Schultes**, ab Universitate Oenipontana huc translatus; Botanices primum, post etiam Therapiae specialis Prof. p. o.
Joannes Nepom. **Feiler**, ex suppressa Academia Altorfiensi nunc in hujate Artis obstetriciae Prof. p. o. et obstetricii Clinici Director.
Jo. Christianus **Siebenkees**, Jurium antehac Altorfiensis, heic Historiae literariae Prof. p. o. et Universitatis Bibliothecarius.

Privat. Docc.
Carolus Joseph. Ant. **Mittermaier**, Monacensis — Jur. D^r^ *legens.*

			Ao.
	Carol. Augustus Dominic. **Unterholzer,** Frisingensis	Jur. D. *legens.*	1809.
Novi DD. m. Aug.	*Augustinus Buchner,* Murnaviensis,	*Jur.*	
	Jo. Georg. Strobel, Landishutanus	*Cameral.*	
	Georg. Reindl, Eslarnensis Palat.-Bav.		
16 Jan.	*Theodorus Carolus Rossmus,* Zaudiczensis Silesius		
9 Mart.	*Jos. Ant. Schroeder,* Vilshofiensis, reg. V legionis leviorum peditum Chirurgus primarius		
24 „	*Jos. Hafner,* Deggendorfensis, in circ. Bav. Danubiano infer.		
6 Sept.	*Reinhold. Ludov. Ruhland,* Ulmensis in circ. Danub. super.		
18 „	*Fridericus Carolus Loé,* Eichstadianus in circ. Bav. Almonano		
20 „	*Antonius Eckl,* Frisingensis in circ. Bavar. Isarano	*Med.*	
22 „	*Francisc. Xav. Fiegl,* Tittinganus in circ. Bav. Almonano		
23 „	*Romanus Weber,* Woerishofiensis Bav.		
5 Dec.	*Jo. Theophil. Guilielmus Voit,* Suevofurtensis Franco-Bav.		
13 „	*Petrus Berger,* Saverstattensis Bavarus		
21 „	*Jos. Köfler,* Kufsteinensis in circ. Oenano Bavar.		
22 „	*Georgius Münch,* Oberndorfensis in circ. Bavar. Regenano		
30 „	*Georgius Steglehner,* Rudeltzholzensis Bavarus		

Inter inscriptos hoc anno praecipue laudari merentur ***Mauritius Weigand,*** Bambergensis, Jurium Cand., postmodo Regis a Consiliis de re publica agitantibus, Ordinum meritt. Coronae Bav. et S. Michaëlis Commendator, aliorumque augustissimorum Ordinum Eques; *Mathias Obermüller,* Frisingensis, Jurium Cand.,

Ao.
1809. post Judicii provocationum in Bavaria superiori Director, et *Carol. Aloys Schreier,* Ebentensis in Palatinatu superiori, Jur. utriusque Cand. ejusdem Judicii posthac Consiliarius, uterque equestri cruce Ordinis meritorii S. Michaëlis insignitus; *Jo. Nepom. de Wening,* Hohenaschauensis, Philos. Studios., non ita multo post clarissimus hujatis almae Universitatis Prof.

Celsissimo rescripto regio dd. 13. Januarii *Universitas nostra privilegiato,* quo hucusque gaudebat, *foro privatur,* nec alia in posterum penes Rectorem Senatumque academicum in Studiosos residebit potestas nisi patria et tutelaris seu curatoria.

Bellicosis hoc anno tempestatibus, cum omnia civitatis et regionum circumjacentium non solum nosocomia sed etiam Privatorum habitacula vulneratis et aegrotis militibus essent referta, perniciosa subinde, ut in tali calamitate fieri solet, lues oborta tanta cum atrocitate saeviebat, ut medici die noctuque supra modum occuparentur, adeoque cum summo mortis periculo suo fungerentur officio. In his etiam pretiosissimus noster *Jo. Anton.* **Schmidtmüller,** Med. et Chir. Dr., regius Consiliarius actualis, Artis obstetriciae et Medicinae forensis Professor p. o. medios inter pietatis suae conatus, dum ne aegrotans quidem ipse vel minimum de contentione remisit, contagio typhi correptus die septimo Maji religiosissime pro fratribus animam posuit anno aetatis suae trigesimo tertio dilectissimam cum tribus filiis infantibus uxorem relinquens, quae eo ipso, quo sepeliverunt maritum, diem suum natalitium vigesimum tertium luxit. Vir erat concordissimus, humanissimus, illibatae integritatis, patriae, amicorum amantissimus. Memoriam Defuncti 14 Maji oratione funebri in ecclesia academica celebravit praenobilis Med. Prof. *Andreas Röschlaub.*

Eodem mense alterum luximus tristissimum funus. Etenim clarissimus *Georgius Aloysius* **Dietl,** Philos. ac Theologiae D., Consiliarius regius ecclesiasticus, per novem prope annos Aesthetices Professor p. o. necnon Parochus ad S. Martinum et Capituli ruralis Landishutani Decanus 17 Maji pituita suffocatus morte improvisa nobis ereptus est anno aetatis suae quinquagesimo septimo. Laudes ejus 9. Junii solemni oratione in ecclesia academica habita posteaque typis edita celebravit plurimum reverendus Professor et Bibliothecarius Universitatis *Antonius Drexel.*

Ao. 1809.

His temporibus *juvenes academici* missa Monachium Deputatione ad *voluntariam pro defenda patria militiam* se offerebant; quae conditio a Rege datis nono Junii sua manu subscriptis literis laudata et lubentissime accepta est, dummodo militarem armorum usum prius fuerint edocti. Unde recentiori rescripto dd. 18 ejusdem mensis exercitiorum tempora rationesque fusius et accuratius definiuntur.

Simon **Klotz,** effectivarum artium Professor a D. *Artaria*, qui opera et artificia venditabat, plures picturas per aeneam laminam expressas (quales erant *Petrarca, Dante, Belisar, Torquato Tasso,* alii) pro collectione Universitatis centum octoginta florenorum pretio mercatus est. Quod quum sine Superiorum permissione et auctoritate fecisset, celsissimum rescriptum d. 18 Junii emtionem istam ratam quidem tunc esse jussit addita tamen seria commonitione, ne quid ejusmodi in posterum sua sponte auderet facere, quin a Senatu peteret, ut proposita sua quoque ea de re sententia Monachium referret.

Ingolstadiensis ad Divam Virginem Speciosam Parochus ac meritissimus antehac Professor *Gabriel Knogler* ex clementissimo regio decreto pridie Calend. Augusti in urbanam per liberam resignationem illustrissimi Comitis *de Reisach* vacuam parochiam Wemdinganam promotus est, quam religiosissimus oviumque suarum amantissimus pastor continuo possidebat usque ad quintum Martii 1838, quo denique senex prope octogenarius in patriam migravit coelestem. Vacuam autem ex illa Knogleri promotione paroeciam *superiorem Ingolstadiensem* plurimum reverendus **Mall** obtinuit, ab Universitate nempe nominatus et a Regia Majestate eodem supra dicto die trigesimo primo Julii praesentatus cum speciali indulto, ut parochiam per Vicarium curaret administrari, ipse vero suam in hujate Academia cathedram Exegeseos et linguarum orientalium retinendi haberet potestatem.

Henricus Müller, apud Curatoriam scholasticam Bambergensem antehac Actuarius, cui officii sui vacatio data fuit, die vigesima Augusti in Cancellaria Universitatis nostrae Scriptor cum octingentorum florenorum stipendio et iis, quibus ejus antecessor fruebatur emolumentis designatus est.

Inter *Medicinae* Doctores hoc anno promotos praecipuam

Ao. 1809. sibi promeruit commendationem *Fr. Xaverius Fiegl*, Tittinganus, qui quaestionem ab experientissima medica Sectione in hunc annum propositam *„De morbis ventriculi“* tam egregie elucubravit, ut dignus judicaretur, qui summos in medicina et chirurgia honores gratis collatos reciperet.

Quaestionem autem ab amplissima Sectione *philosophica* pro capessendo gratuito doctoratu propositam *„Ueber die philosophische Construction, was sie sei, von welchem Punkte sie ausgehe, und wie sie fortschreite?“* *Martinus Kurz* Jurium Candidatus cum summa Professorum comprobatione persolvit, atque adeo impetravit, ut ejus dissertatio sumptibus academicis prelo subjiceretur.

Per rescriptum regium dd. 24 Septembris plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus *Maurus* **Magold,** Mathematicae Prof. p. o. in annum proxime futurum Rector Magnificus electus et loco abeuntium Senatorum designati Professores *Antonius Michl, Fridericus Tiedemann, Jo. Nepom. Fuchs* et *Fridericus Astius* clementissime confirmantur.

Qui hucusque provisorio modo Custos thesauri rerum naturalium Bambergensis fuerat assumptus *Alexander Held*, ex decreto dd. Calendis Octobribus huc translatus et in zoologico thesauro Universitatis Assistens cum annuo quadringentorum florenorum stipendio et gratuito habitaculo institutus est.

Tempore auctumni clarissimus SS. Theol. ac Philos. D^r^ Academiae Erfordiensis, Societatis naturae curiosorum Berolinensis, physiographicae Lundinensis, oeconomicae Lipsiensis, arcadicae Romae et Gorlicii, regiae Academiae Holmiensis et aliarum complurium socius, item regius Bav. Consiliarius ecclesiasticus actualis et Ordinis meritorii de Corona Bavarica Eques *Franciscus de Paula* **de Schrank,** per integrum seculi quadrantem meritissimus in hac alma titerarum Universitate Professor p. o., a regia scientiarum Academia Monacensi socius in ordine adlectus et a potentissimo Rege die 12 Octobris summus Horti Botanici ibidem Director designatus est. Verum etiam Monachii vir egregius usque ad extremum vitae suae tempus permultis iisque praestantissimis ingenii monumentis cum seorsim evulgatis tum variis ephemeridibus et collectaneis insertis, quae in *Waitzeneggeri* Lexico T. II. p. 312—320 deinceps recensentur, imprimis autem sua *„Flora Mona-*

Ao. 1809.

censi" cum commentario perpetuo duobus tomis Monachii in fol. max. edita orbem literariam ditare perrexit. Anno, qui sibi fuit quinquagesimus a suscepto munere publico, regius intimus Consiliarius nominatus et Ludovici Ordine insignitus est. Obiit 23 Decembris 1835, deploratus ab omnibus qui vivum norunt. Erat enim aemulus Ecclesiae suae filius sinceris atque vere christianis moribus, homo simulandi ac dissimuiandi omnino nescius, qui laudari nonnisi a laudatis voluit. Hisce animi sui virtutibus et eximiis de historia naturali meritis monumentum sibi posuit apud posteros aere perennius.

Illustri nostro *Francisco de Schrank* Monachium avocato successit in cathedram clarissimus *Josephus Augustus* **de Schultes.** Is Vindobonae sed patre Bavaro 1773 natus, in Caesarea equestri Academia Theresiana exantlatis Philosophiae et Medicinae studiis editisque ibidem pluribus libris, qui inscribuntur: *Flora Austriaca* II tomis 1794; *Versuch eines Handbuchs der Naturgeschichte des Menschen,* 1799; *Annalen der österreichischen Literatur und Kunst,* IV tomis 1802—1805. 4, haud mediocrem sibi peperit doctorum virorum commendationem. Itaque gradu doctoratus insignitus anno 1805 Zoologiae, Botanices ac Mineralogiae cathedram capessivit. Postero anno Chemiam et Botanicam in Universitate *Cracoviensi* triennio autem post *Oeniponti* Chimiam et Historiam naturalem publice docuit; denique hoc ipso anno 12 Octobris in Ludovico-Maximilianea nostra regius Consiliarius actualis et Botanices Professor p. o. cum annuo mille ducentorum florenorum salario et florenis centum quinquaginta pro conductitia habitatione designatus, et recentiori decreto dd. ultimo Decembris obtenta etiam specialis Therapiae professione in medicam sectionem cum voto ac sessione omnibusque ordinarii Medicinae Professoris juribus et emolumentis translatus est. Libri ab eo hoc uno anno evulgati sunt: *Reise durch Oberösterreich,* Tubingae II tomi; *Lettres sur la Galicie,* ibid. II tomi; *Observationes botanicae in Linnèi species plantarum,* Oeniponti; *Mineralogische Tabellen, ibid.*

Fr. Xaverius **de Krüll,** Consiliarius aulicus et Jurium consultissimus Professor, in perpetui Senatoris locum, quem praeclarissimus *de Schrank* hucusqe tenuit, a Regia Majestate receptus est.

In vacuam per obitum beati *Schmidtmülleri* cathedram suc-

Ao.
1809. cessit experientissimus *Joannes Nepomucenus* **Feiler** Passaviae natus 1768, qui postquam Altorfii summis in Medicina et Chirurgia honoribus insignitus artem medicam per plures annos publice cum summa laude docuit, suppressa illa Academia die 19 Octobris Landishutum evocatus et regius Consiliarius artisque obstetriciae Professor p. o. et Clinici obstetricii Director cum annuo stipendio quadringentorum florenorum ex fundo Altorfiensi et septingentorum ex hujate aerario academico clementissime designatus est. Is multas et eximias, jam antequam huc pervenit, elucubraverat commentationes, et in his praecipue: *Hildebrand's Grundriss der allgemeinen Krankheitslehre*, e lat. lingua translata, Norimberg. 1796; *Archiv der über die herrschende Hornviehseuche ergangenen Verordnungen,* ibid. 1797; *Aufruf in Hinsicht auf die gegen dieselbe Pest zu treffenden Vorkehrungen,* ibid. 1805; *De spinae dorsi incurvationibus earumque curatione,* ibid. 1807; *Belehrung für Bruskranke*, Solisbaci 1808. 8.

Iterato celsissimo rescripto d. 7 Novembris omnes Professores strenue jubentur Rectori Magnifico peracto quolibet semestri indicare, quo suarum quisque lectionum die initium et quo finem fecerit; Rector autem earum declarationum indicem elapso quovis semianno ad summum regium de internis rebus Ministerium curabit transmittendum. — Eodem decreto doctissimi Professores *Patricius Zimmer*, *Carolus Savigny* et *Fridericus Astius* in eorum numerum deputantur, quorum est proponere libros, quos pro Bibliotheca academica comparandos judicaverint.

In *juridica* sectione duo simul hoc anno recepti sunt Doctores privatim legentes, DD. *Mittermaier* et *Unterholzner*, assignato utrique quingentorum florenorum stipendio. *Carolus Augustus Dominicus* **Unterholzner,** 3 Februarii 1787 Frisingae natus ibique studiis humanioribus institutus est. Tempore auctumnali 1803 adolescentulus sedecim annorum Albo academico nostro nomen dedit et absolutis studiis philosophicis egregiam jurisprudentiae operam navavit cohortatus inprimis et adjutus ab illustrissimo Professore *Anselmo Feuerbach.* Anno 1807 celeberrimum *Hugonem* Jurium Doctorem et *Herbartum* Philosophum auditurus Gottingam postero autem anno Heidelbergam ac deinde ao. 1809 Altorfium se contulit, ubi paulo ante hujus Universitatis suppressionem ha-

bita disputatione publica et *„Dissertatione pertractante historiam doctrinae juris Romani de collationibus“* propugnata summos in utroque jure honores recepit, et tertio mense post per decretum regium d. 17 Novembris in alma nostra literarum Universitate Doctor jurium legens assumtus est. *Carolus* autem *Josephus Antonius* **Mittermaier,** Monachii 5 Augusti 1787 natus, studiisque ibidem gymnasialibus et philosophicis exantlatis in Ludovico-Maximilianea nostra Universitate Jurium Candidatus tam egregiis uti corporis ita animi dotibus et industria se commendavit, ut proximo abhinc anno publico stipendio donaretur, quo extraneam quoque literarum causa frequentare posset Academiam. Itaque Heidelbergam se contulit, perorata dissertatione inaugurali *„De nullitatibus in causis criminalibus“* ibidem 1809 typis edita Doctoratus gradum capessivit, et paulo post vi clementissimi decreti d. 17 Nov. privatim docendi veniam impetravit. Ao. 1809.

Eodem decreto regio etiam *Eduardus* **Henke,** jam e superiori anno Jurium Doctor legens, assignato quotannis quingentorum florenorum stipendio donatus est.

E sublata paulo abhinc Universitate Altorfiensi mense Novembri huc translatus est clarissimus jam dudum ibi Professor *Joannes Christianus* **Siebenkees.** Is mercatoris filius Wörthae suburbio Norimbergae 20 Augusti 1753 natus, absolutis Altorfii et Gottingae utrubique per triennium studiis academicis mense Aprili 1776 Jurium Professor extraordinarius in Academia Altorfiensi nominatus est. Initio igitur Novembris perorato programmate *„De studio chronologico Juris praesertim Germanici“* (ed. Altorf. 1777) solemne lectionum suarum principium fecit, et postero anno habita dissertatione *„De capitibus quibusdam successionis conjugum ab intestato ex jure Norimbergensi“* (edita ibid. 1778) summos in utroque jure honores capessivit. Mortuo autem *Guilielmo A. Spiess* vacuam ordinariam Juris naturae et gentium cathedram obtinuit, et paulo post etiam Juris publici et feudalis Professor designatus est. Ab anno inde 1805 historicas quoque interdum publice habuit praelectiones. Idem permultas jam antequam huc pervenit elucubratas a se commentationes publici juris fecit. Ut enim non solum omittam omnia, quae variis bibliothecis et ephemeridibus inseruit sed operum etiam seorsim editorum nonnulla taceam, haec sunt

Ao. 1809. prae ceteris recensenda: *Joh. Heumann's von Teutschenbrunn, Geist der Gesetze der Teutschen*, II Edit. Norimberg. 1779; *Apparatus jurisprudentiae literariae* secunda editione novis accessionibus locupletatus, Altorf. 1780; *Deductionsbibliothek von Deutschland nebst den dazu gehörigen Nachrichten*, T. III et IV ibid. 1781—1783; *Allgemeine juristische Bibliothek*, quam tomis sex cooperante D. *J. F. Malblanc* edidit Norimb. 1781—1786; *Juristisches Magazin*, Tomi duo, Jenae 1782 squ.; *Neues juristisches Magazin*, Onolsbaci 1784; *Abhandlung von Stipendien und den Rechten derselben*, ibid. 1785; *Beiträge zum deutshen Recht*, Voll. sex ib. 1786—1791; *Von der Intestat-Erbfolge nach Nürnbergischen Rechten*, ib. 1787; *Ueber das Geheimniss der Posten*, Francof. et Lips. 1788; *Erläuterungen der Heraldik als Commentar zu Gatterers Abriss dieser Wissenschaft*, cum XXIII tabb. aeneis Norimb. 1789; *Kleine Chronik der Reichsstadt Nürnberg*, Altorf. 1790; *Abhandlung vom letzten Willen, nach gemeinen und Nürnbergischen Rechten*, Norimb. 1791; *Nachrichten von Armenstiftungen in Nürnberg*, ibid. 1792; *Fortgesetzte Nachrichten desselben Betreffs*, II tomi ib. 1794; *Materialien zur Nürnbergischen Geschichte*, Volumina quatuor, ib. 1792—1795; *Von den Rechten der Nürnbergischen Eigenherrschaften &c.* ib. 1798; *Vom Handlohn der Erbgüter &c.* ib. 1798; *Ueber das Hauptgesetz der deutschen Rechtschreibung &c.* ib. 1808. 8. His ingenii sui partubus et eximia qua pollebat librorum notitia apprime commendatus per clementissimum decretum d. 30 Novembris h. a. Historiae literariae Professor p. o. et summus Universitatis Bibliothecarius cum annuo mille quadringentorum florenorum salario designatus est trecentis insuper florenis in itineris compensationem numeratis.

Die decimo octavo Decembris decretum est a Regia Majestate, ut post abitum clarissimi *de Schrank* in sectione publico-oeconomica Directoris officium, quo ille perpetuo hucusque functus erat, in posterum Professores ejusdem sectionis alius post alium quovis anno secundum senium suscipiant.

Reliquum est, recensere libros, quos hoc anno Professores typis ediderunt. Scripserunt autem et evulgarunt

in sectione *theologica:*

Michaël **Sailer**, *Winkelhofers* Reden über die Bergpredigt,

Ao. 1809.

Monach. 8; Neue Beiträge zur Bildung der Geistlichen, Straubing. 8; Die sieben hl. Sacramente, ibid. 8.

Ignat. **Thanner,** Encyclopädisch-methodologische Einleitung zum akademisch-wissenschaftlichen Studium der Theologie &c. Monach. 8.

Vit. A. **Winter,** Zweiter Nachtrag zu den drei grossen Synoden der Agilolfingischen Periode, Landish. 8; Geschichte der baierischen Wiedertäufer im XVI. Jahrhunderte, Monach. 8; Liturgie, wie sie seyn soll &c. oder Theorie der öffentlichen Gottesverehrung, ibid. 8; Geschichte der Schicksale der evangelischen Lehre in und durch Bayern &c. vor dem Ausbruch der Kirchenreformation bis zum Tode Wilhelm IV, Historia, ut dicit, e fontibus hausta c. Cod. diplom. T. I, ib. 8.

Patr. **Zimmer,** Philosophische Untersuchung über den allgemeinen Verfall des menschlichen Geschlechts, III partibus, Ldsh. 8.

in *juridica* sectione:

Ant. **Michl,** Kirchenrecht für Katholiken und Protestanten, mit Hinsicht auf den Code Napoleon und die baierischen Landesgesetze, Monach. 8.

Thadd. **Gönner,** Ueber die Nothwendigkeit eines beständigen Collegiums für die Gesetzgebung in Verbindung mit dem Cassationstribunal, ex opere c. t. *„Archiv für Gesetzgebung“* &c. separatim edit.; Ueber den Begriff Dolus und Culpa, ed. in opere *„Vaterländische Blätter für die österreich. Staaten“*, T. I. Nr. 13; Ueber die Succession in Weiberlehen nach erloschenem Mannsstamme, (ex *Archivo* supra laudato separatim ed.).

Car. **de Hellersberg,** Anzeige von *B. Hormayr's* Geschichte der gefürsteten Grafschaft Tyrol, ed. in

Ao. 1809.

Astii „Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst“, T. II. Fasc. 1; Ueber das Campodunum der Alten, ed. in eadem *Astii* Ephemeride T. II. Fasc. 3.

Edu. **Henke,** Geschichte des deutschen peinlichen Rechts und der peinlichen Rechtswissenschaft, T. II. Solisb. 8.

in sectione *publico-oeconomica:*

Lud. Walr. **Medicus,** Entwurf eines Systems der Landwirthschaft, Heidelberg. 8.

in sect. *medica:*

Andr. **Röschlaub,** Rede zur Feier des Andenkens an J. A. Schmidtmüller, Ldsh. 8.

Frid. **Tiedemann,** Anatomie des Fischherzens, Ldsh. 4.

Ph. Fr. **de Walther,** Ueber die Heilkraft der Natur, Commentatio typis edita in *Annalibus Medicinae et Chirurg.* T. III. Fasc. 2. Nr. 3.

in *classe generali:*

Frid. **Ast,** Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst, T. II. Ldsh. 8.

Ant. **Drexel,** Rede zum Andenken an Georg Aloys Dietl &c. Landish. 8.

Frid. **Köppen,** Leitfaden der Logik und Metaphysik, Ldsh. 8; Grundriss zu Vorlesungen über das Naturrecht, ibid. 8.

Maur. **Magold,** Lehrbuch der Mechanik fester Körper P. I. Ldsh. 8.

Jos. **Milbiller,** Kurzgefasste Geschichte von Baiern, Edit. II, Monach. 8, qui liber tertium 1822 et inde saepius a plur. reverendo *D. Antonio Mengein*, theologicae Facultatis olim Candidato, tunc vero temporis Gymnasii novi Monacensis Professore et regii ibidem pro educandis pueris literarum studiosis Seminarii Directore cum additamentis et continuationibus evulgatus est.

Jac. **Salat,** Die Moralphilosophie, Ldsh. 8.

Ao. 1810.

ANNO DOMINI MDCCCX.

Rector DLX: P. **Maurus** MAGOLD, Philos. et Theol. Dr, regius Consiliarius ecclesiasticus actualis, Matheseos Prof. p. o.

Nov. Inscripti 369.

Illustres:

Alphonsus **Comes de Portia,** Laibacensis Austriacus; Philos.

Antonius **L. B. de Fellerer,** Filsbacensis Boj.; Philos.

Antonius **L. B. de Holzing,** Rastattensis in Magno-Ducatu Badensi; Jur.

Sigismundus **Comes de Berchem,** Burghusianus Boj.; Philos.

Sigismundus **L. B. de Mont,** Schloerisanus Helvetius; Jur.

Matthaeus **Comes de Joner,** Burghusianus; Philos.

Jo. Nep. **L. B. de Riederer,** Schoenaviensis Bav.; Philos.

Sigismundus **L. B. de Pfetten,** Niederarnbacensis Boj.; Philos.

Thaddaeus **L. B. de Widnmann,** Neoburgensis Neo-Palatinus; Philos.

Maximilianus **L. B. Lerchenfeld,** Landishutanus; Philos.

Ludovicus **L. B. de Gahren,** Argentoratensis; Jur.

Guilielmus **L. B. de Freyberg,** Monacensis; Philos.

Ludovicus **Comes de Sarentheim,** Oenipontanus Tyrolensis; Philos.

Carolus **Comes de Spaur,** Wetzlariensis; Jur.

Christophorus **L. B. Sazenhofen,** Ambergensis; Philos.

Philippus **L. B. de Leoprechting,** Randsbergensis Palatinus; Philos.

Philippus **L. B. de Taenzl,** Burglengenfeldensis Palatinus; Philos.

Clemens **L. B. de Weichs,** Straubinganus Bav.; Philos.

Ao.
1810. *Josephus Augustus* **L. B. de Osterberg,** Monacensis; Philos.

Novi Doctores:

17 Aug.	*Josephus Werner,* Ratisbonensis Bav.	*Jur.*
24 „	*Jo. Nep. Pichlmayr,* Schleissheimensis Boj.	
28 „	*Josephus Dûprée,* Ingolstadiensis Bavarus,	
29 „	*Ignatius Rudhart,* Bambergensis Franco-Bav.	
31 Mart.	*Jo. Leonard. Hoffmann,* Memminganus e Licodun. circ. Bav.	*Med.*
5 April.	*Carol. Lippl,* Pressfurthensis e circ. Danubiano inferiori Bav.	
—	*Jo. Bapt. Wenzl,* Schlechdorfensis e circ. Isarano Bav.	
7 „	*Jo. Bapt. Sartory,* Rorschachiensis Helvetus.	
30 Aug.	*Jo. Aloys. Baumgartner,* Augiensis prope Landishutum Bav.	
10 Sept.	*Martinus Münz,* Bambergensis Franco.	
11 „	*Chr. Petr. Frid. Herrmann,* Altorfiensis e circ. Pegnesano Bav.	
12 „	*Jo. Nepom. Rogenhofer,* Hirschaviensis in Palatinatu sup. Bav.	
20 „	*Gust. Christ. Siebenkees,* Altorfiensis in circ. Pegnesano Bav.	
24 „	*Udalr. Bened. Büchele,* Memminganus Bav. e circ. Illeriano.	
26 „	*Francisc. Seraph. Röhm,* Landishutanus Bav.	

Inter immatriculatos hoc anno praeter Illustres supra laudatos commemorari merentur etiam *Fr. Antonius Heigl,* Straubinganus Bojus Philos. Candidatus, postea Ordinis Coron. Bav. et meritorii S. Michaëlis Eques et supremi regii Appellationum

Ao. 1810.

Judicii Monacensis Director; *Ferdinandus Schwertfelner,* Thannensis Boj. Philosophiae Studiosus, postero tempore ejusdem supremi regii tribunalis Consiliarius, S. Michaëlis meritorio Ordine decoratus; *Carolus Lippl,* Pressfurthensis Bav., hoc ipso anno summis in medicina et chirurgia honoribus insignitus, post etiam Ordinis S. Michaëlis Eques et Collegii medicinalis in Bavaria superiori Monachii Praeses; *Guilelmus Benning,* Bambergensis, Philos. Studiosus, post Gubernii inferioris Bavariae praeses, meritorii Coronae Bav. et S. Michaëlis Ordinis Eques.

Loco clarissimi *Francisci de Schrank* anno superiori Monachium avocati ex celsissimo regio decreto dd. 29 Januarii plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus et Technologiae Professor *Benedictus* **Holzinger** Ecclesiae academicae Praefectus constituitur.

Quod plurimum reverendus Philologiae Professor *Antonius* **Drexel** dudum jam submississime petiit, ut ab officio Bibliothecarii dimitteretur, sub hujus denique anni initium impetravit, cum neodesignatus Bibliothecarius, doctissimus *Christianus Siebenkees*, trigesimo demum Januarii huc advenisset novum suum munus susceperturus.

Jussu regio duodecimo Februarii Senatui academico, classi quae generalium scientiarum dicitur, item specialium literarum sectionibus, scilicet theologicae, juridicae, publico-oeconomicae et medicae *nova,* quibus in posterum publice uterentur, *sigilla* et ea quidem bina (majus nempe alterum, alterum minus) Monachio missa a Rectore distributa sunt.

Clarissimus *Augustus de* **Schultes**, medicinae Professor, a scientiarum Academia Gottingensi socius adlectus est.

Cum *Nicolaus Thaddaeus* **Gönner**, regius Consiliarius aulicus et Jurium Professor jam e pluribus annis adversus ea tribunalia, coram quibus ejus creditores suas pecuniarum petitiones instituebant, sermone a debita submissione prorsus alieno uteretur, iisque, si tergiversantibus ejus exceptionibus minus obtemperassent, comminatione publicitatis metum incutere tentaret, imo adeo in ephemeride sua, cui titulus *„Archiv für Gesetzgebung und Reform des juristischen Studiums“* T. III. fasc. 1. p. 146—49 prolatam a supremo appellationum judicio Monacensi in causa debiti

Ao.
1810. sententiam censurae suae submittere eamque „*praeproperam*“ et „*insanam*“ dicere auderet; amplissimus Senatus academicus rescripto regio dd. 7 Aprilis jussus est eum graviter idcirco reprehendere et commonere, ut siquid ejusmodi rursus facere praesumserit, persuasam sibi habeat, severius in eum fore animadvertendum.

Decimo septimo Aprilis clarissimus *Fridericus Carolus* **de Savigny,** regius Consiliarius aulicus et Jurium Professor p. o. ad suplicissimas preces suas ab Universitate Ludovico-Maximilianea clementissime dimissus est. Magnam sane per ejus abitum alma nostra Academia jacturam fecit; fuit enim vir humanissimus aeque ac doctissimus, carus omnibus qui norunt eum. Secunda Maji ad meridiem urbi nostrae valedixit, et per Vindobonum *Berolinum* profectus est, insigne inde ab hoc tempore futurus illius Universitatis ornamentum. Imo non solum praestantissimis, quos ibi elucubravit libris, imprimis (ut ceteros omittam) iis, qui inscribuntur „*Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter*“ Heidelbergae 1826—1831. VI tomis, et „*System des heutigen römischen Rechts*“ Berolini 1840—1849. VIII tomis in 8. editis orbem literarium egregie illustravit; sed etiam publicis aliis atque aliis susceptis muneribus maxime inclaruit. Anno enim 1816 regius Consiliarius intimus Justitiae, proxime futuro anno Borussiae Regis a Consiliis in rebus publicis, denique anno 1842 summus a rebus Justitiae Minister designatus est. Oborta autem mense Martio 1848 turbulenta tempestate in vitam privatam se recepit, ut totus amicis ac literis vacaret. Licet enim jam esset senex prope septuagenarius, tamen literarios nondum intermisit labores. Ita varia opuscula et in his etiam complures, quas in regia Berolinensi scientiarum Academia peroravit commentationes sub inscriptione „*Vermischte Schriften*“ V tomis Berolini 1850, et proxime sequentibus annis aliud opus, cui titulus „*Das Obligationenrecht als Theil des heutigen römischen Rechts*“, ibid. II tomis evulgavit.

Proponente Senatu academico praenobilis *Joannes Nepomucensus Ringseis,* Medicinae et Chirurgiae Candidatus, ob egregia quae in commendationem suam proposuit testimonia, pridie Calendas Julii loco nuperrime defuncti *Ziegler* in Clinico Assistens cum Stipendio medico centum quinquaginta florenorum, additis florenis centum ex aerario academico, clementissime designatur.

Ao. 1810.

Ex decreto clementissimo 5 Augusti regia effectivarum artium Academia Monacensis mandatum recepit, ut *effigiem iconicam* Serenissimi *Regis nostri* **Maximiliani Josephi** depictam a praestantissimo ejusdem Academiae Professore *Kellerhoven* Landishutum curaret asportandam. Quae effigies a Regia Majestate Universitati Suae Ludovico-Maximilianeae munificentissime dono data 28 Augusti huc advenit et in Aula academica solemniter collocata est.

Die vigesimo septimo Septembris hora media quinta pomeridiana huc advenit excellentissimus Regiae Majestatis a rebus publicis gerendis Administer, *Maximilianus Jos. Comes* **de Montgelas** summus Universitatis nostrae Curator, comitantibus supremo viduatae Dominae Electricis aulico Magistro, illustrissimo *Comite ab Arco*, clarissimo belli duce *Clairembeau* atque intimis Consiliariis *de Wiebeking* et *Utzschneider*. Ille omnium ordinum Professores, qui data hora convenerunt in deversorio, ut potissimum protectorem debita cum observantia salutarent, humanissime excepit et proxime futuro biduo Universitatem atque singula ejus Attributa, item magnificum S. Martini templum et Melitensium olim Ecclesiam aliaque publica aedificia perlustravit. Tertio die ad vesperam cum magna rerum omnium approbatione hospites amplissimi abierunt. Senatus autem academicus clementissimum Universitatis Curatorem grato animo prosecuturus datis ad eum 10 Decembris literis petiit, ut imaginem suam fictam in forma hermae ad perpetuam sui memoriam in amplissima Aula Bibliothecae collocandi veniam impertiret. Quam propositionem postea benignissime ratam habuit.

Nona Octobris laetissimam Urbi et Universitati nostrae praebuit occasionem, futuram prope diem augustissimi Regis nurum optimis ominibus salutandi. Hora enim septima vespertina. Serenissimi Ducis Saxonum-Hilpertshusani filia Princeps **Theresia** *Carolina Ludovica Friderica Amalia* celsissimo **Ludovico** *Bavariae Principi haereditario* desponsata ad nuptiarum solemnia Monachium profectura communi omnium laetitia in moenibus nostris excepta est. Ast vix per semihoram commorata jam rursus iter maturare jussit. Formosissimam admirantes Principem cives undique congregati, dum abibat, cum fausta acclamatione prosecuti sunt.

Ao. 1810. *Jo. Nepomucenus Pichlmair* Schleissheimensis Jurium Candidatus, qui quaestionem ab amplissima Sectione *juridica* in annum 1809 pro capessendo gratuito gradu doctorali propositam: *„Durch welche Vorzüge zeichnet sich Napoleons Handels-Gesetzbuch im dritten Buche vom Falliment und Banquerout vor ähnlichen in anderen europäischen Staaten promulgirten Verordnungen aus?“* tam egregie elucubraverat, ut unanimi Professorum consensu 6 Novembris superioris anni praemio dignus publice pronunciaretur, hoc ipso anno ceteris rite praestitis die 24 Augusti summis ex utroque jure honoribus insignitus est.

Novus e medica sectione creatus Rector, clarissimus *Philippus Franciscus* **de Walther**, delectique in novum annum scholasticum Senatores *Jacobus Salat, Josephus Milbiller, Patricius Zimmer* et *Guilielmus Butte* die 15 Novembris clementissime a Rege confirmantur. Quae honorifica *Waltheri* cooptatio in frequentissimo Professorum consessu omniumque paene suffragantium votis confecta utique non senio videbatur sed virtuti fuisse tributa, cum scilicet Electus eo tempore vixdum triginta esset annis natus.

Plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus et Professor *Vitus Antonius* **Winter**, qui ab anno 1805 usque ad hoc tempus pluribus subinde donationibus in eum potissimum finem, ut pro ludis literariis et in communem civium usum bibliotheculae instituerentur, paullatim tria millia florenorum contulit; ab augustissimo Rege transmissis die vigesimo septimo Novembris ad Senatum literis eximie laudatus ejusque munificentia et in patriam contestata caritas actis diurnis evulgata est.

Decima Decembris habita a Rectore oratione inaugurali *leges academicae* solemniter in Aula promulgatae sunt. Peracta festivitate consultissimus Jurium Professor *Franciscus Xaverius* **de Krüll**, Stipendiorum Ephorus, rogante Rectore magnifico Senatuque una voce approbante etiam implicationes Studiosorum de aere alieno dissolvendas suscepit.

Editis hoc anno libris conspicui sunt

in sectione *theologica:*

Florian. **Atzenberger**, Fragment eines Lehrgedichtes über die Urwelt. Eiu Versuch &c. Landishut. 8.

Ao.

Mich. **Sailer**, Joh. Mich. Steiners Lebensgeschichte, Ldsh. 8; Die Weisheit auf der Gasse oder Sinn und Geist deutscher Sprichwörter, Monach. 8. 1810.

Vit. Ant. **Winter**, Vorarbeiten zur Beleuchtung der österreichischen und baierischen Kirchengeschichte überhaupt und insbesondere der Agilolfingischen Periode, Tom. II. Monach. 8.

e sect. *juridica:*

Thadd. **Gönner**, Revision des Begriffes und der Eintheilung des Dolus, Ldsh. 8; Beiträge zur Jurisprudenz der Deutschen, T. I. Norimb. 8.

Car. Jos. **Mittermaier**, Handbuch des peinlichen Prozesses mit beständig vergleichender Darstellung des gemeinen Rechts und der Bestimmungen der französischen, österreichischen, preussischen und baierischen Criminalgesetzgebung T. I. Bonnae. 8.

C. A. Dom. **Unterholzner**, Juristische Abhandlungen, cum prooemio Professoris *P. J. Ans. Feuerbach,* Monach. 8.

Edu. **Henke**, Ueber den gegenwärtigen Zustand der deutschen Strafrechtswissenschaft, Landish. 8.

in sect. *medica:*

Andr. **Röschlaub**, Lehrbuch der besonderen Nosologie &c. Sect. III. Francof. 8.

Frid. **Tiedemann**, Anatomie und Naturgeschichte der Vögel, T. I. Ldsh. 8.

Phil. Fr. **de Walther**, Abhandlungen aus dem Gebiete der praktischen Medizin, besonders der Chirurgie und Augenheilkunde, T. I. cum tribus tabb. aeneis, Ldsh. 8.

in *Classe scientiarum general.*

Frid. **Ast**, Platonis Phaedrus, recens. et Hermiae scholiis e codd. Monacc. XI suisque commentariis

Ao. 1810.

illustr., Lips. 8; Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst, T. III. Ldsh. 8.

Frid. **Köppen,** Darstellung des Wesens der Philosophie, Norimb. 8.

Conr. **Mannert,** Geographisch-historisch-statistisches Zeitungslexicon, von Wolfgang *Jäger*, denuo elabor. T. III. Onolsbaci et Norimb. 8.

Jac. **Salat,** Von den Ursachen eines neuen Kaltsinnes gegen die Philosophie auf deutschem Boden, Ldsh. 8; Von einer schönen Hoffnung, welche der Philosophie aus dem neueren Wechsel der Systeme aufblüht, ibid. 8.

Ao. 1811.

ANNO DOMINI MDCCCXI.

Rector DLXI: **Philippus Franciscus** DE WALTHER, Philos., Medic. & Chirurg. Dr, Consiliarius regius medicinalis, Medicinae Prof. p. o., Ordinis Coronae Boïcae pro civilibus meritis Eques, regiae Academiae Scientiarum Monacensis correspondens, et Societatis physico-medicae Erlangensis Sodalis honorarius &c.

Nov. Inscripti 308.

Illustres:

Carolus Augustus **L. B. de Fraunhofen,** Landishutanus; Jurium Cand.

Franciscus **L. B. de Lerchenfeld,** Landishutanus; Philos.

Maximilianus **L. B. de Verger,** Ratisbonensis; Jur.

Carolus **Comes de Rottenhan,** Bambergensis; Jur.

Josephus Antonius **L. B. de Poelnitz,** Wirceburgensis; Jur.

Ao.

Carolus **Comes de Westerhold,** Ratisbonensis; Phil. 1811.
Josephus **Comes de Sarentheim,** Oenipontanus; Jur.

Novi Professores:

Carolus Josephus Ant. **Mittermaier** et
Carol. August. Dominicus **Unterholzner,** Jurium Doctores hucusque legentes, nunc eorundem Professores pp. oo.

Novi Doctores:

30 Maji	*Michaël Linding,* Eichstadianus e circ. regni Bav. Almonano	*Med.*
31 Aug.	*Jos. Willibaldus Zimmerer,* Scherensis Württembergensis,	
—	*Ignat. Pfisterer,* Gundelfinganus e circ. Danubiano superiori	
1 Sept.	*Joseph. Philippus Steinlein,* Bambergensis Franco,	
10 „	*Ferdinandus Raab,* Auracensis e circ. Bav. Rezatensi	
10 Dec.	*Jo. Bapt. Rainer,* Elsendorfiensis e circ. Bav. Regenano	
31 „	*Sebast. Goehl,* Mitterteichensis e circ. Bav. regni Moenano	
28 Mart.	*Jo. Nep. Wening,* Hohenaschauensis Bojus	*Phil.*
11 Dec.	*Jo. Schafberger,* (deest loc. natal.) Boj.	

Inter Immatriculatos hoc anno eximiorem sibi locum vendicant *Paulus Gradler,* Weickerichtensis Palatinus, Theolog. Candidatus, postero tempore ecclesiae metropolitanae ad D. V. Monacensis Canonicus capitularis et reverendissimi Archiepiscopi Consiliarius ecclesiasticus; *Hieronymus Bayer,* Raurisanus Salisburgensis Jurium Cand., illustrissimum postea hujus Universitatis ornamentum et patriae decus; *Sebaldus Brendel,* Philosophiae D.,

Ao.
1811. natus Carolostadii ad Moenum, Jurisprudentiae Cand. et Gubernator perillustris Comitis de Rottenhan; anno jam proxime futuro summis in utroque jure honoribus insignitus, deinde sacrorum canonum in alma literarum Universitate Würceburgensi Professor p. o. ac postremo regii appellationum Judicii Consiliarius.

Ex celsissimo rescripto dd. 31 Januarii *tempus* Philosophiae Studiosis *praescriptum abbreviandi venia* in posterum nonnisi in semiannum et iis tantum Academicis conceditur, qui omnes ex lege designatas prioris anni disciplinas saltem unum integrum et continuum annum in aliquo Lyceo aut Universitate cum bono successu fuerint emensi. Ejusmodi autem supplicationes debent ab ipsis Studiosorum parentibus aut curatoribus addita graviori aliqua dispensandi causa consignari.

Praenobilis *Jo. Nepom.* **Wening,** qui quaestionem superiori anno a philosophica sectione publice propositam *„Ueber das Verhältniss des Wesens zur Form der Philosophie“* cum communi omnium comprobatione persolvit, exantlato prius examine rigoroso habitaque publica disputatione 28 Martii h. a. gradu Doctoratus cum nota eminentiae loco praemii a clarissimo Professore *Friderico Köppen* h. t. philosophicae sectionis Directore donatus est.

Secunda Aprilis ab amplissimo Senatu academico fortioribus remediis actum est adversus *crebras ad certamina singularia provocationes,* quae inter Studiosos accidere solebant. Jam enim diu sodaliciis popularibus inter se divisi quotidianis fere digladiabantur contentionibus mutuisque sese altercationibus vexabant, ut gravissimae inde simultates atque inimicitiae enascerentur. Quae res cum esset Monachium delata, Serenissimus Rex adhibita severiori disciplina crescenti huic malo succurrendum putavit, datisque ad Senatum literis edixit, ut quicunque in posterum sive facto sive verbo commilitonem injuria affecerit, vel ad pugnam lacessierit, nullo personarum respectu habito dimissionis vel adeo relegationis poenae subjaceat.

Cum reverendissimus Ordinariatus Eichstadianus datis ad Majestatem literis iterum atque iterum conquereretur, quam esset iniquum, quod parochia ad D. V. Speciosam Ingolstadiensis per Vicarium administraretur, plurimum reverendus *Sebastianus* **Mall** designatus ex superiori anno parochus die 12 Maji jussus est

Ao. 1811.

deliberare et finito hoc anno scholastico libere profiteri, utrum beneficium istud ecclesiasticum ipse vellet suscipere, an dimissa parochia cathedram academicam retinere. Qua gemina sibi proposita conditione cum ille haud diu consultans tempore constituto parochia se lubentissime abdicaturum esse declararet, si qua vel minima sibi foret illius jacturae compensatio, Rex clementissime intercessit, eumque in publica professione sua permanere jussit collato eidem in compensationem *beneficio Catharinaeo*. Id autem beneficium manuale, quod nonnunquam etiam „stipendium" appellatur, ad sacellum S. Catharinae Ingolstadii fundatum (Cf. Annal acad. Ingolst. P. I. p. 98 sq. et T. II. p. 143) a saeculo decimo sexto usque ab amplissima Facultate artistica q. e. philosophica, penes quam secundum literas beatissimi fundatoris jus liberae collationis est, nemine unquam contradicente, solebat conferri. Anno autem 1806 protinus Senatus academicus jubetur, *„stipendium Catharinaeum"* cum omnibus documentis et pecuniis illuc concernentibus regiae nunc stipendiorum Administrationi tradere et exhibere. Non enim ecclesiasticum illud esse beneficium sed stipendium quoddam literarum studiosis destinatum falso putabatur. Cum igitur ea de re diu esset disceptatum, errore tandem detecto et luce clarius demonstrato, die 12 Maji hujus anni a Regia Majestate clementissime decretum est, ut fundatio illa, utpote cujus nulla omnino cum literarum studiis et re educatoria esset connexio, primitivo fini suo restitueretur, et beneficium S. Catharinae in posterum more hucusque solito clerico Professori ea cum obligatione conferretur, ut sacra officia ecclesiastica in ecclesia academica perageret. Itaque supra dictus meritissimus Professor beneficium isthoc die tertio Octobris per regiam pro hac vice provisionem lubentissime consentiente philosophica sectione obtinuit. Vacuam autem ex libera ejus resignatione parochiam Ingolstadiensem ad Divam Virginem Speciosam admodum reverendus *Petrus Sonntag* ab Vniversitate designatus et a Rege clementissime praesentatus suscepit.

Praenobilis *Eduardus* **Henke,** Jurium hucusque Doctor legens ex celsissimo regio rescripto dd. 18 Junii ad annuum quo fruebatur stipendium centum florenos in modum remunerationis recepit; *Carolus* autem *Josephus* **Mittermaier** et *Carolus Dominicus* **Unter-**

Ao.
1811. **holzner,** qui itidem usque adhuc jurisprudentiam privatim docebant, eodem clementissimo rescripto Professores publici ordinarii et alter quidem juris et processus criminalis, alter civilis juris Romani nominati sunt assignato utrique annuo mille florenorum salario.

Nihilominus Professor *C. Augustus Dominicus* **Unterholzner** eodem fere tempore suam non solum a publica professione sed etiam a patria dimissionem postulavit. Is enim jam superiori anno Marburgum fuit invitatus, Jurium ibi Professor et is quidem statim ordinarius futurus. Sed data sibi tunc temporis clementissima promissione, fore ut in ipsa nostra Universitate ordinariam obtineret cathedram, vocationem illam humanissime deprecatus est. Cum autem hoc quoque ineunte anno scholastico spem suam ad irritum sensisset redactam atque iterum et enixius a potentissimo Borussiae Rege Vratislaviam fuisset evocatus, haud diutius resistendum putavit; cumque res non amplius esset integra, fidem prope jam interpositam revocare noluit suamque dimissionem petiit. Id adeo aegre tulit serenissimus Rex Maximilianus, ut datis vigesimo tertio Octobris ad Senatum literis oratorem juberet edoceri, se dimigrandi veniam non impetraturum prius quam omnia reddiderit stipendia, quae pro cura sua literaria ab anno 1803 inde ex publico aerario recepisset. (Haec autem summam bis mille centum quadraginta florenorum expleverunt). Ille vero ne hac quidem conditione deterritus pecunias persolvit et Vratislaviam abiit. Ibi collegio juridicorum socius adlectus cum professione publica etiam Bibliothecarii officium suscepit, et in hoc utroque munere non solum doctrina, consilio, humanitate Studiosorum aeque ac Collegarum animos sibi conjunxit, sed etiam multis elucubratis commentationibus eximiam sibi doctorum virorum approbationem laudemque comparavit. Missis enim iis, quas variae Ephemerides receperunt, seorsim typis edi curavit: *Die Lehre von der Verjährung durch fortgesetzten Besitz &c.* Vratisl. 1815; *Entwurf zu einem Lehrgebäude des bei den Römern geltenden bürgerlichen Rechtes,* ibid. 1817; *Conjecturae de supplendis lacunis, quae in Gaji Institutionum commentario quarto occurrunt,* ib. 1823; *Ausführliche Entwicklung der gesammten Verjährungslehre aus den gemeinen in Deutschland geltenden Rechten,* duo tomi, Lipsiae 1828; Diss.

Ao. 1811.

De mutata ratione comitiorum centuriatorum a Servio Tullio rege institutorum, Vratislav. 1835. Obiit vir doctissimus Vratislaviae 25 Martii 1838, aetatis suae anno quinquagesimo primo. Memoriam defuncti duabus sub uno titulo *„Andenken an Dr. Dominikus Unterholzner"*, Vratisl. 4. evulgatis orationibus celebrarunt duo amicissimi ejusdem Collegae plurimum reverendi DD. Professores *Balzer* et *Ritter*.

Vigesimo tertio Junii hora nona vespertina obortus est *tumultus* occasione data, quod Studiosus quidam a milite in custodiam fuerat abductus. Excubiae nocturnae vigilesque adversus incendia instituti, alii milites armati advolant, in inermes congregatos irruunt, et, licet Rector magnificus et disciplinae publicae Praefectus intervenientes etiam atque etiam ab armorum usu dehortarentur, quatuor Academicos haud leviter vulnerarunt. Postero mane plerique Studiosorum urbem relinquunt, duo vero Professores, *Fr. Xaverius de Krüll* et *Maurus Magold* a Senatu academico deputati Monachium abierunt, ut falsos rumores praecaventes quemadmodum res gesta sit referrent. Interea Senatus adjuvantibus policiae Praeposito atque urbi Praefecto militari, quae in tanto rerum discrimine factu optima videbantur, disponit, Studiosos bona cum gratia revocat, saltationes ad symphoniae cantum prohibet; cauponas, quae sunt intra urbem, dispertit et alias solis militibus, alias Academicis designat, iis autem quae sunt extra urbem sitae, utrique parti penitus interdicit. Redeunt Deputati et paucis post diebus jussu regio missi adsunt recuperatores duo civiles totidemque militares, qui communi concilio rem penitius inquirerent. Sontibus acriter punitis pax rediit.

Admodum reverendus *Thomas Kraemel* Parochus *Schamhauptensis*, senio et diutinis laboribus debilitatus pridie ante Calendas Julii cum annua quadringentorum florenorum pensione ex regio aerario assignata in numerum Emeritorum receptus et ejus loco *Ev. Heindl*, O. S. B. in monasterio Speinshartensi professus ac dein Cooperator expositus in urbe Eschenbach in illam parochiam clementissime immissus est, reducta tamen quam hucusque utpote Exconventualis receperat pensione.

Die decimo quarto Septembris clarissimus *Franciscus Xaverius Therer*, Consiliarius regius ecclesiasticus actualis, Ecclesiae

Ao. 1811. *Ingolstadiensis ad S. Mauritium* Parochus ac subin etiam Capituli ruralis Decanus, diem obiit supremum. In ejus autem locum plurimum reverendus *Aloysius Schuhgraf,* SS. Theologiae D[r] anteaque Parochus in Aubing, a Regia Majestate 29 Decembris clementissime praesentatus est et mense Januario proxime futuri anni a reverendissimo Ordinariatu Eichstettensi canonice institutus.

Facta in annum futurum electio novi Rectoris magnifici *Viti Antonii* **Winter,** SS. Theologiae Professoris et Senatorum Conradi Martini *Stahl,* Simonis *Klotz,* Caroli Josephi *Mittermaier* et Joannis Nep. *Feiler* celsissimo rescripto regio dd. 20 Novembris clementissime confirmata est.

Libris editis hoc anno laudari merentur Professores

e sectione *theologica*:

Ant. **Michl,** Christliche Kirchengeschichte, P. II. complect. additamenta ad P. I, Monach. 8.

Mich. **Sailer,** *Dietl's* Homilien über die sonntäglichen Evangelien, Editio III. Landish. 8; Kleine Bibel für Kranke und Sterbende und ihre Freunde, Monach. 8; Das Auge Gottes, Brigant 8,

Vit. A. **Winter,** Erstes deutsches kritisches katholisches Ritual mit stetem Hinblick auf die Agenden der Protestanten &c. Ldsh. 8; Religiös-sittliche Katechetik, Ldsh. 8, anno 1816 iterum recus.

in sectione *juridica*:

Nic. Thadd. **Gönner,** Archiv für Gesetzgebung &c. T. IV. Ldsh. 8.

Fr. X. de **Krüll,** Darstellung der Lehre von der Intestat-Erbfolge nach dem französischen Civilrechte, Ldsh. 8.

C. Jos. **Mittermaier,** Handbuch des peinlichen Processes &c. T. II. Bonnae 8.

C. Aug. Dom. **Unterholzner,** Allgemeine Einleitung in das juristische Studium &c. Monach. 8.

Ao.

Edu. **Henke,** Ueber den Streit der Strafrechtstheorien, ein Versuch zur Versöhnung, Ratisbonae. 8; Geist des allgemeinen Gesetzbuches über Verbrechen und Strafen im Kgr. Bayern, ib. 8. 1811.

e sect. *medica:*

Jo. Nep. **Feiler,** Ueber den Bruch des Olegranums, Solisbac. 8.

Aug. **Schultes,** Baierische Flora, I Centuria, Ldsh.

Frid. **Tiedemann,** Anatomie und Naturgeschichte des Drachens (Draco viridis) Norimberg. 4.

Phil. Fr. **de Walther,** Ueber den Geist des Universitätsstudiums, oratio inaugur. hab. occasione solemnis academicarum legum promulgationis, Ldsh. 4.

e classe *comm. litt.*

Conr. **Mannert,** *Jägers* geogr.-histor. statist. Zeitungslexicon T. III. Landish. 8 maj.; Zusätze und Berichtigungen hiezu, ib.; Kaiser Ludwig IV. oder der Baier, Commentatio a scientiarum Academia Monacensi die 12 Octobris 1811 praemio coronata, dein typis edita Landish. 1812. 8.

Jos. **Milbiller,** Handbuch der Statistik der europäischen Staaten, Sectt. I & II. Ldsh. 8.

Jac. **Salat,** Die Religionsphilosophie, Ldsh. 8.

Ao. 1812.

ANNO DOMINI MDCCCXII.

Rector DLXII: **Vitus Antonius** WINTER, Philos. et Theol. D^r^, Consiliarius regius ecclesiasticus act.; Patrologiae, Catecheticae ac Liturgiae Prof. p. o. Parochus ad S. Jodocum.

Nov. Inscripti 164.

Illustres:
Leopoldus **L. B. de Welden,** Mainbergensis Palatinus; Philos. Cand.
Franciscus **Comes de Seiboltsdorf,** Niederaichbacensis Bav.; Philos.
Carolus **L. B. de Aretin,** Wetzlariensis; Jur.
Joannes **L. B. de Prielmayer,** Landishutanus; Jur.
Josephus **L. B. de Gohren,** Wattwillensis; Jur.
Jo. Nepomucenus **L. B. de Mandl,** Tandernensis Bojus; Jur.
Rudolphus **Comes de Tannenberg,** Oenipontanus; Jur.

Novi Doctores:

		Sebaldus Brendel, Carolostadiensis Moenanus	*Jurium* D^r^
24	Febr.	*Hieronym. Deranco,* Lauterhofensis e circ. regni Bav. Regenano	
4	Mart.	*Jacobus Distlbrunner,* Monacensis,	
14	„	*Jo. Nep. Ringseis,* Schwarzhofensis e circ. Regenano,	
16	„	*Carolus Fuchs,* Monacensis,	
21	„	*Frider. de Jan,* Wallersteinensis e circ. Danubiano superiori	
23	Maji	*Jo. Bapt. Froehlich,* Ratisbonensis,	*Med.*
5	Aug.	*Fr. Seraph. Kosak,* Nietenaviensis e circ. Regenano,	
29	„	*Jo. Dan. Chph. Bezold,* Rothenburgensis e circ. regni Bav. Rezatensi	
11	Sept.	*Jo. Casp. de Wachter,* Memminganus Suevo-Bavarus,	
12	„	*Maximilianus Mari,* Landishutanus	
12	Dec.	*Franciscus Alexander Convers,* Veveyanus Helvetus,	

			Ao. 1812.
m. Aug.	*M. Ant. Bihler,* Sonthofiensis Algojus	*Phil.*	
„ „	*Jo. Jos. Semer,* Ingolstadiensis, Semeri olim nostri filius natu maj.,		
„ „	*Carolus Weichselbaumer,* Monacensis,		
„ „	*Casimirus de Sicherer,* Holzheimensis prope Donauwörthum,		

In iis, qui hoc anno praeter Illustres supra laudatos Albo nostro sua nomina dederunt, eximiori quodam titulo commemorandi sunt Jurium Candidati: *Ludovicus de Coulon*, Landsbergensis, postea Regis a Consiliis ministerialibus et Archivo regiae domus Praefectus, equestri cruce civilibus de Corona Bav. meritis dicata insignitus, Bavarici item meritorii Ordinis S. Michaëlis et Austriaci Ordinis Leopoldini Equitum Magister, regiaque Graeca cruce aurea decoratus; *Philippus Jacobus Fallmerayer*, Brixiensis Tyrolensis; *Georg. Thomas Rudhart,* Bambergensis; *Nathanaël de Schlichtegroll,* Gothanus; qui tres omnes postea in hac alma Ludovico-Maximilianea literarum Universitate Professores designati sunt, unde saepius ad eos sermo in his annalibus redibit; *Antonius de Schlichtegroll,* Nathanaëlis frater, Gothanus, postmodo Regis a supremis Consiliis aediliciis, Ordinis Magno-ducalis Vimariensis necnon meritorii Coron. Bav. et S. Michaëlis Ordinis Eques.

Cum *clandestina inter Academicos* etiamnum persistere viderentur *sodalicia,* Senatui academico die 15 Februarii mandatum est, ut celsissimam, quae jam vigesimo nono Decembris 1806 de sodaliciis popularibus et detestandis ad certamina singularia provocationibus emissa fuit, constitionem affixo ad tabulam programmate iterum ac severe promulgari et adjuvante publicae disciplinae Praefecto strenuissime exsequi curaret. Senatui secundum leges academicas etiam in posterum jus quidem competere de dimissionis vel relegationis poena cognoscendi, sed hujus generis poenas exsecutioni dare sibi non licere prius quam regia confirmatio fuerit impetrata.

Inter duos Professores clericos, *Vitum* nempe *Antonium* **Winter** et *Jacobum* **Salat** oborta est altercatio quaedam literaria, quae stomacho iracundiaque adeo efferbuit, ut injuriarum actionem provocaret. Qua re cognita suprema Universitatis Curatoria datis

Ao. 1812. die decimo sexto Februarii ad Senatum literis rescripsit, Serenissimum invito animo comperisse, quod duo Professores academici tam parum sibi temperassent, quominus mutuo animi studio abrepti injurias sibi publice afferrent, ut civibus essent scandalo et juventuti sibi creditae lugubre exemplum discordiae praeberent. Serenissimum igitur non habere in animo actionis prosecutionem uspiam impedire, sperare tamen, fore ut non solum supra dicti duo Professores ab omnibus ea de re criminationibus abstineant, sed etiam ceteri Universitatis cives in literariis suis controversiis debitam sibi invicem aestimationem modestiamque diligentius in posterum observent.

Clarissimus Medicinae Professor *Augustus* **Schultes** rescripsit regiis dd. 3 Maji et 1 Julii veniam impetravit accipiendi diplomata, quibus a scientiarum Academia Taurinensi et non ita multo post etiam a Societate physica Tigurina in literarum commercium adlectus fuit.

Quum perillustris ac doctissimus Chemiae et Mineralogiae Professor, *Joannes Nepom.* **Fuchs**, ab amplissimo Pleno in annum futurum Rector electus, hoc magnificentissimum munus modestissime fuisset deprecatus, Rex Professorem agriculturae *Walradum* **Medicum**, qui suffragiorum pluralitate primus ab illo fuit, Rectorem designavit. In Senatores autem electi et die 12 Novembris clementissime confirmati sunt Professores *Fridericus Koeppen* e philosophica, *Christianus Siebenkees* ex historica, *Sebastianns Mall* e theologica et *Benedictus Holzinger* ex publico-oeconomica sectione.

Praenobilis ac perdoctus *Martinus Münz*, Bambergensis Franco-Bavarus, natus 5 Februarii 1785, qui exantlato in hujate alma literarum Universitate examine rigoroso publicam cum applausu sustinuit disputationem et dissertatione *„De cortice Peruviana et radice Ipecacuanhae earumque surrogatis“* perorata posteaque Landishuti typis edita die 10 Septembris 1810 jam summis in medicina et chirurgia honoribus insignitus fuit, hoc ipso anno in Prosectorem anatomicum stipendio tamen nondum sibi assignato assumtus est.

Perillustris *Nicolaus Thaddaeus* **Gönner**, qui jam proximo abhinc anno a Regia Majestate in numerum eorum, qui scribendis

Ao. 1812.

legibus delecti fuerant, Monachium evocatus est reservata tamen cathedra academica, hoc ipso anno per clementissimum rescriptum dd. 8 Decembris Judicii Appellationum Director in provincia regni Bavarici Isarana designatus munere suo publico docendi penitus se abdicavit, perpetuumque in regia metropoli domicilium fixit. Verum etiam post suum a nobis discessum non solum novis ingenii sui partubus orbem literarium illustrare non desiit (Cf. ann. 1826), sed publico quoque consilio amplissimos brevi honores enisus, primum intimus in summo Ministerio Justitiae Referendarius (1815), deinde regius Consiliarius a secretis (1817) et a Consiliis eorum, qui de rebus publicis agitantur extraordinarius, denique (1821) ordinarius ejusdem Collegii Consiliarius designatus, praeterea cruce civilibus meritis dicata insignitus et in matriculam Nobilium regni evectus est. Imo etiam extranei potentissimi Principes eximia hujus excellentissimi viri merita ornarunt. Imperator enim Russiae Ordinis S. Annae secundae classis Equitem, et Magnus Dux Hassiae Equitum Magistrum Ordinis sui domestici illum nominarunt. Vacuam per ejus promotionem cathedram academicam obtinuit clarissimus *Carolus Sebastianus de Hellersberg*, Juris publici et feudalis Professor, qui simul Archivarius Universitatis fuit et Senator perpetuus.

Finito prope mense Decembri plurimum reverendus D^r *Fr. Xav. Florianus* **Atzenberger,** Consiliarius ecclesiasticus Salisburgensis, qui in hac alma Ludovico-Maximilianea literarum Universitate per integrum fere decennium theologicas sed eas nonnisi privatim habuit lectiones, tandem publicus theologiae dogmaticae (quam clarissimus Jo. Nep. Hortig hucusque tradidit) et hebraicae linguae Professor in Lyceo regio Ambergensi designatus, inde vero Calendis Februarii 1816 ut easdem disciplinas doceret Salisburgum translatus est. Quum autem territorium illud sub Austriacam iterum rediisset ditionem, Atzenbergerus in patriam reversus curae animarum totum se dedit et parochiam primum Bernaviensem quae est in Bavaria superiori, deinde Gottszellensem in Palatinatu superiori, postremo Haslbacensem suscepit, ubi 16 Aprilis 1842 jam Jubilaeus sacerdos septuaginta quator annos natus pientissime in Domino obdormivit.

Ao. 1812. *Libri hoc anno editi* a Professoribus non ita multi sunt; missis scilicet iis commentationibus, quas variis Ephemeridibus placuit inserere. Seorsim enim prodiderunt

in sectione *theologica:*

Mich. **Sailer,** Entwurf eines Handbüchleins für Beichtende, Monach. 8.

Vit. Ant. **Winter,** Ueber die ältesten Gesetze Bojuariens, oratio habita a se Rectore quo die statuta Universitatis promulgata sunt, Landish. 8.

in sectione *juridica*:

Carol. **de Hellersberg,** Auszug aus den Jahrbüchern des baierischen Volkes, c. tabulis genealog., Landish. 8.

Ant. **Michl,** Christliche Kirchengeschichte, Editio II. Monach. 8.

Car. Jos. **Mittermaier,** Einleitung in das Studium der Geschichte des germanischen Rechts, Landish. 8.

in sect. *medica:*

Frid. **Tiedemann,** Anatomie der Röhrenholothurie, des pomeranzenfarbigen Seesternes und Stein-See-Igels, dissert. hoc anno ab Instituto Francogallico praeposito coronata praemio et Landishuti demum ao. 1816 in fol. min. c. 10 tabb. aeneis evulgata.

in sect. *philologica* et *philosophica:*

Frid. **Ast,** Anthologia latina poëtica &c. in usum lectionum, Monach. 8.

Jac. **Salat,** Ueber das Loos katholischer Schriftsteller in den Literaturzeitungen der Protestanten, Ldsh. 8; Erläuterung einiger Hauptpunkte der Philosophie, ibid. 8.

Ao. 1813.

ANNO DOMINI MDCCCXIII.

Rector DLXIII: **Ludovicus Walradus** MEDICUS, Philos. D^r, regius Consiliarius aulicus act., Scientiarum Academiae Monacensis socius &c.; Oeconomiae ruralis, forestalis et metallicae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 186.

Illustres:
Godofredus **L. B. de Schneeburg,** Schwatzensis Tyrolensis; Philos. Cand.
Leopoldus **Comes de Künigl,** Salisburgensis; Jur. C.
Joannes **L. B. de Sternbach,** Bludentianus; Philos. C.
Marianus **L. B. de Tschudj,** Helvetius; Philos. C.

Novi Professores:
Theophilus **Hufeland,** consul Dantiscanus, nunc iterum Jurium Professor.
Joannes Bapt. **Andres,** e regio Lyceo Salisburgensi huc translatus, Juris canonici et Historiae ecclesiasticae Prof. p. o.

Novi Doctores:

1 Sept.	Pl. rev. *Martinus Deutinger,* Wartenbergensis Bojus	*Theol.*
13 Jan.	*Jos. Schmid,* Vierholzensis e circ. Bav. Danubiano infer.	*Med.*
10 Maji	*Fr. Xav. Raab,* Straubinganus e circ. Danub. inferiori	
20 Aug.	*Jos. Duille,* Tuburiensis e circ. regni Bavar. Oenano	
—	*Aloysius Finke,* Brigantinus e circ. Illerano	
14 Sept.	*Marc. Aurel. Fessler,* Scheffaugiensis e circ. Illerano	
24 Nov.	*Carol. Maffei,* Halleinensis e circ. regni Bav. Salzach.	

Ao.			
1813.	1 Dec.	*Jos. Ludov. Grass,* Vaducensis ex Ducatu Lichtensteinensi	*Med.*
	—	*Matthias Maehr,* Brazensis e circ. regni Bav. Illerano	*Med.*
		Corbinianus Badhauser, Monacensis	*Phil.*
		Hieronymus Bayer, Raurisanus Salisburgensis	*Phil.*
		Antonius Heigl, Straubinganus Bojus	*Phil.*

Ex iis hoc anno immatriculatis, qui praeter supradictos nobilitate generis illustres eximiam sibi cum tempore meritorum suorum laudem pepererunt, praecipue mihi videntur commemorandi: *Maximilianus Augustus de Schilcher,* Mindelhemiensis Suevo-Bavarus, Candidatus Philosophiae, jam vero Regis a Consiliis quae de rebus publicis agitantur, Ordinum S. Michaëlis et civilium meritorum Coronae Bav. nec non S. Josephi Florentini Ordinis Commendator, item Ordinis rubrae aquilae III class. Borussici Eques et regia Graeca cruce aurea decoratus; *Henricus Arnoldus L. B. van der Becke,* Bruchsalensis in Magno-Ducatu Badensi, Candidatus jurisprudentiae, nunc Judicii appellatorii in Bavaria superiori regius Praeses, Caesar. Austriaci Ordinis Leopoldini, Ordinis item Cor. Bav. pro civilibus meritis Eques et Ordinis meritorii S. Michaëlis Commendator; *Matthias Liefer,* Stadtamhofiensis in Palatinatu superiori, Philos. Candidatus, tempore quo haec scribo regius aerarii in Bav. superiori Director, cruce civilibus de Corona Bav. meritis dicata insignitus et Ordinis S. Michaëlis meritorii Eques; *Ludovicus Gombart,* Augustanus Suevo-Bavarus, Jurium Candidatus, posthac supremi appellationum Judicii Monacensis Consiliarius et Ordinis meritorii Coron. Bav. Eques; *Adamus Oberndorfer,* Pressathensis Palatinus, Philos. II anno Candidatus, postea publicae oeconomiae in hac alma literarum Universitate Professor.

Professor p. o. *Guilielmus* **Butte**, qui in hujate Academia Policiae, quam vocant, seu publicae tutandae securitatis doctrinam tradidit, cum jam biennio abhinc impetrata in annum venia peregre profectus justo tempore non rediisset, sed ab ineunte anno 1811 usque adhuc in remotis, postremo maxime Parisiis fuisset

Ao. 1813

commoratus, quin unquam commeatus sui prolongationem petiisset, imo adeo per legatum ibi residentem revocatus non compareret, ex decreto regio dd. 18 Februarii a suo docendi munere dimissus, ejusque annuum mille ducentorum florenorum stipendium a Calendis Aprilibus in fundum academicum redactum est.

Novum autem hoc anno Universitas nostra sibi decus et ornamentum acquisivit ex reditu illustrissimi D.r *Theophili* **Hufelandi** Dantiscani. Is enim summo, quem annis quatuor tenuerat in urbe sua patria, Consulatu se sua sponte abdicavit, et ad preces suas almae nostrae Universitati per rescriptum regium dd. 24 Februarii clementissime restitutus, sed in praesenti nonnisi provisorio modo Juris Romano-civilis, Policiae et publicae Oeconomiae Professor cum salario bis mille ducentorum florenorum designatus est. Sic optime de utraque disciplina provisum fuit, quas antehac *Dominicus Unterholzner* et *Guilielmus Butte* tradiderunt.

Ex eodem clementissimo rescripto *Carolo Josepho* **Mittermaier,** juris criminalis Professori, qui ex eo tempore, quo clarissimus *Gönnerus* Monachium avocatus fuit, etiam collegia illius practica suscepit, trecenti floreni in universum pro gratificatione assignati sunt.

Pridie Cal. Martii celsissimum secreta Studiosorum sodalicia concernens Senatui adlatum est edictum, cujus haec potissimum summa: Nemini Studiosorum licet secretas inire societates et habere conciliabula, aut sodalicia popularia aliasve legibus academicis jam dudum vetitas conjunctiones frequentare, cujucunque sint nominis vel praetextus, et quomodcunque initae, sive simpliciter data fide sive adeo juramento firmata. Quicunque igitur Albo academico inscribendus est, prius fide dextraque data Rectori jurisjurandi loco promittat, se nullam vetitam conjunctionem habere, nullique in posterum sodalicio interfuturum, nullamque secretam aut suspectam unionem conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat, et si quid noverit in status damnum tractari, se illico id manifestaturum. Eandem etiam omnes jam immatriculati Rectori dare promissionem et in tabulam literis redactam sua quisque manu subscribere tenentur. Qui post fidem datam talis occultae consociationis aut sodalicii popularis sive auctores sive seniores aut munere aliquo fungentes sive ejusmodi literarum commercio

Ao. 1813. usi cum extraneis sociis fuerint convicti, bimestri carcere et perpetua relegatione palam in tabula pronunciata punientur; si quis vero non omnino quidem convictus sed probabilibus indiciis de delicto suspectus fuerit, sub speciali custodia teneatur, et pro re nata si praesertim de malis moribus aut studiorum negligentia reprehensione dignus sit, consilio abeundi afficiatur. Gladiatoriae autem sodalitates Studiosis intordicuntur, et armorum exercitia privata nonnisi in publica palaestra et duce atque inspectore academico batuandi magistro habeantur. Caupones denique, thermopolae, aedium domini et earum locatores, qui habitacula sua vetitis istis conventiculis suppeditare aut duellantibus operam suam ministrare sibi praesumserint, aut, si quos noverint certamen singulare commissuros, non statim Rectori academico aut publicae disciplinae Praefecto detulerint, primum decem deinde viginti imperialium poena in fundum pauperum mulctentur.

Decimo secundo Martii hydrope pectoris suffocatus anno aetatis sexagesimo obiit plurimum reverendus *Antonius* **Michl,** Juris utriusque et SS. Theologiae Dr, Consiliarius regius ecclesiasticus et per tredecim annos sacrorum canonum et historiae sacrae Professor p. o., vir comti et eruditi ingenii ac lectionis immensae, ecclesiastes pariter gravis et jucundus, quem lubenter audiebant discipuli; et quicunque usi sunt ejus familiaritate, sincerum eum fidumque luxerunt amicum. Defuncti cathedram ex rescripto regio d. 11 Maji nactus est clarissimus *Joannes Baptista* **Andres.** Is Regiscurianus in arvis (seu Koenigshofiensis) Franco 11 Augusti 1768 natus, in Universitate Herbipolitana summis in philosophia, theologia et jure utroque honoribus insignitus anno 1802 Doctor ibidem legens ac postero anno in Professorum ordinem receptus, inde vero Salisburgum evocatus atque ibi canonicatum B. Mariae Virginis ad Nives et simul cathedram academicam Juris et Historiarum gentium suscepit; sublata autem illic Universitate, quum anno 1811 Archiepiscopi olim Principis territorium in ditionem Bavaricam venisset, Professor juris canonici et historiae ecclesiasticae in Lyceo regio Salipolitano designatus est. Sed jam biennio post ad tradendas easdem disciplinas in hac nostra Academia Professor p. o. assignato sibi annno octingentorum florenorum

Ao.
salario et imminuta sua canonicali praebenda clementissime no- 1813.
minatus est.

Gallicis literis publice tradendis singularem hoc anno cathedram aperire placuit et in eam evocare perillustrem *Jo. Antonium Greuzardum* **D'Amadieu**. Is natus 3 Octobris 1768 Bellomati (Beaumat) prope Cadurcum in Aquitania (provincia antehac gallice „Guienne" dicta, hodie Du Lot), oborta sub finem prioris seculi rerum Gallicarum eversione cum innumeris aliis regni nobilibus patria profugas emigravit, et variis tractatus fortunis a clementissimo Rege nostro receptus est, ut *Carolum Theodorum* secundogenitum celsissimum regium Principem Gallicam linguam doceret. Quo quum egregie functus fuisset officio, per rescriptum d. 16 Junii h. a. Gallicarum literarum in hac nostra Universitate Professor nominatus, eique annuum, quod inde recepturus esset, salarium in fundum Ordinis equitum Melitensium ad tempus assignatum est. Veruntamen *D'Amadieu* hunc honorem submississime deprecatus etiamtum Monachii permansit, biennio autem post (mense Majo 1816) educandis nobilibus ex regia cohorte pueris praefectus fuit, summisque honoribus ornatus anno aetatis suae sexagesimo septimo die nempe 7 Maji 1835 vitam posuit.

Ex novis hujus anni Doctoribus praecipue memorandus est *Martinus Deutinger*, molitoris filius Wartenbergensis Bav., qui mense Novembri 1806 Albo nostro academico nomen dedit, studiisque philosophicis, theologicis et juridicis egregie instructis 21 Septembris h. a. Sacerdos ordinatus et quum jam superiori anno quaestionem theologicam cum praemio propositam *„Ueber das Wesen und Prinzip der biblischen Hermeneutik"* summo omnium applausu elucubrasset, examinibus rigorosis cum nota eminentiae exantlatis habitaque dissertatione inaugurali *„Ueber den gemeinsamen öffentlichen Gottesdienst in der katholischen Kirche"* a sacrosancta Facultate Calendis Septembribus laurea doctorali coronatus est. Jam enim postero anno a reverendissimo Vicariatu generali in Curiam episcopalem Frisingensem arcessitus ejusdem Collegii Assessor et 28 Novembris 1821 Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus, quadriennio autem post etiam supremus in regio Ministerio a rebus ecclesiasticis Consiliarius designatus est. Quod munus gravissimum per integrum decennium tanta industria, pru-

Ao. 1813. dentia ac probitate sustinuit, ut, cum a reverendissimo Lotharo Anselmo Archiepiscopo Vicarius Generalis fuisset assumtus, Serenissimus Rex Ludovicus aegre quidem sed gratiosissimis sua manu scriptis literis eum dimitteret, et insigni cruce civilibus de Corona Bavariae meritis dicata decoraret. Anno 1841 vir pretiosissimus a sede apostolica ad Praeposituram Capituli archiepiscopalis promotus, et ao. 1846 deposito per mortem beatissimi *Lotharii Anselmi* Vicariatu generali ab excellentissimo novo Archiepiscopo *Carolo Augusto* non solum consilii eccl. generalis sed etiam Judicii metropolitani Director designatus est. Tricesimo autem Octobris 1854 protinus cholera morbo correptus hora 11 meridiana omnibus sacris munitus pientissime in Domino obdormivit, ingens post se desiderium relinquens ob singulares virtutes, quas in eo mirati sunt omnes, qui vivum norunt. Non enim solum officia sua in Ecclesia et Capitulo religiosissime persolvit, et innumeros, qui supplices eum adibant, consilio et ope adjuvit, sed etiam privata praesertim historiarum studia tam indefessa diligentia tractavit, ut in scientiarum Academiam Monacensem aliaque plura DD. VV. sodalicia socius assumeretur.

Tres alii praenobiles viri adolescentes propositam superiori anno a philosophica sectione pro capessendo gratuito gradu doctoratus quaestionem *„Wie unterscheidet sich die Metaphysik von der Physik, wenn mit jedem dieser Worte ein bestimmter Sinn verbunden wird?“* egregie hoc anno persolverunt, ideoque summis in philosophia honoribus praemii loco donati sunt, primus *Corbinianus Badhauser,* Monacensis; alter *Jo. Paulus Hieronymus Bayer,* Raurisanus Salisburgensis, qui natus 21 Septembris 1792 disciplinis humanioribus Salisburgi cum profectu prorsus eminente peractis atque inchoata illic etiam jurisprudentia anno 1811 in hac alma Ludovico-Maximilianea literarum Universitate immatriculatus studia sua juridica junctim cum philosophicis jam in tertium annum egregie prosecutus est; tertius *Antonius Heigl,* Straubinganus Bojus, cujus honorificum vitae decursum jam ad annum 1810, quo Albo nostro academico nomen dedit, paucissimis attigimus.

Hoc quoque anno clarissimo Professori medico ac Consiliario *Augusto* **Schultes** contigit, ut honorificentissimum ex Helvetia

Ao. 1813.

transmissum acciperet diploma, quo inclyta eorum qui rerum naturam scrutantur societas Geneviensis eum utpote novum sibi membrum adjunxit.

Praenobilis D^r *Eduardus* **Henke,** Jurium per annos quinque privatim docens et ob egregia sua de re literaria merita maximopere ab amplissimo Senatu commendatus celsissimo regio rescripto d. 5 Octobris Assessor in regio Judicio urbano Norimbergensi cum annuo mille florenorum stipendio designatus est. Cum autem eodem fere tempore Bernam fuisset invitatus, ut Cathedram academicam ibi susciperet, postero anno hanc vocationem secutus illuc abiit, atque non solum solidissimis suis praesertim de jure criminali lectionibus sed etiam scriptis ex eo tempore libris e. gr. *„Ueber das Wesen der Rechtswissenschaft und das Studium derselben in Deutschland“* Aaraugiae 1814; *„Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft“* II tomi, Tiguri 1815. 1818; *„Darstellung des gerichtlichen Verfahrens in Strafsachen“*, ibid. 1817; *„Das öffentliche Recht der schweizerischen Eidgenossenschaft und der Kantone der Schweiz“*, Aaraug. 1824; *„Handbuch des Criminalrechts und der Criminalpolitik“* T. I. II. III Berolini 1823. 1826. 1830. 8; aliis eximiam sibi peperit famam. Obortis autem 1832 turbis intestinis commotus in patriam rediit et supremi Appellationum Judicii, quod Guelpherbyti fuit, Consiliarium egit; quo tamen munere non ita multo post se sua sponte abdicavit, ac pristinis literarum studiis obsecutus iterum publicam in celeberrima Halensi Academia cathedram suscepit. Ibi, ut alia scripta taceam, opus illud praestantissimum *„Handb. des Criminalrechts &c.“* absolvit, addito nempe tomo IV, quem typis edidit Berolini 1838. 8.

Rescripto regio dd. 7 Novembris Rector jubetur unacum Policiae Commissario strenue invigilare, ne cui literarum studioso mansio in hac Universitate concedatur, nisi se de adimpletis legitimis pro admissione conditionibus et de congrua sustentatione sua probaverit. Praeterea omnes tam recentes advenae quam ex superiori anno inscripti coram Rectore magnifico et publicae disciplinae Praefecto interposito jurejurando promittant fidem literis in tabula consignatam et sua manu subscriptam edant, se nullum unquam secretum sodalicium inituros et siqua hujus generis sodalitate fuissent conjuncti, eam illico esse deserturos. Qua data

Ao.
1813. occasione congregatis in Aula academica praelegatur regia constitutio die 28 Februarii edita cum severa commonitione de vitando crimine perjurii. Si quis autem inter ipsos Professores juratam illam sponsionem, quam jurare omnes publico aliquo fungentes munere tenentur, nondum fortasse fecerit, statim ad eam deponendam adigatur.

Electio novi Rectoris et eorum Senatorum, qui quovis anno denuo designantur, die 7 Novembris a Regia Majestate clementissime confirmata est. Fuit autem in Rectorem electus iterum magnificentissimus *Walradus* **Medicus.** In numerum autem Senatorum recipiuntur e sectione physico-mathematica *Maurus Magold,* ex aesthetico-philologica *Fridericus Ast,* ex juridica *Joannes Bapt. Andres,* et e sectione medica *Fr. Philippus de Walther.*

Libros singulares (ut enim taceam commentationes aliis operibus insertas) hoc anno ediderunt Professores

in sectione *theologica:*

Mich. **Sailer,** Blicke des hl. Paulus in die Tiefen der Weisheit, Monach. 8; Gastpredigten in der Schweiz, Lucern. 8; Vorbereitung des christlichen Volkes zur Feier der Geburt unsers Herrn J. Chr., ibid 8.

Vit. A. **Winter,** Aelteste Kirchengeschichte von Altbayern, Oesterreich und Tyrol, P. I. a Chr. nato ad annum 554, Landish. 8; Aelteste Kirchengeschichte Bojariens, a Chr. n. usque ad Carolum M., ibid. 8; Todtenfeier der Heldenasche &c., Oratio funebris 2 Februarii in sollemnibus exequiis ad S. Jodoci habita, quibus mortem fortissimorum virorum de Deroy, de Sibein, de Preysing, ceterorum commilitonum, qui ad Polozkum in proelio ceciderunt, cum communi patriae luctu celebravimus.

in sect. *juridica:*

Edu. **Henke,** Beiträge zur Criminalgesetzgebung in einer

Ao. 1813.

vergleichenden Uebersicht der neuesten Strafgesetzbücher, Ratisb. 8.

Theoph. **Hufeland,** Handbuch der Staatswirthschaftskunst, T. II. Giess. 8.

in sect. *medica:*

Frid. **Tiedemann,** Anatomie der kopflosen Missgeburten, cum 4 tabulis aeneis in fol. Landishut.

in sect. *philos. aethet. mathemat.*

Frid. **Ast,** Grundlinien der Aesthetik, Ldsh. 8.

Frid. **Köppen,** Philosophie des Christenthums, T. I. Lips. 8.

Maurus **Magold,** Lehrbuch der Arithmetik, Edito tertia et auctior, Ldsh. 8; Lehrbuch der Mechanik fester Körper, P. II. ibid. 8; Abhandlung von der Epikycloide, Ldsh. 8, quae commentatio pertinet appendicis loco ad librum ao. 1805 ib. editum.

ANNO DOMINI MDCCCXIV.

Ao. 1814.

Rector DLXIV: **Ludovicus Walrad.** MEDICUS, Philos. D^{r}, reg. Consiliarius aul. act., Scientiarum Academiae Monac. socius; Oeconomiae ruralis, forestalis et metallicae Prof. p. o. II^{do}.

Nov. Inscripti 68.

Illustres: *Maximilianus* **L. B. de Gobel,** Wirceburgensis; Philos. Cand.

Gorgius **L. B. Tautphoeus,** Dinkelsbühlensis; Philos. Cand.

Carolus Fridericus **L. B. de Behaim,** Norimbergensis; Jurium C.

Priv. Docentes: *Jo. Nep.* **de Wening,** Hohenaschaviensis Bav.; Jurium D^{r} legens.

Martinus **Münz,** Bambergensis Franco; Prosector anatomicus.

Ao.
1814. Novi Doctores:

25 Febr.	*Henricus Policzka,* Ratisbonensis,	*Jur.*
17 „	*Laurentius Gmeiner,* Monacensis,	*Med.*
9 Julii	*Jo. Hacker,* Chirurg. milit. secundarius, Nittenaviensis e circ. regni Bav. Regenano,	*Med.*
3 Sept.	*Fr. Jos. Küng,* Nütziderseensis	*Med.*
—	*Fr. Anton Seeger,* Brazensis Voralberg.	*Med.*
20 Dec.	*Jo. Adam Ganser,* Aquisgranensis.	*Med.*

Inter Inscriptos h. a. praecipuum sibi locum vendicat *Josephus Schlagintweit,* Regenanus in Palatinatu superiori, Medicinae Candidatus, postea regius Consiliarius et Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques, Medicus Monacensis praesertim ophthalmicus clarissimus, mortuus ibi ao. 1854 grassante tunc cholera morbo; et *Laurentius Zierl,* Furthensis ad sylvam Boj., post Philos. et Med. D.r et in Universitate Professor.

Experientissimus medicinae Professor *Georgius Augustinus* **Bertele**, datis ad summum regni a rebus internis Ministrum literis ultro operam suam ad militaria sive medica sive chirurgica officia durante communi civium ad arma evocatione professus est. Quam Sibi propositam conditionem Rex clementissime accepit et Senatui academico die 12 Januarii mandavit, ut dictum Professorem certiorem redderet, Se suo tempore opera ejus cum congruo honoris gradu lubentissime usurum, si condendis pro exercitu in subsidio locato nosocomiis castrensibus opus fuerit. Idem fere proxime futuro mense, die nempe 13 Februarii, clementissime rescriptum est perillustri Consiliario medico ac Professori *Philippo Fr.* **de Walther**, qui simili modo operam suam medico-castrensem obtulit ac promisit.

Uxor Professoris *Guilielmi Butte* a publico docendi munere dimissi, cum jam superiori anno quingentis florenis in modum temporariae pensionis esset sublevata, ad iteratas submississimas preces suas idem etiam in hunc annum beneficium impetravit; libellus autem, quo ipse dimissus supplicissime petiit, ut in cathedram suam academicam restitueretur, rescripto regio dd. 9 Februarii praecise rejectus est.

Ao. 1814.

In juridica sectione novus post *Eduardi Henke* abitum Doctor legens assumtus est praenobilis *Joannes Nepom.* **de Wening** Hohenaschaviensis Bavarus. Is 15 Nov. 1790 natus, gymnasialibus disciplinis cum eximia laude Monachii absolutis 1809 Albo nostro academico nomen dedit, et biennio post summis in philosophia honoribus praemii loco insignitus Jurisprudentiae studiis tam egregiam operam impendit, ut in Academia Gottingensi juridico gradu recepto Doctor legens admitteretur. Qui quum hoc anno in patriam redux a Majestate jura Doctoris in Landishutana literarum Universitate rite capessendi veniam suppliciter petiisset, rescripto regio dd. 26 Februarii Senatui mandatum est, ne dubitaret petentem praestitis praestandis assumere, si quidem eum jam ex tentamine rigoroso dignum judicassent, qui stipendio publico clementissime impetrato ad scientias suas penitius excolendas etiam extraneam aliquam Academiam adeundi haberet potestatem. Itaque perorata dissertatione inaugurali *„Ueber den Geist des Studiums der Jurisprudenz“* (Landishuti 1814. 8) lectionum suarum principium fecit.

Februario mense diem obiit supremum clarissimus ac doctissimus *Vitus Antonius* **Winter**, S. Theologiae D.r, potentissimi Regis Bavarici et reverendissimi Archiepiscopi tunc Ratisbonensis Consiliarius ecclesiasticus actualis, Canonicus Ecclesiae cathedralis Eichstadiensis et Landishuti ad S. Jodocum meritissimus Parochus, qui et regiae scientiarum Academiae Monacensis socius correspondens et in alma nostra literarum Universitate Theologiae pastoralis Professor p. o. fuit. Mortis immaturae causam dedit naturale quoddam, quo ex intestinis laboravit, vitium sellularia vitae consuetudine indies aggravatum. Tenuit autem cathedram academicam annis undeviginti, ac per totum hoc tempus soliditate doctrinae, animi candore ac praesertim caritate et munificentia erga alios sese omnibus eximie commendavit. Etsi enim neque patrimonii neque hereditatis quidquam sibi contigit, tamen per victus sui summam frugalitatem et parsimoniam id facultatis sibi paravit, ut sumtibus haud mediocribus conditas a se bibliothecas, unam in usum scholarum inferiorum ac civium mille florenis, alteram parochis capituli ruralis Landishutani dicatam florenis quingentis dotaret, et inter bellorum aerumnas anno 1796, 1805,

Ao.
1814. 1809 militibus captivis Francogallis, Russis, Austriacis deinceps pecunias, lintea, victualia cujuslibet generis necessaria plena manu suppeditaret. Trigesimo Januarii hora meridiana extrema sacra recepit comitante magno numero hominum, orans atque obsecrans circumstantes, ut siquem ullo modo offenderit, sibi ignosceretur. Quo facto etiam chirographa quaeque de mutuatis pecuniis sibi exhibita sua manu discidit, et plus quam sexcentos florenos pauperibus legavit. Sic Deo et hominibus reconciliatus 27 Februarii hora media quarta matutina pientissime in Domino obdormivit anno aetatis suae sexagesimo. Digniori laude recensita sunt ejus merita oratione funebri, quam plurimum reverendus Theologiae Professor *Michaël Sailer* die 23 Martii in Ecclesia academica peroravit posteaque typis publicis edidit.

Celsissimo rescripto regio pridie Cal. Martii experientissimus Medicinae et Chirurgiae D.r *Antonius* **Peischer**, qui per annos octo integros in hac alma Universitate Prosectoris anatomici officio cum egregia Superiorum comprobatione fungebatur, Medicus urbis Hemaviensis in Palatinatu superiori designatus est, ubi annos triginta diurnos nocturnosque artis suae labores impigerrime sustinuit, deinde vero Naabburgum ad generum suum (regium ibi exigendis vectigalibus Praefectum) se contulit, otiosiore tandem senectute fruiturus. *Peischero* abeunti in theatro anatomico successit Med. et Chir. D.r *Martinus* **Münz**, qui jam saepius a medica Sectione et Senatu academico commendatus nunc demum ex rescripto regio dd. 26 Martii cum annuo pro ista functione quadringentorum florenorum stipendio assumitur. Idem ex eodem decreto a Professoribus medicis ad delineandas formas anatomicas, physiologicas, chirurgicas, alias, pro peculiari remuneratione poterit adhiberi, quatenus ei otium et facultas fuerit, subsicivas ejusmodi operas salva sua primaria functione praestandi.

Quum *Senatum* inter et *policiae Praefectum* saepius fuisset disceptatum, quid quoad Studiosorum disciplinam alter alteri concedere aut sibi deberet vindicare, sexto Martii lata et diffusa Monachio demissa est instructio, qua utriusque potestas et jurium competentia determinatur.

Severa nunc demum ad exitum deducta inquisitione, quae ex celsissimo mandato d. 28 Februarii 1813 *de secretis inter*

Ao. 1814.

Academicos sodaliciis fuerat instituta, decimo Aprilis redditae sunt Senatui sententiae, quas Serenissimus ratas esse jussit. Fuerunt autem e quinque popularibus quas tunc extitisse invenio sodalitatibus (scil. Suevica, Bavarica, Franconica, Palatina et Tyrolensi) nonnulli plane aut paene omnino convicti, multi probatione semiplena gravati, complures suspecti; ideoque alii in perpetuum cum publica proscriptione relegati, alii bimestri carcere cum dimissione, alii subscripto speciali consilio abeundi puniti, alii denique sub cura custodiaque disciplinari positi sunt.

In vacuam hujus urbis per obitum *Winteri* duobus abhinc mensibus defuncti parochiam ad S. Jodocum plurimum reverendus *Maurus* **Magold,** regius Consiliarius ecclesiasticus et Mathematicae Professor vi clementissimi decreti Calendis Maji designatus est. Praeter integros hujus beneficii parochialis fructus etiam ex salario, quod habuit hucusque, florenos annuos quingentos in posterum retinebit, reliqui septingenti ad fundum Universitatis redibunt.

Guilielmus **Butte,** novissimo tempore Monachii degens, iteratis ad Majestatem suplicissimis precibus, ut publicum quod amiserat sibi munus cum congruo compensaretur salario, responsum tulit sexto Septembris, quod pro sua in integrum restitutione neque in hac literarum Universitate neque in alio quopiam collegio administrativo pateret locus. Id unum in praesenti sibi posse indulgeri, ut, si facultatibus suis consentaneum videretur, ineunte novo anno scholastico Landishuti disciplinas publico-oeconomicas privatim docendi venia uteretur. Ceterum temporaria quingentorum florenorum pensio familiae ejus jam superiori anno concessa eidem clementissime ulterius in biennium fuit assignata.

Quaestionem proxime elapso anno ab amplissima Sectione *philosophica* pro summis in philosophia honoribus gratis obtinendis propositam *„Darstellung der wesentlichen Bedeutung des Mysticismus und der Philosophie, nebst einer daraus hervorgehenden Grenzbestimmung beider, erläutert durch einige Beispiele aus der Geschichte!“ Franciscus Xav. Sigritz* Monacensis tanta cum Professorum approbatione elucubravit, ut praemio dignus solemniter fuerit declaratus.

E Sectione autem *publico-oeconomica* propositam superiori

Ao. 1814. anno quaestionem: *„Entwicklung der relativen Ansichten des Zunftwesens; ob in dem Zunftwesen überhaupt, dann was darin auch noch für unsere Zeiten Brauchbares liege, und welches die nothwendigen Bedingungen eines für das allgemeine Beste aus solchem zu ziehenden Vortheiles seyen?“* duo ejusdem Facultatis Candidati, alter *Marcus Mayer* Augustanus, alter *Fr. Josephus Taenzl* Campidunensis, egregie persolverunt, ideoque digni judicati ac publice renunciati sunt, quibus ceteris praestandis rite praestitis supremus gradus academicus praemii loco gratis conferretur.

In futurum annum scholasticum Rector idem et is quidem jam tertium creatus est magnificentissimus *Walradus* **Medicus;** in Senatores autem eos, qui quovis anno mutantur, electi sunt e sectione philosophica *Fridericus Köppen,* ex historica *Josephus Milbiller,* in theologica *Michael Sailer,* in publico-oeconomica *Benedictus Holzinger;* atque hi omnes d. 29 Octobris a Rege sunt confirmati.

Regius Consiliarius ecclesiasticus D.r *Matthias* **Fingerlos,** Collegii clericorum Georgiani per integrum decennium Director et ex mense Julio 1806 publicus etiam Theologiae Pastoralis Professor ordinarius, clementissimam quam suppliciter petiit a duplici munere suo dimissionem impetravit, et dato die 7 Novembris ad preces suas regio rescripto Consiliarius actualis in episcopali Consistorio Salisburgensi cum voto et sessione in Capitulo cathedrali atque integro, quo usque adhuc fruebatur, annuo mille et sexcentorum florenorum salario sibi ad dies vitae assignato nominatus et canonice institutus est. Ast ibi huic novo muneri haud diu superstes fuit. Etenim jam 11 Decembris 1817 diem obiit supremum aetatis anno sexagesimo nono. — Seminario autem nostro Georgiano ad tempus praeficitur Subregens *Jos. Ant. Göhl,* Mitterteichensis, natus 12 Septb. 1779, presbyter ordinatus 20 Septb. 1806, et ex eo tempore in cura animarum expositus.

Etiam hoc anno Professores evulgandis in lucem ingenii sui partubus haud exiguam navarunt operam. Ut enim omittam, quas nonnulli ephemeridibus, analectis aut collectaneis operibus inseruere commentationes, fuerunt etiam, qui separatim lucubrationes suas typis publicis mandarunt, et

Ao. 1814.

in *theologica* quidem sectione:

Mich. **Sailer**, Rede zum Andenken an Vitus Anton Winter &c. Landishuti; Die Bekenntnisse des heil. Augustinus, Monach.; Winkelhofers Vermischte Predigten, quatuor tomis intra annos 1814—1818 ed. Monach.; Der Oekonom Beno Scharl, ibid.; Aus Jos. Fenebergs Leben, ib.; Geistliche Reden von der Vereinigung des Menschen mit Gott, ib. 8.

Vit. **Winter**, Kritische Geschichte der ältesten Zeugen und Lehrer des Christenthums nach den Aposteln oder Patrologie, Monach. 8.

in *juridica:*

Theoph. **Hufeland**, Pandekten-Compendium oder Lehrbuch des in deutschen Ländern geltenden gemeinen und subsidiären Civilrechts T. II. Giess. 8.

Carl. Jos. **Mittermaier**, Anleitung zur Vertheidigungskunst im deutschen Criminalprozesse und in dem auf Oeffentlichkeit und Geschwornengerichte gebauten Strafverfahren, Landish., quae commentatio saepius recusa et quartum denique edita est Ratisbon. 1844. 8.

Fr. X. **de Moshamm**, Grundsätze des Lehenrechtes.

in sect. *medica:*

Jo. Nep. **Feiler**, Pädiatrik, oder Anleitung zur Erkennung und Heilung der Kinderkrankheiten, Solisbaci 8.

Andr. **Röschlaub**, An D[r] A. F. Markus, Sendschreiben über den Typhus, Ldsh. 8.

Frid. **Tiedemann**, Anatomie und Naturgeschichte der Vögel, T. II. Landish.

Ph. Fr. **de Walther**, Ueber die angeborenen Fetthautgeschwülste und andere Bildungsfehler &c. Ldsh. 8.

Ao. 1814. in sectt. *philologica* et *mathematica:*

Frid. **Ast,** Platonis Politia sive De republica Libri X &c. Lipsiae. 8; Platonis Leges et Epinomis, II tomi, ib. 8.

Maur. **Magold,** Lehrbuch der Geometrie und Trigonometrie, Editio II. Ldsh. 8.

Ao. 1815.

ANNO DOMINI MDCCCXV.

Rector DLXV: **Ludovicus Walradus** MEDICUS, Philos. D.r, reg. Consiliarius aul. act., reg. Literarum Acad. Monacensis Socius, Scientiarum oeconomiae publicae Prof. p. o. III.tio

Nov. Inscripti 133.

Illustres: *Maximilianus* **L. B. de Pelkhoven,** Straubinganus Bav.; Philos. Cand.

Fridericus **L. B. de Du-Prel,** Ambergensis Palatino-Bav.; Philos.

Novus Professor:

Jo. Petrus **Roider,** antehac Parochus in Zolling, nunc Georgiani Collegii cleric. Director et Theologiae pastoralis Prof. p. o.

Novi Doctores:

2 Maji *Anton Kienast*, Dachaviensis in circ. regni Bav. Isarano
4 Sept. Praenob. *Hieronymus Bayer,* D.r Philos., Raurisanus Salisburgensis
14 „ *Jo. Georg. Hofinger,* Philos. D.r, Otterskirchensis in Bav. inferiori
16 Dec. *Mauritius Semer,* Ingolstadiensis

} *Jur.*

				Ao.
2 Mart.	*Aloysius Petz,* reg. Legionis VII. equestris Chirurgus secundarius			1815.
4 „	*Joannes Nepom. Widmann,* reg. Legion. V. equestris Chirurg. secund.			
14 „	*Joannes Baptista Bauer,* Argovico-Helvetus,			
16 „	*Ferdinandus Muck,* Euerbacensis Bojus			
17 „	*Jo. Nepom. Bayer,* Raurisensis Salisburgensis		*Med.*	
2 Maji	*Jacobus Braun,* Schwarzenfeldensis e circ. regni Bav. Regenano			
14 Aug.	*Fr. Xav. Hudler,* Kaisheimensis	e circ. Bav. Danubiano superiori		
5 Sept.	*Michaël Neidl,* Hilpoltsteinensis			
12 „	*Jo. Nepom. Loé,* Eichstaettensis			

Inter Inscriptos h. a. obveniunt *Sebastianus Freudensprung,* Straubinganus Jurium Candidatus, post regius Consiliarius ecclesiasticus, Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques, Historiarum et Philologiae in regio Lyceo Frisingensi Professor, Bibliothecarius et Rector; *Fr. Michael Permaneder,* juris utriusque Cand., Traunsteinensis, triginta duobus post annis in hac ipsa literarum Universitate Professor; *Fr. Seraph. Haeglsperger,* Binabiburgensis, Philosophiae Cand., postea Parochus compluribus libris clarus, quos inter praecipue memorandi sunt: *„Heilige Augenblicke im priesterlichen Leben oder Briefe eines jungen Geistlichen an seinen Freund“,* II tomi Monach. 1824 sq.; *„Neue Briefe über die Seelsorge“,* IV tomi Solisbaci 1833—43; *„Chrysostomus, Monatschrift für Gottseligkeit und thätiges Priesterthum“,* IV tomi duodenis fasciculis, Landish. et Ratisbonae 1835—38; *„Timotheus, theologisch-praktische Monatschrift“ &c.* T. I, duodecim fascicc. Ratisb. 1839. 8; *Fr. Jos. Allioli,* Solisbacensis e provincia Bav. Regenana, S. Theol. Cand. et Georgiani Alumnus, non ita multo post meritissimus hujus almae Universitatis Professor; *Jo. Bapt. Lemberger,* Kalmünzensis ejusdem provinciae Regenanae, Theol. Cand. et

Ao.
1815. Alumnus, post cathedralis ecclesiae Ratisbonensis Canonicus et reverendissimi Episcopi Vicarius generalis, regii Ordinis S. Michaëlis equestri cruce insignitus.

Regius Consiliarius *Fridericus* **Tiedemann** Januario mense a compluribus extraneis literarum sodaliciis, nempe a societate mineralogica Jenensi, ab Instituto Francogallico Parisiensi, a regia scientiarum Academia Berolinensi et a Physicorum societate Hanaviensi in literarium commercium receptus est.

Plurimum reverendus ac doctissimus *Aloysius Sandbichler*, Rattenbergensis Tyrolensis, O. S. Augustini in monasterio Salisburgensi et ab anno inde 1810 in Lyceo regio ibidem Exegeseos et linguarum orientalium Professor ob eximia de sacra Hermeneutica merita permultis et egregiis scriptis contestata die 27 Februarii a sectione theologica diplomate doctorali insignitus est.

Clarissimus *Jo. Nepomuc.* **Fuchs**, Chemiae et Mineralogiae in alma nostra Universitate Professor 29 Maji ab amplissima scientiarum Academia Monacensi in literarium commercium socius assumitur.

Clementissimo regio rescripto praenobilis D.r *Joannes Nep.* **Wening** die 20 Julii regii urbani Judicii Monacensis Assessor cum annuo mille florenorum stipendio designatus et finito statim hoc anno scholastico illuc abire jussus est.

In palaestra literaria hoc anno et publicis de capessendo summo gradu academico concertationibus eminuit *Sectio philosophica.* Quatuor enim nunc Jurium Candidati quaestionem superiori anno in philosophica Facultate propositam: *„Ist die Eintheilung der Philosophie in die theoretische und praktische gültig, wenn die Philosophie in ihrem tiefsten Grunde aufgefasst wird?“* tam praeclare elucubrarunt, ut omnes unanimi Patrum consensu praemio digni reputarentur, scil. *Jo. Georgius Hofinger,* Otterskirchensis e provincia regni Bav. Danubiana inferiori; *Sylvester Jordan,* Axamsanus Tyrolensis: *Carolus Augustus Mechel,* Campodunensis Suevo-Bavarus; et *Ignatius Perner,* Ebersbergensis Bojus.

Rector in novum annum scholasticum electus fuit Jurium Professor magnificentissimus *Carolus Josephus* **Mittermaier**; Senatores autem excedentium loco suffecti e sectione physico-mathematica *Maurus Magold*, e statistico-philologica *Fridericus Ast*, ex

Ao. 1815.

juridica *Jo. Bapt. Andres,* e medica sectione *Jo. Nep. Feiler.* Quae cuncta suffragia Rex datis d. 12. Octobris literis clementissime rata habuit.

In locum, quem per decennium tenuit Consiliarius regius ecclesiasticus *Matthias Fingerlos,* successit plurimum reverendus *Petrus* **Roider,** qui 5 Augusti 1776 Monachii probis parentibus natus, studiis humanioribus ibidem exantlatis, theologicas disciplinas in Seminario clericorum Frisingensi edoctus et anno 1799 Presbyter ordinatus est. Statim autem, ubi plurimum reverendo ac perillustri Comiti de Berchem tunc temporis Parocho Veldensi Capellanus in adjutorium attributus est, tantam sibi Superiorum comparavit commendationem, ut jam biennio post a celsissimo Conrado de Schroffenberg, Principe et Episcopo Frisingensi, theologiae moralis, homileticae, catecheticae et liturgicae Professor in collegio clericorum Dorfensi, anno autem 1804, quo istud seminarium suppressum et cum Georgiano nostro unitum fuit, Parochus in Zolling prope Frisingam instituereturus. In qua nova sibi credita cura pastorali quanta vigilantia, quanto studio et diligentia omnibus omnia esse laboraret et imprimis teneram adolescentiam in disciplina Domini enutriret, etiamnunc apud posteros ejus loci in benedictione est. Unde etiam non ita multo post regionarius scholarum Inspector et ruralis Capituli Camerarius delectus prorsus insignem tam cleri circum quam plebis sibi peperit dilectionem. Sed exaratis quoque duobus opusculis haud exiguam promeruit laudem. Libellus enim uterque, alter inscriptus *„Kürzerer Katechismus der christkatholischen Religionslehre für Volksschulen“*, quem Monachii primum 1811 et postea quinquies ibidem intra septennium repetitis curis edidit; alter, cui titulus *„Christkatholische Religionslehre für die reifere Jugend“* Monachii 1812 et iterum ibidem 1818 typis impressus per totam dioecesin Frisingensem in publicum scholarum usum a regimine tam saeculari quam ecclesiastico enixe fuit approbatus. Postquam igitur vir venerabilis undecim annis in vinea Domini prosperrimo cum successu laboravit, vi clementissimi regii decreti d. 24 Novembris in hac alma literarum Universitate theologiae pastoralis Professor et Collegii Georgiani Director designatus et festo S. Sebastiani 1816 solemniter introductus est. Ceterum parochiam suam Zollinganam,

Ao. 1815. cui imma mente fuit addictus, etiamtum retinuit, eamque absens per vicarium, sed quantumcunque sibi per ferias licuit ipse zelosissime administravit. In dirigendo autem Seminario Subregentis nomine associatus est ei plurimum revendus *Georgius Fridericus Wiedemann*, de quo plura ad annum 1820 squ. *Josephus* autem *Antonius Göhl*, Georgiani hucusque Subregens, parochus urbanus in Erbendorf dioeceseos Ratisbonensis clementissime designatus est. Anno autem 1845 pastorali munere per liberam resignationem deposito Landishuti commoratus 11 Junii 1850 aetatis anno septuagesimo diem obiit supremum.

Ex celsissima regia constitutione dd. 20 Decembris *administratio* fundorum, reddituum, bonorum mobilium et immobilium tam *Universitatis* quam *Seminarii clericorum Georgiani* hisce ipsis Institutis clementissime redditur, et in huuc finem proprius constituitur delectus, qui ex magnifico p. t. Rectore, quatuor Professoribus academicis et Collegii Georgiani Directore constabit, penes quos rerum administratio erit. Quatuor in delectum advocati Professores in amplissimo Pleno omnium ordinariorum Professorum per vota majora eligantur, et primo quidem triennio quotannis unus eorum per sortem abdicabit, sequentibus autem inde annis iis, qui diutissime sedit, egredietur; abiturus autem iterum eligi aut alius ejus loco suffici potest. De negotiis administrationis commode inter se dispertiendis ineunte quovis anno a Calendis Octobribus computato fiat deliberatio, quaenam ex composito amicabili delectorum consilio singuli eorum pro sua quisque provincia velint valeantque in se suscipere. Res autem omnes in ordinariis, quae in singulas hebdomades Rectore praeside habeantur sessionibus praevia facta relatione per vota majora decidentur. Notarii vice assumendus erit Universitatis Actuarius, qui quaecunque fuerint consulta, decreta, expedita, curate perscribat et in acta referat. Omnes autem, quae emittuntur literae, Universitatis sigillo munitae a Rectore et Seniore Collegii subscribantur; ac jussu praesidii ab Actuario consignentur.

Editis literariis partubus hoc anno fuere conspicui in sectione *juridica*:

Theophil. **Hufeland**, Ueber den eigenthümlichen Geist des

Ao. 1815.

römischen Rechts &c. Etiam s. t. Abhandlungen aus dem Civilrechte, P. I. Giess. 8.

C. Jos. Ant. **Mittermaier,** Versuch einer wissenschaftlichen Behandlung des deutschen Privatrechts, Landish. 8.

in sect. *medica:*

Mart. **Münz,** Anatomische Tafeln, Bamberg. fol.; Handbuch der Anatomie des menschlichen Körpers mit Abbildungen, P. I. Ldsh. 8.

Aug. de **Schultes,** Briefe über Frankreich, II tomi, Lips. 8.

in sectt. *philos., philol. &c.:*

Frid. **Ast,** Theophrasti characteres in usum lectionum edidit et indice vocabulorum illustravit, Lips. 8.

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber den Gehlenit, in Ephemer. *Schweiggeri,* T. XV. fasc. 4.

Frid. **Köppen,** Philosophie des Christenthums, T. II. Lips. 8.

Jac. **Salat,** Zum Besten der deutschen Kritik und Philosophie &c., Landish. 8.

ANNO DOMINI MDCCCXVI.

Ao. 1816.

Rector DLXVI: **Josephus** MITTERMAIER, Jur. utr. Dr., Consiliarius regius aulicus act.; Jurium Prof. p. o.

Nov. Inscripti 174.

Illustres: *Franciscus Xaverius* et *Theodorus Henricus* **LL. BB. de Kreittmayr,** Niederhatzhofienses Palatino-Bavari; Jurium Candd.

Eduardus **Comes ab Yrsch,** Monacensis; Philos. C.

Novi Professores: *Jo. Nepom.* **Wening,** regii Monacensis Judicii urbani Assessor, nunc Jurium Prof. p. o.

Martinus **Münz,** Anatomiae Professor extraordinarius et Prosector.

Ao.			
1816.	21 Dec.	Pl. rev. *Jo. Franciscus Allioli,* Solisbacensis	*Theol.*
	23 Aug.	*Henric. Arnoldus van der Becke,* Bruchsalensis e Magno-Ducatu Badensi,	*Jur.*
	16 Febr.	*Gustav. Kistenfeger,* Monacensis	
	—	*Laurent. Reschauer,* Behammühlensis e circ. regni Bav. Danubiano inferiori	
	6 Apr.	*Carol. Huber,* Schönbergensis e circ. Danubiano infer.	
	17 Junii	*Jo. Anton. Kaiser,* Garasensis Helvetus	
	16 Aug.	*Franc. Xav. Spaeth,* Teisbacensis in circ. Danub. infer.	
	17 „	*Jo. Bapt. Sigism. Emanuel Sigrist de Burg,* Florent. lilii Eques, Luzernensis Helvetus	
	19 „	*Basilius Bodenmüller,* Wangensis Würtembergicus	*Med.*
	27 „	*Anton. Peither,* Cambensis e circ. regni Bav. Regenano	
	—	*Victor Voegtly,* Solothurnensis Helvetus	
	2 Sept.	*Anton. Bogner,* Pfarrkirchensis, e circ. Danubiano inferiori	
	—	*Joannes Joseph. Demschick,* Tietenbacensis Bojus.	
	3 „	*Jo. Nep. Hilpl,* Haderstadlensis in circ. regn. Bav. Regenano	
	9 „	*Jo. Bapt. Sailer,* Deutenhusanus in circ. Isarano	
		Pl. rev. *Maurus Harter,* Bibliothecae academicae Custos	*Phil.*

Inter Inscriptos h. a. laudari merentur: *Joannes Evang. Wanner,* Deggendorfiensis in provincia regni Bav. Danubiana inferiori, Jurium Candidatus, post Regis a Consiliis ministerialibus, Ordinis meritorii Coronae Bav. nec non S. Michaëlis Commenda-

Ao. 1816.

tor &c.; *Laurentius Zierl*, Furthensis Boj. in prov. Regenana, Philos. Cand., posteriori tempore in hujate alma literarum Universitate Professor.

Quatuor in administrationem fundi academici delecti Professores suffragiorum pluralitate designati sunt Consiliarii aulici *Fr. Xaverius de Krüll* et *Sebastianus de Hellersberg*, item Consiliarii ecclesiastici *Maurus Magold* et *Antonins Daezel*. Quorum electio vigesimo Januarii clementissime rata habita est.

Sexto decimo Februarii duo praenobiles viri *Gustavus Kistenfeger* Monacensis et *Laurentius Reschauer* Behammühlensis e circulo regni Bavarici Danubiano inferiori, qui superiori anno quaestionem a sectione medica promisso praemio propositam: *„Num operatio synchondrotomiae in arte obstetricia ultra retinenda an contra prorsus proscribenda sit“*, egregie persolverunt, disputatione publica sine praeside habita summis in medicina et chirurgia honoribus praemii loco donati sunt.

Hoc anno etiam plurimum reverendus *Maurus Harter*, bibliothecae academicae custos ob eximiam suam eruditionem et singularia de bibliotheca merita Doctoris Philosophiae gradu insignitus est.

Magnam hoc anno Universitas nostra ac praecipue saluberrimus Medicorum Ordo luxit jacturam. Clarissimus enim Med. et Chirurgiae D. *Fridericus* **Tiedemann**, per annos fere undecim Anatomiae ac Zoologiae Professor, Instituti nationalis Francogallici aliarumque Academiarum socius, dimissionem suam supplicissime petiit et decimo octavo Februarii cum benignissima meritorum suorum comprobatione impetravit. Invitatus a serenissimo Magno-Duce Badensi relicta alma nostra Ludovico-Maximilianea Heidelbergam abiit, Anatomiae ibidem et Physiologiae Professor p. o. et celsissimi regii Principis Consiliarius aulicus futurus. Is autem etiam in hac nova sua conditione tam solidissimae doctrinae ubertate quam exaratis duobus tomis, qui inscribuntur *„Die Verdauung, nach Versuchen“* (Heidelbergae 1826 sq. atque iterum ibidem 1831), item *„Tabulis arteriarum“* (Hesych. Carolin. 1822), *„Tabulis nervorum uteri“* (Heidelberg. 1822), aliis permultis Germanico, Gallico, Anglico idiomate scriptis libris et commentationibus tantam sibi quoquoversus conciliavit gloriam, ut non solum ab ipso suo

Ao.
1816. serenissimo Magno-Duce sed etiam ab aliis Principibus summos honores titulosque inde referret, et anno 1832 a potentissimo quoque Rege nostro LUDOVICO I. Ordine meritorio Coronae Bavaricae fuerit insignitus. Utinam diu vivat! Haec enim dum scribo, senex meritissimus jam publici muneris sui semisecularia sacra fecit, in cujus honorem memoriamque alma literarum Universitas numum forma imaginis ejus signatum excudi curavit. Anno autem 1857 vir pretiosissimus in Bavariam reversus Monachii apud clarissimum *Theodorum Ludovicum Guilielmum Bischoff,* academicum Anatomiae et Physiologiae Professorem cui filiam suam nuptam dederat, novum domicilium fixit, et penultimo Martii sua ipse nuptiarum solemnia decem abhinc lustris celebrata in consessu familiarium laete restauravit.

Ad demississimam de *Tiedemanni* cathedra propositionem medicae sectionis undevigesimo Martii sequitur decretum, ut disciplina anatomiae, quam ille hucusque tradiderat, non proprio statim ordinario Professori, sed ad tempus Prosectori anatomico D.ri *Martino* **Münzio** cum gradu Professoris extraordinarii et addita eidem pro ista nova functione annua quadringentorum florenorum remuneratione deferatur; lectiones autem zoologicas clarissimus Prof. *Augustus* **Schultes** in se suscipiat, aucto salario suo florenis ducentis quinquaginta.

Verum etiam juridica sectio insigne sibi decus sensit ademtum. Perillustris enim ac doctissimus *Theophilus* **Hufeland,** in hujate alma literarum Universitate iterum per quadriennium Pandectarum Professor, ab Academia Halensi humanissime invitatus, dimigrandi illuc veniam petiit et impetravit. Aegre vidimus discedere a nobis virum, qui praeclarum sibi nomen comparavit cum ex editis magno numero partubus literariis tum ex solidissimae doctrinae suae fama, quam etiamnunc multi commendant testes vivi. Imprimis autem mihi dolendum fuit, quem ille quotidiana fere per integrum biennium consuetudine sua ornarat crebroque adeo commensalitio dignatus fuerat adhibere. Sed abitum ejus tristem tristior non ita multo post secutus est illinc nuntius, pretiosissimum virum Halae jam vigesimo octavo Februarii 1817 vivere desiisse, vixdum quinquaginta septem annis natus. Sit illi terra levis! In vacuam per illius abitum Juris Romani cathedram

Ao. 1816.

assignato annuo mille et ducentorum florenorum salario immissus est praenobilis D.r *Jo. Nepom.* **Wening,** qui sub finem superioris anni in urbano Judicio Monacensi Assessor clementissime fuerat designatus.

Die 28 Maji aquae intercutis morbo decessit pientissimeque obdormivit in Domino plurimum reverendus *Josephus* **Milbiller,** Historiarum, Geographiae et rei statisticae Professor per totam Germaniam illustris non solum doctrinae fama sed editis etiam magno numero libris, inter quos, ne supra jam laudatos repetam, notatu digniores sunt: *„Der Zuschauer in Bayern,* quem cooperantibus VV. DD. *Carolo Foergio, Sebast. Ritterhusio* et *Ign. Schmidio* singulis mensibus edidit et per quatuor annos (Monach. 1779—1782) continuavit; *„Die Münchener- politische und gelehrte Zeitung"* juvante *Schmidio* evulgata ab anno 1783 ad annum 1785; *Joh. Casp. Risbecks Geschichte der Deutschen"*, quam ulterius produxit ediditque tomum II. Tiguri 1788, tom. III. ib. 1789, t. IV. 1790, cum additamento cui tit. *„Geschichte Deutschlands im achtzehnten Jahrhunderte"* T. I. et II. ibid. 1795; *„Mich. Ignaz Schmid's Geschichte der Deutschen"*, etiam sub tit. *„Neuere Geschichte der Deutschen"* secundum ejus manuscripta elaborata et continuata a tomo XII usque ad t. XXII, Ulm. 1779—1808, aliaque permulta. Index totus integer eorum, quae *Milbillerus* numero fere quadraginta typis publicis ad posteritatem transmisit, in *Clem. Aloysii Baaderi* libro, qui inscribitur *„Lexicon verstorbener bayerischer Schriftsteller des XVIII. und XIX. Jahrhunderts"* T. I (Aug. Vindel. et Lips. 1824. 8) P. II, p. 43 sqq. insertus legitur. Effigies praeclarissimi viri secundum eam, quam celeberrimus *Kellerhofen* Monacensis artifici manu pinxerat, per aeneam laminam expressa est in fronte tomi LXXX operis *„Neue allgemeine deutsche Bibliothek"*.

A sectione medica die duodetricesimo Junii conditum est statutum unanimi consensu, ne quis in posterum Doctorandus ad promotionem admittatur, prius quam dissertationem suam inauguralem manuscriptam tradiderint Decano; et decimo Augusti id quoque per vota majora decretum invenio, nequis sine Praeside promoveatur, exceptis solummodo iis, qui promulgatam a medica sectione cum proposito praemio quaestionem egregie elucubrarint.

Ao. 1816. Plurimum reverendus *Petrus Sonntag,* superioris oppidi *Ingolstadiensis* per annos quinque parochus, hoc anno parochiam Magno-Mehring suppliciter exoptatam impetravit. In vacuam igitur per ejus abitum ecclesiam Anglipolitanam *ad D. V. Speciosam* meritissimus Decanus *Ferdinandus Jungbauer* utpote a nobis designatus ad clemementissimam regiam praesentationem institutus est.

Datis ab amplissimo Senatu ad Majestatem literis jussu regio Idibus Julii rescribitur, Serenissimum omnino ratum habere et comprobare, quod Senatus academicus Aulam rerum antiquarum et picturarum linearium collectionem doctissimis viris ac Professoribus *Astio* et *Drexelio* tradiderit conservandam.

Ob quaestionem, quam amplissima Sectio *philosophica* Candidatis suis anno elapso pro gradu gratis impetrando proposuerat: *„Ueber das Verhältniss der Philosophie zur Geschichte“* felicissime hoc anno enucleatam *Petrus Kammerer* Burglengenfeldensis e Palatinatu superiori, Jurium Candidatus, summis in philosophia honoribus dignus publice renuntiatus est.

Nova Rectoris magnifici et Senatorum in futurum annum electio Calendis Octobribus clementissime sancita est. Fuit autem per suffragiorum pluralitatem Rector idem iterum electus magnificentissimus Jurium Professor et Consiliarius aulicus *Carolus Jos. Ant.* **Mittermaier,** Senatores autem abeuntium loco suffecti sunt e sectione philosophica D.r *Jacobus Salat*, ex historia D.r *Conradus Mannert,* e theologica D.r *Michaël Sailer*, e publico-oeconomica D.r *Conradus Frohn.* Ceterum hac data occasione cum gravioris in posterum mulctae comminatione animadversum est, quod nonnulli Professores ad electionis actum rite convocati non comparerent, quin suam legitime excusassent absentiam.

Editis hoc anno libris commemorandi sunt
e sectione *theologica:*

Mich. **Sailer,** Der Priester ohne Tadel, Monach. 8. Geist der christlichen Andacht, ibid.; Das Testament des Pfarrers in Grünthal, ib.; Reliquien, d. i. Auserlesene Stellen aus den Schriften der Väter und Lehrer der

Ao. 1816.

Kirche, III fascicc. ib.; Die Weihnachtsferien, zwei Reden, ib. 8.

ex *juridica* sectione:

Theoph. **Hufeland,** Abhandlungen aus dem Civilrechte, P. II. Sect. 1; etiam s. t. Neue Darstellung der Lehre vom Besitze, Giess. 8.

e sect. *medica:*

Frid. **Tiedemann,** Anatomie und Bildungsgeschichte des Gehirns im Fötus des Menschen &c. cum septem tabb. Norimberg.

Phil. Fr. **de Walther,** Uebersicht der Krankheitsfälle im chirurgischen Klinikum zu Landshut in den Jahren 1811—1816, Landish. 8.

And. **Röschlaub,** Neues Magazin für die klinische Medizin, T. I. Norimberg. 8. (Fasc. 1. 2.)

in sect. *philos.* &c.

Frid. **Ast,** Platons Leben und Schriften &c. als Einleitung in das Studium des Platon, Lips. 8.

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber die Zeolithe, in *Schweiggeri* Ephemer. T. VIII. fasc. 1.

Ao. 1817.

ANNO DOMINI MDCCCXVII.

Rector DLXVII: **Josephus** MITTERMAIER, Jur. utr. Dr, reg. Consiliarius aul. act., Jurium Prof. p. o., IIdo

Nov. Inscripti: 178.

Illustres:

Mauritius **L. B. de Junker,** Solisbacensis in Palatinatu superiori; Philos. Cand.

Guilielmus **L. B. de Schatte,** Neoburgensis; Jur.

Antonius **L. B. de Pfetten,** Niederarnbacensis Bav.; Philos.

Augustus **L. B. de Nagel,** Vornholzensis Westphalus; Philos.

Victor **L. B. de Waldbott,** Bornhemiensis Monasteriensis; Philos.

Ao.
1817. *Fidelis* et *Leopoldus* **Comites de Fugger-Gloett,** Suevo-Bavari; Philos. Candd.

Nov. Professor: *Martinus* **Münz,** extraordinarius hucusque Anatomiae, nunc ejusdem Prof. p. ordinarius.

Novi Doctores:

m. Aug. *Adolph. Julius de Niethammer,* Jenensis Saxo-Vimariensis,
28 Aug. *Jo. Bapt. Bauer,* Todtenwiesensis e circ. regni Bav. Danub. sup. } *Jur.*

8 Febr. *Fr. Xaverius Alt,* Wangensis Würtembergensis,
— *Jos. Syller,* Tirschenreuthensis Palatinatus superioris,
17 Mart. *Carol. Augustus Pfeiffer,* Stuttgardiensis Würtemberg.
20 „ *Car. Melchior Rhaymann,* Sangallen-Kappellensis Helvetus.
10 Maji *Martin. Hackl,* Aichacensis in circ. regni Bav. Danubiano superiori
22 Jul. *Michaël Urmann,* Viechtensteinensis Bav.
9 Aug. *Jo. Arnold,* reg. Bav. legionis rei tormentariae Chirurgus secundarius } *Med.*
23 „ *Mauritius Bratsch,* Dilinganus Suevo-Bavarus,
— *Joachim Mayer,* Passaviensis e circ. regni Bav. Danub. inferiori
3 Sept. *Carol. Barth,* Eichstettensis e circ. Danubiano superiori,
9 „ *Fr. Xav. Kopp,* Dürwangensis, legionis I equitum loricatorum Chirurgus
— *Fr. X. Georg Plöderl,* Burghusianus e circ. Danubiano infer.
10 Dec. *Ant. Casimirus D'Eglise,* Friburgensis Helvetus.

Inter inscriptos hoc anno praeter supra dictos illustres Academicos praecipuo mihi titulo memorandus est *Jo. Georgius Oettl,* Genghemii prope Pallingam in Bavaria superiori die 26

Ao. 1817.

Januarii 1794 natus, SS. Theologiae studiosus et Collegii Georgiani alumnus. Is postquam 15 Septembris h. a. presbyter ordinatus aliquamdiu parochiam Zollinganam, quam tenuit Roiderus Georgiani Director, vicario modo administravit ac deinde in aulam Monacensem vocatus *celsissimo regio Principi* **Ottoni** religionis doctrinam tradidit, per summos honoris gradus ad amplissimas brevi dignitates ascendens primum regius Consiliarius ecclesiasticus, dein Ordinis meritorii Coronae Bavariae Eques et regii Graeci Ordinis S. Salvatoris Commendator, anno autem 1832 ecclesiae metropolitanae Monaco-Frisingensis Decanus infulatus adeoque 21 Decembris 1846 Episcopus Eichstadianus designatus, postremo etiam in curiam Procerum, qui sunt a consiliis regni Bavarici, receptus et a potentissimo Rege Neapolitano Siciliani Ordinis S. Georgii magna cruce insignitus est. Eodem, quo ille, anno Albo nostro academico nomina dederunt tres Philosophiae Candidati: *Maximilianus Gutschneider,* Monacensis, posteriori tempore Ordinis meritorii S. Michaëlis Commendator, item Coron. Bav. necnon Caesarei Ordinis Leopoldini Austriaci Eques, regii Gubernii medio-Franconici Praeses; *Franciscus Regis Mosandl,* Beilngriesensis, postea Ecclesiae cathedralis Eichstadiensis Canonicus Capitularis; et *Maximilianus Balthas. Sellmayr,* Schrobenhusanus Bojus, haec dum scribo ecclesiae metropolitanae Monaco-Frisingensis Chori-Vicarius praebendatus, archiepiscopalis ejusdem Vicariatus generalis Secretarius et Taxator, Consiliarius ecclesiasticus. His accedunt duo Jurium praenobiles Candidati: *Jo. Bapt. Graf,* Monacensis, postea Regis a Consiliis in Ministerio cui cura est aerarii credita, Ordinis Coron. Bav. pro civilibus meritis, item meritorii S. Michaëlis, et Russico-Caesar. S. Stanislai Ordinis II. Classis Eques; et *Jos. Casparus Steinsdorf,* Ambergensis, qui haec dum scribo primarius est jurium peritissimus regiae metropolis vir consularis, non solum meritorii Ordinis S. Michaëlis Eques sed equestri etiam civilibus de Corona Bav. meritis dicata cruce et cruce aurea regii Graeci Ordinis decoratus.

Clarissimus *Simon* **Klotz,** jam ex ao. 1804 Aesthetices et effectivarum artium in hac alma literarum Universitate Professor, impetrata ad nuperas preces suas clementissima dimissione itinera cognoscendae antiquitatis causa suscepit, et lustratis praestantis-

Ao.
1817. simis per Francogalliam Italiamque pinacothecis in arte sua plurimum versatus et scientiis copiosissimus Monachium rediit, ubi egregius ex illo tempore sacrarum historiarum, topiorum et humanarum imaginum pictor eximiam sibi comparavit laudem; sed praematura morte absumtus, annis nempe vix quadraginta octo natus (1825) diem obiit supremum.

Jo. Antonius Müller, Philos. D^{r}, qui antehac Norimbergae in paulo abhinc suppresso Instituto, in quo artes, quae ad vitae usum pertinent, tradebantur, gallicam linguam docuit, celsissimo rescripto regio dd. 24 Aprilis Gallicae et Italicae linguarum Lector in hac alma Academia assumitur.

Plurimum reverendus D^{r} *Maurus Harter,* Custos bibliothecae ex clementissimo decreto d. 5 Maji Subbibliothecarius academicus cum annuo sexcentorum florenorum stipendio designatus est. Sub idem tempus duobus Professoribus salarium auctum fuisse invenio, Consiliario medico *Francisco Philippo de Walther,* additis quadringentis et Professori *Joanni Nep. Fuchsio* centum florenis, unde ille quidem in posterum duo millia florenorum, hic autem mille trecentos et quinquaginta quotannis recipiet.

Ex rescripto regio 8 Julii quatuor, quibus classis generalium scientiarum hucusque continebatur, sectiones in unam, cui commune *„philosophica sectio“* nomen erit, sub uno Directore contrahitur; ideoque omnes adhuc in quatuor sectionibus dispartiti Professores huic uno philosophico ordini adscribuntur, et quilibet Candidatus summos in Philosophia honores recepturus in posterum ex omnibus ad hanc unitam sectionem pertinentibus disciplinis examen rigorosum subire atque in publica disputatione theses defendendas ex his omnibus doctrinis proponere tenetur.

Clarissimus Medicinae D^{r} *Jos. Augustus Schultes,* Consiliarius aulicus, Botanices, specialis Therapiae et Zoologiae Professor p. o. regia d. 19 Augusti impetrata venia a scientiarum naturalium Academia Marburgensi socius in ordine assumtus est.

Inter Doctorandos hoc anno praecipue notatur *Josephus Scheill,* Sichelensis Bojus, qui jam duodecim abhinc annis in alma hac literarum Universitate Jurium et Cameralium studiosus immatriculatus, decennio autem intermisso, quo in judiciis et curiis vectigalium versabatur, superiori anno iterum, sed S. Theologiae

Ao. 1817.

Candidatus Albo academico inscriptus, quum quaestionem hornotinam a S. Facultate pro summo gradu theologico gratis obtinendo propositam *„Darstellung der hermeneutischen Momente bei der Beweisführung dogmatischer Bibelstellen“* optime elucubrasset, dignus doctorali praemio pronunciatus est. Absolutis autem theologiae studiis novus sacerdos ob magnam tunc temporis clericorum penuriam statim in Monacensi suburbio Augia Capellanus expositus tum jam recipere doctoratum non potuit, donec orator a sacris rursus Landishutum translatus pluribusque inde ab hoc tempore evulgatis libris e. gr. *„Das baierische Concordat, vertheidiget gegen die Betrachtungen darüber in den Zschokke'schen Ueberlieferungen“*, Monach. 1818. III. fasc. 4; *„Kirche und Staat“*, ibid. 1819. 8; *„Die Patronatsrechte der Communen im Königr. Bayern“ &c.* ibid. 1819. 8, imprimis continuato noviterque edito opere c. t. *„Frey's Kritischer Commentar nach Michl's Kirchenrecht“* IV tomis et uno additamento doctissimis viris eximie commendatus a theologica sectione die 28 Julii 1821 doctoratus gradu insignitus est. Eundem postea Notarium apostolicum et in Lyceo Hosiano Brunsbergensi theologiae pastoralis Professorem Seminariique dioeceseos Varmiensis Directorem fuisse, supra ad a. 1804 commemoravi. Vita functus est 1834.

Praenobilis ac doctissimus Philosophiae Dr *Hieronymus* **Bayer**, qui quum anno 1813 jurisprudentiae studia emensus forensem in regio rurali Judicio Landishutano operam fuisset aggressus, biennio post praestandis rite praestitis die 4 Septembris 1815 summos etiam in utroque jure honores cum communi omnium applausu recepit ac dein iterum biennalem Monachii in causis agendis praxin exercuit, nunc repetitis a Senatu academico ad Majestatem literis enixissime commendatus per regium rescriptum dd. 4 Septembris h. a. clementissimum sexcentorum florenorum stipendium ad prosequenda sua in literarum Universitate Göttingensi studia impetravit.

Sectio theologica, cui 7 Junii superioris anni mandatum fuerat, ut de potissimis causis insignis hoc tempore sacerdotum pro cura animarum penuriae ad Majestatem referret, demississimam suam ea de re sententiam Calendis Maji hujus anni per Senatum academicum celsissimo regio Ministerio intimandam curavit. Haec

Ao. 1817. autem relatio non ita multo post (nescio quo auctore aut potius proditore) s. t. *„Freimüthige Darstellung der Ursachen des Mangels an katholischen Geistlichen; ein Gutachten der theologischen Facultät zu Landshut“*, nominibus omnium theologicae sectionis Professorum subscripta Ulmae 1817 e libraria *Ebneriana* typis evulgata est. Qua re Monachii vixdum cognita die 26 Augusti Senatus academicus jussus est indicare, quomodo illud secretum literarum monimentum juris publici esset factum. Senatus autem datis 3 Septembris ad Majestatem literis, quis supra dictum prelo submiserit documentum omnino se nescire asseveravit. Ipsissimum enim referentis autographum ex eo statim tempore, quo Senatui fuisset traditum intactum hucusque in scriniis Universitatis jacere asservatum, neque ullum exemplum, adeo ne ab ipsa quidem sectione theologica, fuisse descriptum. Quapropter ipsum suo quoque nomine enixissime petere Senatum, ut de inofficiosa ista divulgatione quam severissime inquiratur.

Hoc quoque anno in *philosophica Sectione* studiosissime concertatum est de solvenda quaestione, quae elapso anno cum praemio proposito fuerat proscripta: *„Ist eine Natur-Philosophie denkbar, wenn mit jedem der Worte „„Natur““ und „„Philosophie““ ein bestimmter Sinn verbunden wird?“* E quatuor Candidatis, qui dissertationes suas justo tempore tradiderunt, *Jo. Baptista Attenberger* Ratisbonensis et *Laurentius Zierl* Furthensis e Palatinatu superiori (alter hoc anno Jurisprudentiae, alter Medicinae Studiosus) ipso academico gradu digni sunt declarati, reliqui duo publicam commemorationem laudemque reportarunt.

Electio novi Rectoris et Senatorum abeuntium suffectio pro sequente anno scholastico habita per rescriptum regium die 9 Septembris clementissime confirmata est. Rectoris igitur munus idem ac duobus proximis abhinc annis, et is quidem tertium, suscipiet magnificentissimus Consiliarius aulicus ac Jurium Professor D.r *Josephus* **Mittermaier**; Senatores autem praeter *Fr. Xaverium de Moshamm, Sebastianum de Hellersberg* et *Fr. Xav. de Krüll,* quippe qui essent perpetui, fuerunt electi e sectione philosophica *Conradus Dietramus Martinus Stahl* et *Joannes Nepom. Fuchs,* e juridica sectione *Jo. Nepom. Wening,* e medica *Joannes Andreas Röschlaub.* Posteriori autem decreto die 21 Septembris

Ao. 1817.

ad Senatum demisso Serenissimus Rex speciatim Rectori magnifico ob egregiam diligentiam, studium, operam, quibus Universitatis commodum et Studiosorum salutem quam plurimum adauxit, eximiam suam benevolentiam gratiamque deferri jussit.

Animus periculosus rerumque evertendarum cupidus, qui seditiosis per coetus orationibus in festivitate pursariorum *Wartburgi* habitis apparuit, Principum Germanicorum oculos in suspectam illam consociationem convertit. Qua re commotus etiam Serenissimus Rex noster die 15 Decembris editas jam dudum de secretis sodaliciis constitutiones nova promulgatione jussit inculcari, Sibique referri, an et a quibus Academicis istis pursariorum invitationibus per ephemerides ad Universitates Erlangensem, Wirceburgensem et Landishutanam emissis obtemperatum sit.

Libros hoc anno clarissimi hujatis Academiae Professores evulgarunt sequentes,

e sectione *theologica*:

Mich. **Sailer**, Joseph Anton Sambuga, Monach. 8; idem hoc anno complures *sacras orationes* datis variis occasionibus habitas in lucem edidit.

Patric. **Zimmer**, Untersuchung über den Begriff und die Gesetze der Geschichte, über die vorgeblichen Mythen im I Buche Moysis und über Offenbarung und Heidenthum &c. Monach. 8.

in sectione *juridica*:

Carol. **de Hellersberg**, Auszug aus den Jahr-Büchern des baierischen Volkes, Edit. II. Monach. 8.

Theoph. **Hufeland**, Abhandlungen aus dem Civilrechte, P. II, sect. 2 et P. III. Giess. 8.

Ao. 1817. e sect. *medica:*

Aug. **Schultes**, Grundriss einer Geschichte und Literatur der Botanik, Vindobon. 8; *Linnéi Systema vegetabilium,* Ed. auct. adjuvante *J. J. Römero*, P. I. Stuttg. 8.

Phil. Fr. **de Walther,** Neue Heilart des Kropfes durch Unterbindung der oberen Schilddrüsen-Schlagadern &c. Solisbac. 8.

Andr. **Röschlaub,** Neues Magazin für die klinische Medizin, T. I. fasc. 3. 4. Norimb. 8.

in sect. *philosophica:*

Frid. **Ast,** Theologumena arithmetica ad rarissimum exemplum Parisiense emendatius descripta; accedit *Nicomachi Gerafini* Institutio arithmetica &c. Lips. 8.

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber den Arragonit und Strontianit, in Ephem. *Schweiggeri* T. XIX. fasc. 2.

Jac. **Salat,** Ueber das Verhältniss der Geschichte zur Philosophie in der Rechtswissenschaft, oder das katholische und protestantische Princip in der Jurisprudenz &c. Solisbac. 8; Erklärung über das Heilige &c. Ulmae 8.

Ao. 1818. ANNO DOMINI MDCCCXVIII.

Rector DLXVIII: **Josephus** MITTERMAIER, reg. Consil. aul. act.; Jurium Prof. p. o., III^tio

Nov. Inscripti 207.

Illustres: *Fridericus Carolus Ludov. Michael* **Comes de Saporta,** Neckargemündensis in Magno-Ducatu Badensi; Philos. Cand.

Ao. 1818.

Maximilianus et *Guilielmus* **Comites de Waldburg,** Domini de Zeil et Trauchberg; Phil. Candd.
Eduardus **L. B. de Oefele,** Monacensis; Philos.
Carolus **Comes de Berchem,** Burghusianus; Philos.
Carolus **Comes de Armansperg,** Burghusianus; Phil.
Francisc. Xaverius **L. B. de Hofmilln,** Burghus.; Philos.
Franciscus et *Henricus* **LL. BB. de Antlaw,** Friburgenses Briscoviae; alter Jurium alter Philos. Cand.
Philippus **L. B. de Weittenau,** Neoburgensis; Phil.
Maximilianus **L. B. de Leoprechting,** Randsbergensis; Philos.
Josephus **Comes de Leyden,** Kuhbacensis; privat. Studios.

Nov. Professor: *Joannes Andreas* **Buchner,** primarius pharmacopola Monacensis, nunc pharmaciae, chemiae pharmaceuticae et toxicologiae Prof. extraordinarius.

Priv. Docens: *Hieronymus Jo. Paulus* **Bayer,** Philos. et jur. utr. Dr, nunc Jurium Doctor legens.

Novi Doctores:

Pantaleon Senestréy, Naabburgensis in Palatinatu superiori, Parochus — *Theol.*

12 Aug. *Jo. Adamus Oberndorfer,* Pressathensis in Palatinatu superiori
18 „ *Jul. Frid. Henricus Abegg,* Erlangensis in circ. regni Bav. Rezatino — *Jur.*

27 Jan. *Carolus Thorin,* ex Villard-Sous-Mont Friburgensis Helvet.
5 Febr. *Maximilianus Weiser,* Gyoengyoesiensis Hungarus
5 Mart. *Jo. Petrus Heigl,* Seebacensis e circ. regni Bav. Danubiano inferiori — *Med.*

Ao.			
1818.	11 „	*Adolph. Leonardus Broër,* Keltschensis Moravus	
	14 „	*Adalbertus Keltner,* Neoburgensis ad Danubium	
	9 Apr.	*Fridericus Weckbecker,* Confluentinus Rhenanus	
	18 „	*Fr. Xaverius Hatzler,* Hofhegnenbergensis Bav. in circ. Isarano	
	5 Maji	*Jo. Petr. Hieronymus Pfefferkorn,* Moeno-Francofurtensis,	
	28 „	*Josephus a Gendre,* Friburgensis Helvetus,	
	12 Jun.	*Joseph. Gabriel Kuchciensky,* Cracoviensis Polonus	*Med.*
	25 Juli	*Franc. Augustus Zwierlein,* Brückenaviensis Franco	
	30 „	*Josephus Theophilus Kwasniewski,* Stassoviensis et	Poloni
	—	*Julius Josephus de Sawiczewski,* Cracoviensis	Poloni
	1 Sept.	*Josephus Gadermann,* Passaviensis e circ. Danubiano inferiori	
	—	*Joannes Jacobus Rotermundt,* Ratisbonensis in Palat. super.	
	4 „	*Marcus Fehlner,* Thansteinensis e circ. Regnano Bojus	
	2 Sept.	*Bernard. Friederich,* Norimbergensis, Legionis pedestr. VII Regis Bav. Succenturio	*Phil.*

Inter *Inscriptos* hoc anno praecipua laude meretur commemorari *Joannes Baptista Zarbl,* Eggerdinganus Austriacus, Theologiae Candidatus et Collegii Georgiani Alumnus; postea reverendissimi Archiepiscopi Monaco-Frisingensis a Consiliis ecclesiasticis, Seminarii clericorum Frisingae et regii ibidem Lycei Director necnon Paedagogices ac SS. Theologiae pastoralis, homileticae et cathecheticae Professor, deinde urbanus ad S. Jodocum

Ao. 1818.

Landishuti Parochus et ad secundam Curiam Statuum regni Bavarici saepius Deputatus, postremo cathedralis ecclesiae Ratisbonensis Praepositus et ab amplissima theologica Facultate Monacensi ob eximia de catholicis literis merita summis honoribus academicis insignitus, pluribusque etiam scriptis clarus, e quibus recensere sufficiat: *„Erinnerungen aus einer Reise durch einige Abteien in Oesterreich und das oberensische Salzkammergut“*, II Edit. Ratisb. 1836; *„Handbuch der Homiletik“*, Landish. 1838; *„Der Seelsorger“*, eine kathol. Zeitschrift, VII tomis ib. 1839—1845. 8. Eodem mense Novembri superioris anni inscripti sunt *Jo. Nepomucenus de Sutner*, Monacensis, Jurium Candidatus, postero tempore Ordinis S. Michaëlis Commendator, et cruce civilibus de corona Bavarica meritis dicata insignitus, regius Collegii, cui dissolvendi aeris alieni publice contracti cura commissa est, Director; *Ernestus de Moy*, Monacensis, Jurium Cand., *Jo. Mich. Söltl*, Neoburgensis, Candidatus Theologiae, et *Fr. Xaverius Zenger*, Stadtamhofiensis, Philosophiae Studiosus, de quibus utpote postea in alma Universitate Monacensi Professoribus infra plura; *Josephus Leopolder*, Herrenhusanus in provincia regni Bav. Isarana, Jurisprud. Cand., postea gubernii in Franconia superiori Director, Ordinis Bav. meritorii S. Michaëlis Eques &c.

Actuarius Universitatis, *Henricus Müller*, humillime a Rege petiit, ut eas quoque, quas praeter suum annuum quingentorum florenorum stipendium quotannis in modum remunerationis percepit pecunias, nempe centum triginta florenos ab Administratione Universitatis, quinquaginta ab Ephoratu stipendiorum et totidem ex arca Rectorali, ceu fixam sibi in posterum pensionem concedere dignaretur, 16 Julii proponente Senatu academico clementissime impetravit, ut annuum suum salarium ita summam septingentorum et triginta florenorum efficeret.

Hoc anno Sectio theologica plurimum reverendum *Theodorum Senestréy*, Parochum in Baumkirchen prope Monachium, olim Cisterciensem Ordinem professum in Waldsassen, postea vero Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicum capitularem ac reverendissimi Archiepiscopi Lotharii Anselmi Vicarium generalem, qui superiori anno de *„systemate theologiae dogmaticae“*, opere clarissimi *Dobmayeri* p. m. postumo maximam jam partem edito

Ao.
1818. egregie meritus fuit, supremo academico gradu motu proprio insignivit. Natus hic vir religiosissimus Nabburgi in Palatinatu superiori 10 Nov. 1764, diem obiit Monachii 18 Aug. 1836.

Funestissimus autem nobis hic annus fuit, quo duo praeclarissimi viri vivere desierunt. Quinto enim Julii hora nona vespertina morbo hydropico obiit aetatis anno quadragesimo sexto perillustris *Carolus Sebastianus* **Heller** *Nobilis* **de Hellersberg,** Juris utriusque D.r, regius Consiliarius aulicus, Scientiarum Academiae Göttingensis et Monacensis socius, in hac alma Ludovico-Maximilianea Universitate Jurium Professor p. o. necnon Senator perpetuus Collegiique Juridicorum Assessor et ex anno 1815 etiam in numero eorum, qui sunt ad fundum Universitatis administrandum delecti. Fuit is doctor juris publici peritissimus, in conversatione facilis, jucundus; uxori, liberis, amicis addictissimus, in pauperes largus ne dicam prodigus; religionis, virtutis, patriae amantissimus. Mortem oppetiit constanti firmoque, quo virum christianum decet, animo ac rite dispositus, mentisque compos usque ad extremum spiritum. Memoriam ejus meritissimis laudibus prosecutus est clarissimus *Jo. Georgius Fessmaier* scripto libello c. t. *„Grundzüge zur Lebensbeschreibung des Karl Sebastian von Hellersberg“,* ed. Landish. 1819. 8.

Eodem mense alterum funus extulimus. Undevigesimo enim Julii hydropico morbo defunctus est aetatis anno quinquagesimo primo vixdum peracto clarissimus *Georgius Augustinus* **Bertele,** Philos. Medic. & Chir. D.r, Societati mineralogicae Jenensi adlectus, Regis Bavariae a Consiliis aulicis, Chemiae, Mineralogiae, Botanicae, Materiae med., Diaeteticae, Toxicologiae, Pharmaciae ac Therapiae deinceps in hujate literarum Academia Professor p. o. Muneris hic et officii sui tuendi studio occidit. Anno enim 1805, quo scarlatina febris inter alumnos Collegii nostri Georgiani tanta grassabatur atrocitate, ut plures adeo morti succumberent, ille die noctuque in curatione assidebat, donec eodem ipse morbo correptus aegre tunc quidem convaluit, sed brevi post iterum ex perfrictione inflammationem sibi pericardii contraxit, ex quo tempore fere semper infirma atque male affecta erat valetudine. Tandem post annos tredecim, quod summo dudum desiderio expectavit petiitque, placide ac quiete, ut justo solet contingere, in

Ao. 1818.

Domino obdormivit, sacris omnibus munitus. Merita pretiosissimi viri oratione funebri die 20 Augusti in ecclesia academica perorata typisque Landishuti in 8 edita celebravit Consiliarius medic. D.r *Phil. Fr. de Walther.*

Nova regni Bavarici constitutio, quam Rex clementissimus MAXIMILIANUS JOSEPHUS die vigesimo sexto Maji subditis suis donarat, tantam et *Berteléo* nostro movit laetitiam et exsultationem, ut, quum omnium ordinum cives jurejurando eidem obstringi audisset, ipse quoque, licet jam prope moribundus, idem facere anhelaret, et juramentum suum ineffabili cum gaudio in manus Rectoris deponeret.

In Berteléi cathedram suffectus est *Joannes Andreas* **Buchner.** Is hortulani filius Monacensis 6. Aprilis 1783 natus, postquam literas humaniores Monachii didicerat, summo quo ardebat rerum physicarum studio obsecutus apud *Ostermaierum* pharmacopolam Pfaffenhofiensem pharmaceuticum tirocinium fecit, ab anno autem 1805 in alma literarum Universitate Erfordiana duce potissimum clarissimo *Jo. Barthol. Trommsdorfio* eximiam arti suae per biennium operam dedit, ac summis in philosophia honoribus insignitus est. Inde Monachium rediit, ibique examine pharmaceutico cum nota eminentiae exantlato anno 1809 primarius pharmacopola noviter tunc temporis erectae centralis tabernae medicae Monacensis instituitur. Evulgatis nonnullis commentationibus in *Döbereineri „Jahrbücher der Pharmazie“*, in *„Denkschriften der kaiserl. Leopoldinischen Akademie“*, item in *Schweiggeri „Journal für Chemie und Physik“*, editoque seorsim anno 1814 libro, cui titulus *„Entwurf eines Systems der Chemie“*, idem etiam cum *Gehlenio* celeberrimo Chemico se junxit in edenda ephemeride pharmaceutica s. t. *„Repertorium der Pharmazie“*, quod quidem opus, cujus fama longe ultra fines Germaniae propagata est, post Gehlenii obitum ex anno nempe 1815 ipse solus adornandum curavit. Praeterea partem suscepit in edenda ephemeride *„Anzeiger für Kunst und Gewerbfleiss in Bayern“*, quam polytechnica tunc Monachii recens condita societas coeperat evulgare. His literariis laboribus cum opera indefessa occupatus jam antehac Collegii medicinalis Assessor et regiae scientiarum Academiae adjunctus, novissime autem regio rescripto dd. 5 Augusti in hac literarum

Ao.
1818. Universitate Chemiae, Pharmaciae, Toxicologiae et Pharmacologiae Professor extraordinarius designatus est cum annuo mille et ducentorum florenorum salario.

Plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus Professor *Joannes Michaël* **Sailer** acceptis 5 Septembris ab excellentissimo D. *Carolo Friderico Comite de Thürheim*, regio de rebus internis Ministro, literis certior factus est, Serenissimum Regem in erigendis novis per Bavariam Capitulis cathedralibus clementissime curaturum, ut ejus tam egregia de republica et ecclesia merita condigna remuneratione ornentur.

Praenobilis ac doctissimus *Hieronymus* **Bayer** paullo post suum ab Academia Gottingensi reditum die 27 Octobr. in hujate Ludovico-Maximilianea Universitate Jurium Doctor legens assumtus est, Institutiones et Hermeneuticam juris Romani traditurus.

Octavo Novembris plurimum reverendus SS. theologiae ac philosophiae D. *Antonius* **Drexel,** regius Consiliarius ecclesiasticus, Universitatis nostrae Bibliothecarius, et Philologiae tam graecae quam latinae per sedecim annos Professor p. o., dimissa cathedra academica parochiam Viechtachensem inferiorem Ratisbonensis dioeceseos suscepit, ibique postea parochus libere resignatus 9 Aprilis 1830 aetatis anno septuagesimo septimo diem obiit supremum.

Convocatis sub finem anni Patribus academicis, ut unum e gremio suo socium ad secundam Statuum regni Bavarici Curiam designarent, per vota majora plurimum reverendus *Patricius Benedictus* **Zimmer,** Theologiae Professor et hoc ipso tempore in sequentem annum Rector Magnificus creatus, honorificentissimum illud munus suscepit.

Monumenta literaria hoc anno ediderunt Professores

in sectione *theologica:*

Mich. **Sailer,** Handb. der christlichen Moral, ed. III tomis Monach. 8: Von dem Streiterleben des Geistlichen, Landishuti 8.

in sect. *juridica:*

Car. de **Hellersberg,** Von dem Bohemum der Alten, Landish. 4; Betrachtungen über den sogenannten Aufruhr der Bürger von Lands-

Ao. 1818.

hut, ibid. 4; Bayerisches Bergrecht et: Das bayerische Culturgesetz, opera post ejus mortem edita, quae continent selectas, quas olim habuit, praelectiones; ibidem 8.

in sect. *medica:*

Aug. **Schultes,** Linnéi systema vegetabilium, ed. adjuvante J. J. Römero, P. II. Stuttg. 8.

Ph. Fr. **de Walther,** Rede zum Andenken an Georg Augustin Bertele &c. Landish. 8.

in sect. *philos.*

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber den Lasionit, Wavellit, Lazulit, in Schweiggeri Ephem. T. XXIV. fasc. 2 et 4; Ueber die Entstehung der Porzellanerde, in Monumm. Scientt. Acad. Monac. ad a. 1818, quam commentationem continuavit in iisdem Monumm. ad a. 1819 et 1820.

Frid. **Köppen,** Politik nach Platons Grundsätzen mit Anwendung auf unsere Zeit, Lips. 8.

Conr. **Mannert,** Handbuch der alten Geschichte, Berol. et Lips. 8.

Jac. **Salat,** Salat's und Lorenz Westenrieder's Meinung über die Wiederherstellung des Jesuitenordens, Ulm. 8.

ANNO DOMINI MDCCCXIX.

Ao. 1819.

Rector DLXIX: **Patricius Benedictus** ZIMMER, Philos. et Theol. D.r, regius Consiliarius ecclesiasticus act.; Historiae theologico-literariae, Patrologiae et Archaeologiae biblicae Prof. p. o., necnon ad Curiam II.dam Ordinum Regni Bavarici Deputatus.

Ao.
1819. Nov. Inscripti 196.

Illustres:

Carolus illustrissimus **Princeps de Wrede** Dominus de Mondsee, Succenturio (quem Gallice dicunt „Lieutenant") Legionis IV.tae levis armaturae.

Fridericus Guilelmus **L. B. de Reichlin,** Dilinganus; Philos. Cand.

Carolus **Comes de Reisach,** Rothensis; Jur.

Theodorus **Comes de la Rosée,** Monacensis; Philos.

Adolphus **L. B. de Fraunberg,** Monacensis; Philos.

Guilielmus **L. B. de Leoprechting,** Straubinganus; Phil.

Maximilianus **L. B. de Nothhaft** a Weissenstein, Friedenfelsensis; Philos.

Novi Professores:

Hieronymus **Bayer,** ex superiori anno Jurium priv. docens, nunc eorundem Professor publ. extraordinarius.

Franciscus **Reisinger,** Augustanus; Chirurgiae Ophthalmologiae Prof. p. extraordinarius et Clinici chirurgici Director.

Priv. Docentes:

Joannes Adamus **Oberndorfer,** Pressathensis; publicae Oeconomiae D.r priv. legens.

Josephus **Gadermann,** Passaviensis; Prosector anatomicus.

Novi Doctores:

30 Mart. *Felix Berr*, Thirschenreuthensis e circ. regni Bav. Moenano superiori

15 Julii *Petrus Gerber*, Heidelbergensis, legionis V Bav. Equitum levis armaturae Chirurgus secundarius

16 „ *Joannes Nicolaus Berchtold,* Friburgensis Helvetus } *Med.*

20 Aug. *Laurentius Zierl,* Phil. D.r, Furthensis Boj.

30 „ *Gallus Michaël Sintzel,* Weidensis e circulo regni Bav. Moenano sup.

5 Nov. *Aloysius Neebauer,* Brenbergensis Boj., Legionis VI pedestris Chirurgus primarius

Ao. 1819.

Inter Inscriptos hujus anni praeter Candidatos quos supra memoravimus illustri genere natos eminuere: *Josephus Aschenbrenner,* Neoforensis in Palatinatu superiori, Juris utriusque Candidatus et ejusdem brevi post Doctor, qui nunc est Regis a Consiliis publicis ejusdemque Minister cui cura aerarii tradita est, magna cruce Ordinis meritorii S. Michaëlis, porro Ordinis civilibus de Corona Bav. meritis dicati insignitus, item Caesareo-Austriaci Ordinis Coronae ferreae I Classis, nec non Caesareo-Russici Ordinis S. Annae I Cl. Eques &c.; *Julius Adolphus Niethammer,* Monacensis, Jurium Candidatus, nunc Nobilis de Niethammer, Regis ab hereditariis Consiliis regni, cruce civilibus de Corona Bavarica meritis dicata decoratus, Ordinis praeterea meritorii S. Michaëlis Bav., regiae Coronae Würtenbergicae, regii Belgici Leopoldini et ducalis Saxonici Ernestino-domestici Ordinis Commendator, regiique Borussici equestris Joannei Ordinis Eques; *Antonius Mengein,* Eschenbacensis in Palatinatu superiori, theologiae studiosus tertii anni et Collegii Georgiani alumnus, postea Professor gymnasii et regii Studiosorum paedeuterii Monacensis Director, item Regis a supremis Consiliis ecclesiasticis et Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus capitularis, postremo Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques et Capituli cathedralis Ratisbonensis Decanus (cf. ad a. 1809 fin.). *Sebastianus Mutzl,* Teisendorfiensis Bavarus, postero tempore regius gymnasii Eichstadiani Rector et Professor, Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques, Scientiarum Academiae Monacensis socius correspondens, scriptis pluribus tam historicis quam philologicis clarus.

Hoc anno duo splendidissima nobis ademta sunt sidera. Perillustris enim D. *Philippus Franciscus* **de Walther,** Physiologiae et Chirurgiae per annos quindecim Professor p. o. et Consiliarius medic., cum duas jam prioribus annis vocationes, alteram 1816 Hallensem, alteram proxime secuto anno Heidelbergensem recusasset, nunc novam et eam quidem potentissimi Borussorum Regis invitationem secutus est, et impetrata ad preces suas die 19 Decembris 1818 dimissione Landishuto abiit celeberrimum eo tempore medicorum ordinem Bonensem suo quoque lumine illustraturus. Verum hunc quidem pretiosissimum virum post annos undecim nobis reduxit Deus.

Ao. 1819. Alteram autem acerbissimam sed eam irreparabilem jacturam fecit alma nostra Universitas per abitum praeclarissimi *Caroli Josephi Antonii* **Mittermaier,** regii Consiliarii aulici ac Jurium per integrum decennium Doctoris, cujus me quoque avidissimum auditorem fuisse gratissima mente gloriabor. Postquam igitur dimissionem suam, quam humillime a Rege petiit, eodem die ac mense, quo Waltherus, reservato tamen utrique Bavarico indigenatu impetraverat, ineunte hoc anno a Ludovico-Maximilianea nostra discessit maximum omnibus et collegis et discipulis desiderium sui relinquens. Abiit et is quidem primum Bonnam ab augustissimo Borussiae Rege vocatus; triennio autem post a serenissimo Magno-Duce Badensi invitatus Heidelbergam se contulit, ibique perpetuos sibi lares fixit, Universitatis illius insigne decus et ornamentum futurus. Ingens numerus est librorum et commentationum, quas post suum a nobis discessum tum ephemeridibus quae inscribuntur *„Neues Archiv des Criminalrechts“* (Halae 1817 sqq.); *„Archiv für Criminalrecht, Neue Folge“* (ibid. 1834 sqq.); *„Archiv für civilistische Praxis“* (Heidelberg. 1818 sqq.) *„Kritische Zeitschrift für Rechtswissenschaft“* (Tubingae 1826 sqq.); *„Heidelberger Jahrbücher der Literatur“*, aliis inseruit, tum seorsim evulgavit, et in his praecipue (ut permulta taceam): *Ueber die Grundfehler der Behandlung des Criminalrechts in Lehr- und Strafgesetzbüchern &c.* Bonn. 1819. 8; *Der gemeine deutsche bürgerliche Prozess in Vergleichung mit dem preussischen und französischen Civilverfahren und mit den neuesten Fortschritten der Prozessgesetzgebung, Beitrag I*, Bonn. 1820 (Ed. II. ibid. 1822, Ed. III. ib. 1838. 8), *Beitrag* II—IV, ib. 1822—1826 (Ed. II. ib. 1827—1840); *Theorie des Beweises im peinlichen Prozesse &c.* II. tomi Darmst. 1821. 8; *Grundsätze des gemeinen deutschen Privatrechts mit Einschluss des Handels- Wechsel- und Seerechts,* II Partes Ratisbon. 1821. (Ed. VII. auct. 1847 sq. ib. 8); *Grundriss zu Vorlesungen über deutsche Rechtsgeschichte,* Heidelberg. 1824. 8; *Disquisitio de alienationibus mentis, quatenus ad jus criminale spectant.* ibid. 1825. 4; *Ueber den neuesten Zustand der Criminalgesetzgebung in Deutschland &c.* ib. 1825. 8; *Das deutsche Strafverfahren in der Fortbildung durch Gerichtsgebrauch und Particulargesetzbücher &c,* II. Sectt. ibid. 1827 (Ed.

Ao. 1819.

IV. auct. ib. 1845 sq. 8); *Grundriss zu Vorlesungen über den bürgerl. Prozess*, ib. 1829. 8; *Commissionsbericht über die Verbesserung des Zustandes der Pressgesetzgebung im Grossherzogthume Baden*, Hesych. Carol. 1833. 8; *Die Lehre vom Beweise im deutschen Strafprozesse &c.* Darmst. 1834, quae commentatio etiam in *Gallicam* linguam (Paris. 1848) et *Hispanicam* (Madriti 1851) translata est; *De principio alienationum mentis in jure criminali recte constituendo* Heidelb. 1838. 4; *Lehrbuch des Criminalprozesses*, Edit. XIV. Giessae 1840 8; *Italienische Zustände*, Heidelberg. 1844. 8; *Die Mündlichkeit, das Anklageprinzip, die Oeffentlichkeit und das Geschwornengericht*, Stutgard. 1845; *Die englische Staatsverfassung in ihrer Entwickelung nach der neuesten Schrift von E. S. Creasy*, Heidelb. 1849. 8; *Der neueste Zustand der Gefängnisseinrichtungen in England dargestellt und geprüft*, ibid. 1850. 8; *Das englische, schottische und nordamerikanische Strafverfahren &c.* Erlang. 1851. 8. Non solum autem egregia sua docendi methodo et scriptorum ubertate atque praestantia verum etiam in comitiis populi vice fungens (multoties enim fuit adeo primarius ordinum Deputatorum Praeses) memoriam sibi peperit immortalem.

Praenobilis ac doctissimus *Hieronymus Bayer*, ex superiori anno Jurium Doctor legens, per celsissimum regium rescriptum dd. 8. Aprilis Institutionum juris Romani et processuum summariorum extraordinarius Professor designatus et brevi post d. 21 Octobris licet nondum esset Ordinarius, tamen ob eximiam suam in causidicali exercitatione comprobatam jurisperitiam, in collegium Juridicorum cum sessione ac voto receptus est.

Novus etiam ad medicam sectionem accessit Professor, vacuas per abitum Waltheri partes suscepturus, clarissimus D[r] *Franciscus* **Reisinger.** Is Augustae Vindelicorum ao. 1790 patre experientissimo *Felice Reisingero*, celsissimi ac reverendissimi Principis et Episcopi Augustani archiatro, natus studia humaniora in urbe patria absolvit, medicinae autem operam dedit Gottingae, ubi anno 1814 propugnata dissertatione inaugurali *„De exercitationibus chirotechnicis et de constructione atque usu phantasmatis in ophthalmologia“*, quae Gottingae eodem anno typis edita et anno 1816 novis curis ibidem recusa est, summos in medicina,

Ao.
1819. chirurgia arteque obstetricia honores cum nota eminentiae recepit, jamque eodem illo anno etiam tomum I operis *„Beiträge zur Chirurgie und Augenheilkunde“* Gottingae 1814 in 8. c. tabula aenea evulgavit. Insignitus igitur doctoratu domum rediit et ex usu biennali artem suam ibi penitius didicit, novaque commentatione: *„Darstellung eines neuen Verfahrens, die Mastdarmfistel zu unterbinden, und einer leichten und sicheren Methode, künstliche Pupillen zu bilden“*, Aug. Vind. 1816 in 8 c. tabula aenea edita haud exiguam sibi laudem peperit. Anno autem 1817 Parisios et non ita multo post etiam Londinum se contulit, unde duas domum transmisit dissertationes, alteram: *„Anzeige einer von Dupuytren erfundenen Operationsweise zur Heilung des* anus artificialis *(vermittelst der Darmscheere)“* editam Augusti Vind. 1717, alteram: *„Astley Cooper's Unterbindung der* aorta abdominalis“, insertam in ephemeride *„Medizinisch chirurgische Zeitschrift“* 1817. T. IV. Nr. 79. Inde reversus in patriam ex decreto regio dd. 3 Maji Chirurgiae et Ophthalmologiae in hujate alma Universitate Professor extraordinarius et Clinici chirurgici Director designatus est.

Consultissimus Juris utriusque Licentiatus *Martinus Aschenbrenner*, regius urbis Landishutanae Commissarius, ad preces suas ex rescripto regio dd. 6 Maji impetravit, ut publicae tutandae securitatis scientiam (*Polizeiwissenschaft*) privatim traderet, quin tamen inde officio suo inferret detrimentum aut ex ista venia legendi nexum aliquem cum Universitate sibi adrogaret. Atvero jam proxime futuro Semestri a lectionibus eum abstitisse invenio.

Regio Consiliario aulico atque Oeconomiae publicae Professori *Walrado* **Medico** pridie Calend. Julii data venia est accipiendi diploma, quo a Caesarea publico-oeconomica societate Vindobonensi ad literarium commercium humanissime adscriptus est.

Secundo die Augusti plurimum reverendus S. Theologiae D. *Aloysius Schuhgraf*, in urbe inferiori Ingolstadiensi parochus, ad parochiam Pfaffenhofiensem clementissime promotus, successorem habet *Thomam David Poppium* Hirschaviensem, qui antehac Professor Ratisbonae, deinde Ambergae, nunc ad ecclesiam *S. Mauritii* Parochus die 6 Novembris clementissime praesentatus et 17 ejusdem canonice institutus est.

Die 14 Augusti illustrissimus Medicorum Ordo in litera-

Ao. 1819.

rum Universitate Bonnensi virum celeberrimum et experientissimum *Joannem Andream* **Buchner,** Philosophiae Doctorem, plurimum Societatem litt. Sodalem et in hujate Universitate Pharmaciae Professorem, in solemne documentum honoris et insignis existimationis, quam is tam pluribus scriptis a se editis laudatissimis quam doctrinae atque peritiae chemicae et pharmaceuticae eximiae copia sibi paravit, de arte salutari simul bene merens, Doctorem medicinae et pharmaciae creavit, summosque in arte salutari honores in ipsum absentem collatos publice renunciavit.

Plurimum reverendus ac clarissimus Consiliarius ecclesiasticus et Theologiae Professor *Benedictus Patricius* **Zimmer,** h. t. Rector, qui jam Calendis Januarii Monachium profectus ibique a congregatis in secundam Curiam Ordinibus regni in eam, quam pro condendis legibus constituerunt Commissionem electus fuerat, non multo post in gravissimum morbum incidit, a quo tamen ope et consilio experientissimi in re medica Consiliarii *Joannis Nep. Ringseis,* ita persanatus est, ut clausa Statuum concione cum optima valetudine ad Universitatem reverti et strenue sua rursus obire posset officia. Finito autem hoc anno scholastico cum esset in eo, ut novus in posterum annum Rector eligeretur, idem *iterum* cum magna suffragiorum pluralitate a Collegis designatus et a Regia Majestate clementissime confirmatus est.

Praenobilis *Ignatius Weber,* Landishutanus, Medicinae et Chirurgiae Dr, aliquamdiu vice Prosectoris anatomici functus est, sed jam Calendis Novembribus per celsissimum rescriptum *Josephus* **Gadermann,** Passaviensis, ex superiori anno Medicinae, Chirurgiae et Artis obstetriciae Doctor, in ejus locum successit. Gadermannus 22 Februarii 1796 pistore patre natus, exantlatis in urbe patria studiis gymnasialibus Landishutum se contulit, ibique anno 1815 Philosophiae, proximo autem triennio Medicinae et Chirurgiae operam dedit, et exarata dissertatione *„De cauterio actuali“* (ed. Monachii, 8.) ceterisque pro impetrando gradu doctorali rite praestitis Calendis Septembribus 1818 summis honoribus cum nota eminentiae insignitus et 31 Octobris 1819 Prosector anatomicus designatus est.

Rex augusissimus datis 18 Sept. ad Senatum literis habitam pro anno sequente Rectoris et Senatorum electionem clemen-

Ao. 1819. tissime comprobavit. Rector electus est iterum ex theologica Sectione plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus D.r *Patricius Benedictus* **Zimmer;** in Senatorum autem numerum suffecti ex juridica Sectione Consiliarius aulicus *Jo. Nepom.* **Wening,** e medica Consil. aul. *Jo. Nepom.* **Feiler**, ex ordine philosophico Consiliarii aulici *Jo. Nepom.* **Fuchs,** et *Dietr. Mart.* **Stahl.**

In Sectione cameralistica Doctor legens assumtus est *Joannes Adamus* **Oberndorfer,** qui Pressathi in Palatinatu superiori 17 Julii 1792 natus, studiis gymnasialibus et primo philosophico cursu Ambergae peractis anno 1813 Candidatus philosophiae secundi anni Albo academico nostro nomen dedit. Postquam disciplinis publico-oeconomicis absolutis 1816 in fiscali praxi per annum versatus fuerat, ad Universitatem rediit, juris quoque prudentiam intra biennium absolvit et egregie elucubrata dissertatione *„Grundlegung der Kameralwissenschaften, oder über die systematische Einheit und den organischen Zusammenhang derselben“* Landishuti edita, ceterisque praestandis rite praestitis die 12 Augusti 1818 summos in utroque jure honores recepit. Quo facto quum publicum stipendium impetrasset, ut extraneam aliquam invisere posset Academiam, Goettingam in annum se contulit, atque inde reversus Landishutum ex rescripto regio dd. 3 Novembris h. a. Doctor legens assumtus est, doctrinam publicae disciplinae et rerum ad vectigalia pertinentium privatim traditurus.

Hoc anno e vita decessit consultissimus Jurium Licentiatus *Ignatius Lichtenstern,* meritissimus per annos quadraginta Universitatis nostrae Secretarius; ejus autem officium per rescriptum dd. 13 Septembris ad tempus praenobili *Henrico Müller* Actuario concreditum est proponente amplissimo Senatu academico.

Opera literaria hoc iterum anno complures in lucem publicam ediderunt Professores,

in sect. *theologica:*

Jo. Mich. **Sailer,** Homilien auf alle Sonn- und Festtage des Kirchenjahres, II tomis Landish. 8; Siebenmal sieben Anbetungen des Anbetungswürdigsten, T. I. ibid. 8; Die Krippe des Herrn, Monach. 8.

Ao. 1819.

in *juridica* sectione:

Hieronymus **Bayer,** Ueber Aenderung des Klaglibells, ein civilistischer Versuch, Landish. 8.

C. Jos. Ant. **Mittermaier,** Die öffentliche und mündliche Strafrechtspflege und das Geschwornengericht im Vergleich mit dem deutschen Strafverfahren, Landish. 8.

Jo. Nep. **Wening,** Ueber die Wichtigkeit der politischen und gerichtlichen Beredsamkeit in unseren Tagen, ibid. 8.

in sect. *medica:*

Aug. **Schultes,** Linèi Systema vegetabilium, ed. aucta, P. III. Stuttgard. 8; Donaufahrten, T. I. Vindobon. 8, cujus opusculi alteram Partem Stuttg. 1827. 8. edidit.

Phil. Fr. **de Walther,** Merkwürdige Heilung eines Eiterauges &c. Editio II. Landish. 8.

in sect. *philos.*

Frider. **Ast,** Platonis quae extant opera; accedunt, quae Platonis feruntur scripta &c. T. I. continens Protagorum, Phaedrum, Gorgiam et Phaedonem, Lips. 8.

Frid. **Köppen,** Rechtslehre nach Platons Grundsätzen, Lips. 8.

Conr. **Mannert,** Compendium der deutschen Reichsgeschichte Editio III. Norimb. 8.

Jac. **Salat,** Grundlinien der Religionsphilosophie, Solisbac. 8.

Ao. 1820.

ANNO DOMINI MDCCCXX.

Rector DLXX: **Patricius Benedictus** ZIMMER, Philos. et Theol. D.r, reg. Consil. eccl. act.; Patrologiae et Archaeologiae biblicae Prof. p. o. &c. II.do

Nov. Inscripti 251.

Illustres:
Maximilianus **L. B. de Ow,** Pertoldshemiensis; Philos. C.
Maximil. **L. B. de Kaeser,** Monacensis; Jur.
Philippus **L. B. de Aretin,** Ratisbonensis; Jur.
Maximil. **Comes de Lerchenfeld,** Monacensis; Jur.
Antonius **Comes de Toerring-Seefeld,** Monac.; Jur.
Theodorus **Comes de Holnstein,** Ambergensis; Philos. et
Maximil. **Comes de Holnstein,** Landishutanus; Priv. Stud.

Novi Doctores:

8 Mart.	*Jos. Dürig,* Bettstadtensis e circulo regni Bavar. Moenano superiori secundae velitum cohortis Chirurgus secundarius		
18 „	*Franciscus Hermannus Josephus de König,* Aschaffenburgensis,		
22 „	*Joannes Baptista Wolf,* Kürnacensis Franco		
23 „	*Joannes Nepomuc. Laucher,* Dilinganus Suevus	}	*Med.*
—	*Carolus Josephus Rüth,* Mitterteichensis e circ. Moenano superiori		
15 Maji	*Augustus Josephus Münzenthaler,* Aschaffenburgensis		
31 „	*Michaël Auctor,* Sonthofiensis e circ. Danubiano superiori		
19 Aug.	*Jo. Daniel Burger,* Bambergensis e circ. Moenano superiori		

			Ao.
26 Aug.	*Georg. Frider. Göswein,* Creussensis e circ. Moenano sup.		1820.
—	*Joannes Georgius Ritzenthaler,* Ratisbonensis		
28 „	*Thaddaeus Fleissner,* Chiemseensis, legionis Bav. I. Cataphract. Chirurgus		
—	*Philippus Lipp,* Aschensis in circ. regni Bav. Danubiano superiori		
30 „	*Martinus Batzer,* Obergünzburgensis e circ. Danub. superiori	*Med.*	
—	*Josepus Hell,* Beilngriesensis e circ. Regenano		
1 Sept.	*Josephus Heindl,* Moersdorfensis e circ. Rezatino, Legionis pedestr. X. Chirurgus secundarius		
15 Nov.	*David Hölderlin,* Lindaviensis Boj., legionis Cataphract. II. secundarius Chir.		
18 Dec.	*Henricus Hann,* Neoburgensis e circ. Regenano Bojus		

Inter Inscriptos hujus anni singulari dignus est mentione *Cajetanus Kaiser* Kellheimensis, Pharmaciae Cand., meritissimus posthac almae Universitatis nostrae Professor.

Spectatissimus Philosophiae et Medicinae D. *Joannes Andreas* **Buchner,** Chemiae et Pharmaciae Professor extraordinarius rescripto regio die 28 Januarii veniam impetravit, a Societate pharmaceutica Petropolitana accipiendi diploma, quo illius Instituti socius honoris causa designatur.

Plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus D. *Benedictus* **Holzinger,** Technologiae et doctrinae mercatoriae in sectione publico-oeconomica Professor p. o., in numerum eorum, quibus demandata est administratio fundi academici, suffectus et electio haec pridie Cal. Februarii clementissime rata habita est.

Tempore paschalium feriarum immatura morte nobis ereptus est vir pretiosissimus mihique olim discipulo suo dilectissimus.

Ao. 1820. Etenim plurimum reverendus *Joannes Petrus* **Roider,** SS. theologiae D^r^, regius Consiliarius ecclesiasticus, et in hac alma Universitate Homileticae, Catecheticae, Liturgicae ac Paedagogicae per quadriennium Professor idemque Georgiani clericorum Seminarii Director et Parochus in Zolling, die 25 Martii in parochiam abiit, ut more consueto cum parochianis suis celebraret pascha. Tertio autem Aprilis Monachium se contulit ibique apud carissimas suas sorores devertens, postridie ejus diei, quo me quoque tunc temporis Capellanum parochialem in suburbio Augia inviserat, nervosa febri correptus est et octava Aprilis hora media quarta obdormivit in Domino. Qui nuntius brevi divulgatus ineffabili dolore percussit omnes, qui vivum norunt, maxime parochianos et ipsos Georgiani alumnos, quos adeo sibi omnes mira sua prudentia et animi sinceritate attraxit, ut crediderim, vix ullum a gnatis suis patrem majori unquam verecundia et dilectione fuisse honoratum. Sepultus est in coemeterio Monacensi; monumenti marmorei haec inscriptio: *„Ich bin der Gute Hirt"*, Jo. X. 12. *„Hier schläft der guten Hirten Musterbild und, was ungleich mehr, der guten Hirten trefflicher Bildner, Jo. Peter Roider"* et reliqua. *„Wer vorübergeht, flehe zum Herrn: Gieb Deiner Heerde solcher Hirten mehr!"* Memoriam defuncti inter solemnes exequias duodecimo Maji in ecclesia academica habitas oratione funebri parentavit *Jo. Michaël Sailer.* Directoris autem partes interim suscepit plurimum reverendus *Georgius Fridericus* **Wiedemann,** ejusdem Collegii Georgiani Subregens.

Clarissimus D^r^ *Jo. Nep.* **Fuchs,** Chemiae et Mineralogiae Professor, die 12 Aprilis a Societate polytechnica Monacensi sodalis in ordine adscriptus est.

Alterum hoc anno Universitatis nostra et theologica potissimum sectio virum pretiosissimum amisit tempore feriarum. Plurimum enim reverendus et clarissimus *Patricius Benedictus* **Zimmer,** SS. Theologiae D^r^ ejusdem per viginti annos Professor p. o. et hoc ipso tempore iterum Rector, quum jam superiori anno iterato et vehementiori pectoris morbo correptus nonnisi conjuncta doctissimorum Medicorum arte fuisset restitutus initis hujus anni feriis auctumnalibus in parochiam suam Steinheimensem abiit, ibique penitus convalescere viresque integras recuperare videba-

Ao. 1820.

tur, cum protinus apoplexia nervosa tactus die 15 Octobris hora tertia pomeridiana flebilis omnibus diem obiit supremum. Sepultus est in coemeterio parochiali. Erat vir ut insignis virtutis ac pietatis ita et antiqui moris atque genii, cui nihil eoquod novum esset, facile probabatur; nec certo quidquam adulationis sibi indulsit amicissimus eidem in sacra Facultate Collega nunc et ipse beatus D. Sailerus, dum hoc ei elogium scripsit: Gravis in vita fuit ac strenuus, sed idem humanus, benignus et comis; et in ipso animi sui fervore, ubi aliquem verbis asperis et vehementioribus quandoquidem fortasse increpuit, semper tamen amabilis convictor sociusque jucundissimus, plenus sinceritate et benevolentia; justitiae autem et veritatis fuit integerrimus cultor, iniquitatis vero ac dissimulationis obtrectator inimicissimus; largus item ne dicam profusus in pauperes, nunquam non memor divini illius proverbii: „Hilarem datorem diligit Deus." Hujus praeclarissimi viri ac mihi speciatim dilectissimi olim Professoris vitam paucis descriptam unacum effigie Defuncti aere incisa edidit *Jo. Michaël Sailer,* Landishuti 1821. 8.

Electionem novi in posterum annum Rectoris magnifici et Senatorum eorum, qui sunt decedentibus sufficiendi, Rex 5 Octobris clementissime ratam habuit et confirmavit. Fuit autem Rector suffragiorum pluralitate ex amplissimo Medicorum ordine cooptatus clarissimus *Andreas* **Röschlaub;** Senatores fuerunt electi e sectione philosophica D.r *Christianus Siebenkees* et D.r *Fridericus Ast,* ex theologica sectione D.r *Benedictus Schneider,* ex cameralistica D.r *Ant. Däzl*; in perpetuos denique Senatores a Rege suffecti sunt D.r D.r *Jo. Bapt. Andres* juris ecclesiastici, et *Walradus Medicus* rei publico-oeconomicae Professor.

Res literaria Universitatis haud exiguum h. a. incrementum accepit nonnullis commentationibus, quas in lucem ediderunt Professores

in sectione *theologica:*

Jo. Mich. **Sailer,** Trauerrede auf *Johann Peter Roider,* quam inter solemnes exequias peroratam postero anno typis Landishuti evulgavit; Christ-

Ao. 1820.

liche Sonn- und Feiertags- dann Gelegenheits-Reden u. a. IV tomis ed. Graec. 8; Christliche erste Messfeier- und Primiz-Reden &c., ibid. 8; Christliche Fastenreden, ib. 8; Erinnerungen an Pfarrer *Karl Schlund,* Monach. 8; Geist und Kraft der katholischen Liturgie, Editio II. Monach. 8.

Frid. **Wiedemann,** Manuale precum in usum sacerdotum et clericorum, Landish. 12.

in sect. *juridica:*

Jo. Nep. **Wening,** Ueber die Mängel und Gebrechen der juristischen Lehrmethode mit besonderer Rücksicht auf die Universität Landshut, Landish. 8.

in *medica* sectione:

Jo Andr. **Buchner,** Würdigung der Pharmacie in staatswirthschaftl. Beziehung, Norimb. 12 maj.; Ueber die Trennung der Pharmacie von der Heilkunde, Norimb. 12; Vollständ. Inbegriff der Pharmacie in ihren Grundlehren und praktischen Theilen, P. I (Einleitung in die Pharmacie) Norimb. 8; Repertorium für die Pharmacie, T. III. IV. V. VI. VII. VIII. ibid. 12.

Jo. Nep. **Feiler,** Ueber angeborene menschliche Missbildung im Allgemeinen und Hermaphroditen insbesondere, cum duabus tabb. aeri incisis, Ldsh. 8.

Fr. **Reisinger,** Die künstliche Frühgeburt, als wichtiges Mittel in der Entbindungskunst, c. tab. aenea, August. Vindel. 8.

Aug. **Schultes,** Linnéi Systema vegetabilium, ed. auct. &c. P. IV. Stuttgard. 8.

Ao. 1820.

in sect. *philosophica:*

Frid. **Ast,** Platonis quae extant opera &c. T. II. Contra Theaetetem, Sophistam et Politicum, Lips. 8.

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber ein neues nutzbares Produkt aus Kieselerde und Kali, quod novum vitri genus postea *„Wasserglas“* appellabat, ed. in *Kastneri* „Archiv für die gesammte Naturkunde“, T. V.

Frid. **Köppen,** Offene Rede über Universitäten, Landish. 8.

Jac. **Salat,** Socrates, oder über den neuesten Gegensatz zwischen Christenthum und Philosophie &c. Solisbac. 8; Grundzüge der allgemeinen Philosophie aus dem Standpunkte der höheren Bildung der Menschheit, Monach. 8; Lehrbuch der höheren Seelenkunde oder Psychologische Anthropologie, Monach. 8.

ANNO DOMINI MDCCCXXI.

Ao. 1821.

Rector DLXXI: **Andreas** ROESCHLAUB, Philos. Medic. et Chir. Dr, regius Consiliarius aulicus actualis; Medicinae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 245.

Illustres:

Maximilianus **Comes de Kreith,** Ambergensis; Philos. Cand.

Mauritius **L. B. de Riederer,** Schoenaviensis Bav.; Philos.

Antonius **L. B. de Schrenk,** Wetterfeldensis; Phil.

Maximil. **L. B. de Voithenberg,** Chammensis; Phil.

Guilielmus **Comes de Holnstein,** Ambergensis; Jurium C.

Ao.
1821. *Maximil.* **L. B. de Du-Prel,** Ambergensis; Philos.
Maximil. **L. B. de Gumppenberg,** Monacensis; Priv. Stud.
Guilielmus **L. B. de Künsberg,** Ambergensis; Priv. Stud.
Georgius **Comes de Bothmer,** Monacensis; Jur.

Novi Professores: *Georgius Fridericus* **Wiedemann,** Collegii Georgiani hucusque Subregens, nunc ejusdem Director et Theologiae pastoralis Prof. p. o.
Jo. Nepom. **Hortig,** Parochus in Windisch-Eschenbach, Doctrinae relig. in genere et S. Theologiae moralis Prof. p. o.
Jo. Adamus **Oberndorfer,** hucusque D^r priv. legens, nunc Doctrinae publico-oeconomicae et publicae tutandae securitatis Prof. extraordinarius.

Priv. Docens: *Jo. Franciscus Allioli*, Solisbacensis, Arabicae et Aramaicae linguarum D^r legens.

Novi Doctores:

28 Julii *Jos. Scheill,* Sichelensis Bav., Landishuti Orator a Sacris parochialis — *Theol.*

17 Febr. *Simon Hildebrand,* Schwarzhofensis e circ. regni Bav. Regenano
16 Maji *Jacobus Antonius Good,* Melensis Helvetus
2 Jul. *Jo. Georgius Höglauer,* Teisendorfiensis e circ. Isarano
17 „ *Carolus Guilielmus Diener,* Obertürkheimiensis Würtembergicus
4 Aug. *Theophil. August. Guil. Herrich-Schäffer,* Ratisbonensis
18 „ *Mich. Iblacker*, Tirschenreuthensis e circ. Moenano inferiori
20 „ *Jo. Georg. Frider. Hertwig,* Obereisenheimensis e circ. Moenano inf.

— *Med.*

Ao. 1821.

23 Aug. *Georgius Groll,* Vilshofiensis e circ. Danubiano inferiori
— *Ignatius Truckmüller,* Thansteinensis e circ. Bav. Regenano
27 „ *Christophorus Götz,* Lauinganus
— *Carolus Hartmann,* Dilinganus
} e circ. Danubiano super.
} *Med.*

Ex Inscriptis in hunc annum praecipue meretur commemorari *Jacobus Ehgartner,* Burglengenfeldensis e Palatinatu superiori, SS. Theol. Cand., qui, dum haec scribo, cruce equestri Ordinis meritorii S. Michaëlis I. Cl. insignitus Canonicus est Capituli cathedralis Ratisbonensis et reverendissimi Episcopi ibidem Officialis.

Praenobilis et consultissimus juris utriusque D.r *Joannes Adamus* **Oberndorfer** die 22 Martii Professor extraordinarius in sectione cameralistica, quam vocant publico-oeconomicam, clementissime designatus, eidemque ex rescripto regio dd. 19 Aprilis salarium auctum et 26 Maji matrimonium ineundi venia data est.

Beato *Roidero* superiori anno defuncto suffectus est plurimum reverendus *Georgius Fridericus* **Wiedemann,** Schlichtensis in Palatinatu superiori, die 14 Junii 1787 natus. Is studiis inferioribus et philosophicis Ambergae, theologicis autem ab anno 1808, quo in seminarium clericale Georgianum receptus est, in hac alma Ludovico-Maximilianea Universitate absolutis et 17 Septembris 1810 Ratisbonae sacro sacerdotio initiatus, quum aliquamdiu illustrissimi *Comitis de Vieregg* magistrum egisset domesticum, eodem tempore cum *Roidero* Directore (ao. 1815) Collegii Georgiani Subregens institutus, et post ejus obitum primum quidem ad tempus eidem Seminario praefectus, 10 vero Maji hujus anni Director et Consiliarius regio-ecclesiasticus nec non theologiae pastoralis, homileticae, catecheticae et liturgicae Professor designatus est. Interea idem nonnullis etiam literariis jam partubus inclaruit. Scripserat enim adjuvante *Michaële Haubero* p. m. ephemeridem, c. t. *„Monatsblatt für christliche Religion und Literatur“* per annos quinque continuatam totidemque tomis editam

Ao.
1821. Monachii 1813—17; imo sola suapte opera majoris quoque voluminis opus aggressus est, quod inscribitur *„Allgemeine Menschengeschichte für die katholische Jugend,“* cujus Pars I. c. t. *„Die alte Geschichte,“* duas complectens sectiones Monachii 1814 sq. ac postea cura sexies repetita ibidem prodiit, Partis autem II^dae^ c. t. *„Die mittlere Geschichte“* sectio prior ibidem 1819 et deinde semel atque iterum recusa est. Hujus operis sequiores continuationes aliaque ejusdem auctoris scripta ad singulos deinceps annos allegabimus.

Perillustris *Christophorus L. B. de Schütz,* Regis a cubiculi praepositis et generalis metallorum Administrationis Director, selectam quam sibi suis sumtibus comparaverat fossilium collectionem almae literarum Universitati nostrae dono dedit. Quam donationem Rex datis ad Senatum literis 22 Februarii ratam habuit, et cum eximia laudatione publice jussit promulgari.

Doctissimo *Martino* **Münz,** qui 13 Novembris 1817 ordinarius Anatomiae in medica sectione Professor cum annuo octingentorum florenorum salario designatus fuit, rescripto regio die 19 Aprilis h. a. floreni ducenti quotannis clementissime additi sunt.

Cum proxime de Theologia pastorali fuisset prospectum, nova in eadem sacro-sancta Facultate imminuit vacatura. Plurimum enim reverendus Philos. ac Theol. D^r^ *Joannes Michaël* **Sailer,** regius Consiliarius ecclesiasticus et per annos duos et viginti continuos in hac alma Universitate meritissimus Professor, mala valetudine affectus ex celsissimo decreto d. 27 Maji praelectiones suas imminente hoc aestivo tempore intermittendi veniam impetravit, ut profecturus ad aquas vires suas recrearet; eique in hunc finem remuneratio quadringentorum florenorum ex aerario academico, ducentorum autem e fundo disponibili regii Ministerii clementissime assignata est. Jam vero eo tempore gratiosissimo Regi deliberatum fuit et constitutum, hunc emeritum Sibique gratissimum virum ad quietiorem promovere dignitatem, cathedram autem ejus academicam committere doctissimo *Joanni Nep. Hortig.*

Plurimum reverendus *Jo. Nepom. Carol. Antonius* **Hortig,** Palatino-Solisbacensis Consiliarii filius, Bleystenii in Palatinatu superiori 3 Martii 1774 natus et *Carolus Antonius* baptizatus, studia inferiora in Gymnasio Ambergensi, humaniora autem et

Ao.
1821.

per biennium philosophica in electorali alumnatu Collegii tunc conditi Neoburgensis egregie absolvit. His optimis artibus institutus literarum Universitatem Ingolstadiensem adiit et ex voto patris sui Jurium Candidatus Albo nostro academico 1792 nomen dedit. Ipse vero magis Philosophia illectus, ut hisce potius studiis posset vacare, vitam monasticam in Ordine Benedictino anhelavit, et in monasterio Andechs indito sibi novo *Joannis Nepomuceni* nomine solemnia sacra professus philosophicis et theologicis disciplinis atque etiam juri canonico insignem operam dedit. Sed et reverendissimus Abbas sagacissimum adolescentem ad jurisprudentiam destinavit. Misit eum igitur Salisburgum, ut in perantiquo monialium claustro Nonnbergensi Capellani officio fungeretur, simulque in celeberrima illius urbis Academia jurisprudentiam auscultaret. Inde post biennium reversus in suum monasterium, magister domesticus fratres Novicios Logicam et Metaphysicam docebat. Suppressis autem in Bavaria monasteriis anno 1803 a serenissimo Magno-Duce Florentino Salisburgum invitatus, ut publicam ibi Philosophiae cathedram susciperet, hanc honorificam vocationem secutus est et gradu doctoratus insignitus lectionum suarum statim principium fecit. Biennio tamen post, cum anno 1805 terra Salipolitana in Austriacam venisset ditionem, publico docendi munere se abdicavit et in patriam redux brevi postea in Lyceo regio Ambergensi Dogmatices Professor designatus est. Ibi per integrum septennium partes suas cum eximia laude explevit, donec parochiam Windisch-Eschenbacensem in Palatinatu superiori ad preces suas sibi collatam suscepit. Hinc post annos novem, quos in pastorali cura zelosissime peregit, die 10 Maji hujus anni in cathedram per promotionem clarissimi *Saileri* vacaturam clementissime evocatus est.

In sectione philosophica plurimum reverendus *Josephus Franciscus Allioli* praestandis rite praestitis docendi veniam impetravit. Is Solisbaci in Palatinatu superiori 10 Augusti 1793 natus, studiis humanioribus et theologicis cum eminente profectu peractis 11 Augusti 1816 Presbyter ordinatus et 21 Decembris ejusdem anni ex egregie soluta, quam sacrosancta Facultas pro capessendo gratuito gradu doctoratus proposuerat, dissertatione *„Aphorismen über den Zusammenhang der heiligen Schriften“* (ed.

Ao.
1821. Ratisbon. 1818) summos in theologia honores praemii loco recepit. Ductus autem desiderio extraneas quoque invisendi Academias ad cognitionem linguarum praesertim orientalium penitius excolendam, datis ad Majestatem supplicissimis literis petiit, ut sibi stipendium aliquod in hunc finem largiri dignaretur. Iteratis hisce precibus et a Senatu academico eximie commendatus, dum interea Capellanus in parochia cathedralis ecclesiae Ratisbonensis in curam animarum fuerat expositus, die 26 Februarii 1818 voti sui compos factus est. Assignato sibi stipendio quingentorum et viginti quatuor florenorum Vindobonam profectus, totidemque sibi novo regio rescripto d. 9 Martii 1820 iterum collatis Romam quoque sese contulit. Inde reversus, 12 Augusti h. a. linguarum orientalium in hac alma Universitate Doctor legens cum annuo quingentorum florenorum stipendio clementissime assumtus est.

Clarissimus autem *Joannes Michaël* **Sailer,** quum recuperata salubrium aquarum usu valetudine Landishutum rediisset, ab augustissimo Rege MAXIMILIANO JOSEPHO die 19 Octobris Canonicus capitularis Ecclesiae cathedralis Ratisbonensis designatus ex hujate alma literarum Universitate cum ingenti dolore omnium discessit. Jam proxime futuro anno a sede apostolica Episcopus Germanicopolitanus in partibus ac reverendissimi Ordinarii Ratisbonensis *Joannis Nepomuceni de Wolf* Coadjutor cum jure succedendi confirmatus et post ejus obitum 30 Augusti 1829 solio episcopali immissus est. Sedit autem pretiosissimus Jubilaeus sacerdos, a gloriosissimo Rege LUDOVICO, cujus olim praeceptor fuit, magna cruce Ordinis Bavaricae coronae insignitus tribus duntaxat annis. Jam enim vigesimo Maji 1832 aetatis suae octogesimo anno ad Superos migravit. Monumentum ejus marmoreum regiis sumtibus exstructum est in ipsa sua ecclesia cathedrali; memoria autem Beatissimi vivet in seculum seculi. Scripta ejus philosophica, paedagogica, theologica, ascetica, pastoralia, apologetica, biographica una omnia editione prodierunt tomis quadraginta uno in 8.vo Solisbaci 1830—1846.

Nova in posterum annum Rectoris et Senatorum electio 14 Sept. clementissime rata habita est. In Rectoratum creatus est magnificentissimus D.r *Andreas* **Röschlaub** iterum, in ordinem Senatorium cooptati sunt DD. *Jo. Nep. de Wening-Ingenheim* Ju-

Ao. 1821.

rium Prof., *Martinus Münz*, Medicinae Prof., et Philosophiae Proff. *Maurus Magold* et *Jo. Nep. Fuchs.*

Penultima Julii D.r *Joannes Nep.* **Wening**, Regis a Consiliis aulicis Juriumque in hac alma literarum Universitate Professor et equestris praedii possessor, cum omnibus suis utriusque sexus legitime natis ordini Nobilium regni adscriptus est, veniamque a regia Majestate impetravit, sibi assumendi cognomen *„Nobilis* **de Wening-Ingenheim** *in Hirschhorn.*

Duodecimo Octobris praenobilis hucusque Actuarius *Henricus Müller* ex clementissimo regio rescripto Universitatis Secretarius et academicae Cancellariae praefectus designatus est; in locum autem, quem ille ante tenuit, *Mathias Heilmaier* successit.

Literarium orbem hoc anno ditarunt scriptis suis evulgatis

e sectione *theologica:*

Mich. **Sailer**, Johann Peter *Roider's* Bildung, Character und Leben, Monach. 8.

Jo. Nep. **Hortig**, Predigten für alle Festtage des katholischen Kirchenjahres, Ldsh. 8.

in sectione *juridica*:

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim**, Lehrbuch der Encyclopädie und Methodologie der Rechtswissenschaft, Ldsh. 8.

e sect. *medica:*

Jo. Andr. **Buchner**, Repertorium für die Pharmacie, T. IX. X, Norimb. 12.

Jo. Nep. **Feiler**, Handbuch der Diätetik, Ldsh. 8.

Mart. **Münz**, Handbuch der Anatomie des menschlichen Körpers, P. I. etiam s. t. „Muskellehre" Ed. II. Landish. 8; P. II. etiam c. inscriptione „Gefässlehre", ibid. 8.

Aug. **Schultes**, *Linnéi* Systema vegetabilium, editio auct. &c. P. V. Stuttgard. 8.

in sect. *philosophica:*

Frid. **Ast**, Platonis opera &c. T. III, Parmenidem, Cratylum, Phileb. et Convivium cont., Lips. 8.

Ao. 1821.

Jo. Nep. **Fuchs,** Ueber das Verhalten des Kochsalzes zum Wasser, in *Kastneri* „Archiv für die gesammte Naturlehre", T. VII.

Frid. **Köppen,** Vertraute Briefe über Bücher und Welt, P. I. Lips. 8.

Jac. **Salat,** Die Religionsphilosophie als Wissenschaft, Editio II. Monach. 8; Die Moralphilosophie als Wissenschaft, Ed. III. ibid. 8.

Ao. 1822.

ANNO DOMINI MDCCCXXII.

Rector DLXXII: **Andreas** ROESCHLAUB, Phil. Med. & Chir. D^r^, reg. Consil. aul. act.; Medicinae Prof. p. o. II^do^

Nov. Inscripti 234.

Illustres: *Carolus* **L. B. de Schoenstätt,** Wolfringanus; Philos. C.

Ludovicus **L. B. de Voithenberg,** Mittenaviensis; Philos.

Julius **L. B. de Eckher,** Eckhofiensis; Succenturio Legionis IV. pedestris.

Novi Professores: *Georgius Leonardus Bernardus* **de Dresch,** Tubingensis hucusque Historiarum, nunc in hujate Academia Historiae ac Juris publici Professor publ. ord. et Protobibliothecarius Universitatis.

Hieronymus Joannes Paulus **Bayer,** Jurium extraordinarius antehac, nunc Historiae juris Romani, item communis civil. ordinarii Processus ac Processuum summariorum Prof. p. ord.

Joannes Adamus **Oberndorfer,** hucusque extraordinarius scientiarum cameralium Prof., jam vero earundem Prof. p. o.

Ao. 1822.

Joannes Andreas **Buchner**, extraordinarius Chemiae pharmaceuticae et Toxicologiae, nunc Chemiae et Pharmacologiae Prof. p. o.

Priv. Docens: *Josephus* **Gadermann**, Prosector; jam etiam Medicinae et Chirurgiae Doctor legens.

Novi Doctores:

21 Mart.	*Christianus Pitzner*, Frisingensis e circ. regn. Bavar. Isarano	*Med.*
—	*Stephanus Rutz*, Weinheimensis, Praetoriae equitum loricatorum cohortis Chirurgus	
27 „	*Jo. Nep. Geiger*, Monacensis, reg. Bav. militum torment. Chirurg.	
—	*Fr. Xaverius Kunst*, Straubinganus, e circ. Danubiano inferiori	
15 Jul.	*Fr. Antonius Clement* (deest loc. natal.) Helvetus	
14 Aug.	*Thomas Goetz*, Muninganus Bojus	
—	*Joannes Nep. de Lengriesser*, Straubinganus Bojus	
21 „	*Alexander Erhard*, Passaviensis Bojus	
—	*Georgius Schuster*, Ellinganus Bojus	
24 „	*Jo. Jacobus Tempel*, Aschaffenburgensis Franco-Bav.	

Inscriptus est hoc anno matriculae academicae *Jo. Georg. Kaiser*, Burglengenfeldensis, Theologiae Candidatus, post ejusdem in hac alma literarum Universitate Professor; et *Josephus Prand*, Waginganus in Bavaria superiore, item SS. Theologiae Cand., de quo plura ad a. 1824.

Plurimum reverendus tertio abhinc anno nominatus a Senatu academico Parochus in inferiori urbe Ingolstadiensi, *Thomas David Popp*, die 17 Novembris superioris anni Canonicus Ecclesiae cathedralis Eichstadianae designatus est. Ad vacuam igitur per ejus abitum parochiam nostram *Mauritianam* 16 Februarii curr. anni doctissimus *Adamus Guldener* Francogallus, antehac Neoburgi ad Danubium Professor praesentatus est.

Ao. 1822. Die 19 Februarii clarissimus *Hieronymus* **Bayer**, Jurium Professor extraordinarius, impetrata jam 27 Januarii venia, sacro sibi matrimonio junxit praenobilem virginem *Franciscam Eisenrieth* regii Salinatoris in urbe Traunstein filiam legitimam. Triduo autem post (21 Febr.) per clementissimum regium decretum idem Jurium Professor ordinarius designatus est, ob suam hucusque contestatam juris peritiam atque industriam egregie laudatus.

Alterum sectioni juridicae hoc anno accessit ornamentum, perillustris *Georgius Leonardus* **de Dresch**, Ordinis meritorii coronae Würtembergicae Eques et in alma literarum Universitate Tubingensi Historiarum Professor. Is Forchhemii in Franconia 10 Martii 1786 natus, inferioribus studiis Bambergae, altioribus Wirceburgi et Landishuti (q. v. ad a. 1805) absolutis, in praemium solidissimae dissertationis *„Ueber die Dauer der Völkerverträge“*, quam ao. 1808 exantlatis cum nota eminentiae rigorosis examinibus in hac alma Universitate nostra evulgavit, summis ex utroque jure honoribus academicis insignitus est. Eodem anno Heidelbergam se contulit, ibique exarato Manhemiique edito egregio programmate *„De indole et gradibus culpae“* veniam legendi brevique post adeo publicam cathedram extra ordinem capessivit. Anno autem 1810 in Academia Tubingensi secundarius Historiarum Professor p. o. designatus perorata, quam Heidelbergae impressam edidit, dissertatione inaugurali *„Ueber die Bildung des Diplomatikers“* lectiones suas auspicatus est. Ad haec mox alia ejusdem opera prodierunt, e. gr. *„Systematische Entwickelung der Grundbegriffe und Grundprinzipien des gesammten Privatrechts, der Staatsrechtslehre und des Völkerrechts“* Heidelberg. 1810; *„Uebersicht der allgemeinen politischen Geschichte, insbesondere Europens“*, III tomis Wimar. 1814—1816 (Edit. II. T. I. ibid. 1821. 8); *„Betrachtungen über die Ansprüche der Juden auf das Bürgerrecht &c.“* Stuttgard. et Tubing. 1816; *„Betrachtungen über den deutschen Bund“*, Tubing. 1817. 8; *„Betrachtungen über die Hauptstaaten des europäischen Staatensystems“*, ibid. 1817. 8; *„Ueber den methodischen Unterricht der allgemeinen Geschichte und die zweckmässigsten Hilfsmittel dazu“*, ibid. 1818. 8; *Lehrbuch der allgemeinen Geschichte“*, II Cursibus ib. 1818 (Ed. II. curs. I. ib. 1821. 8); *„Oeffentliches Recht des deutschen Bundes und der*

Ao. 1822.

deutschen Bundesstaaten", II Partibus, ib. 1820. 8. Eodem hoc anno, quo in illustrissimum Equitum Ordinem meritorium a Rege suo receptus est, accidit, ut acerbissimam per obitum dilectissimae conjugis suae pateretur jacturam. Suadentibus igitur medicis, ut, ne moestitiae succumberet, lares familiares aliorsum transferret, Monachium se contulit, ibique 21 Februarii 1822 a serenissimo Bavariae Rege Consiliarius aulicus et in alma Landishutana Universitate Historiae et Juris publici Professor p. o. necnon Summus Bibliothecarius academicus designatus, simulque in Collegium Juridicorum assumtus est.

Eodem die ac mense doctissimus noster extraordinarius chemiae et toxicologiae Professor, D^r *Andreas* **Buchner,** Chemiae et Pharmacologiae ordinariam obtinuit cathedram; et posteriori rescripto d. 16 Junii veniam quoque impetravit accipiendi diploma, quo in societatem physicorum Senkenbergicam Francofurtensem assumtus est.

Perdoctus *Josephus* **Gadermann,** inde a Novembri 1819 in amplissima medica Facultate Prosector, cum non solum artis suae exercendae dexteritate verum etiam ejusdem demonstrandae facultate enixissime fuisset commendatus, vi clementissimi rescripti dd. 24 Februarii h. a. privatim docendi veniam ad preces suas impetravit.

Verumtamen nec a funeribus vacuus hic annus fuit. Duos enim viros e gremio Professorum meritissimos mors abstulit. Vigesimo primo Martii experientissimus *Joannes Nepomucenus* **Feiler,** Medicinae et Chirurgiae Doctor, regius Consiliarius aulicus et per tredecim annos in hac literarum Universitate artis obstetriciae Professor p. o. ejusdemque Clinici Director, corporis viribus jam penitus exhaustis, anno aetatis suae quinquagesimo quarto exspiravit. Erat in rebus agendis prudens, industrius, diligens et fidelis, gratus et acceptus omnibus. Vivat illius anima Deo!

Eodem mense imo jam quatriduo post alterum funus extulimus. Die enim vigesimo quinto Martii vir doctissimus aeque ac modestissimus, plurimum reverendus *Benedictus* **Holzinger,** Ordin. Cisterciensium olim in monasterio Raitenhaslacensi professus, Philosophiae et Theologiae D^r, regius Consiliarius ecclesiasticus et primum in Electorali Lyceo Burghusiano deinde in hac alma

Ao. 1822. Universitate Ingolstadiensi et Landishutana per quadraginta continuos annos Professor, aetatis anno sexagesimo nono ex viscerum gangraena pientissime in Domino obdormivit. Manibus ejus oratione funebri parentavit plur. rev. D^r *Sebastianus Mall.* Disciplinas quidem Defuncti regius Consiliarius ac Professor, D^r *Ludovicus Walradus Medicus,* unacum iis, quas ipse hucusque tradiderat, copulatas suscepit; in ordinariam autem vacuam per Holzingeri obitum professionem praestantissimus Jurium D^r *Jo. Adamus* **Oberndorfer,** qui superiori anno publice quidem sed extra ordinem in cameralistica sectione docuit, ex clementissimo regio rescripto dd. 25 Aprilis immissus est.

Amplissimus Medicorum ordo clarissimum D. *Henricum Adolphum Schrader,* Britanniarum Hannoveraeque Regis ab aulicis in re medica Consiliis et in Academia Georgio-Augusta Professorem item regii horti botanici et oeconomici Directorem regiaeque Gottingensis aliarumque plurium Societatum Sodalem, ob eximia in Botanicam merita die 27 Martii Doctorem medicinae creavit et summos in arte salutari honores in ipsum absentem collatos renunciavit.

In novum annum scholasticum per vota majora jam tertium Rector magnificus creatus est Medicinae Professor D^r *Andreas* **Röschlaub,** abituris autem e Senatu Patribus conscriptis suffecti sunt D^r *Joannes Nep. Hortig,* ex theologica Facultate, D^r *Antonius Däzl* e publico-oeconomica, DD^r *Martinus Conradus Stahl* et *Jacobus Salat* e sectione philosophica. Quam electionem 13 Septembris Rex clementissime ratam jussit renunciari.

Praeclarissimo viro *Joanni Nepomuceno* **de Wening-Ingenheim,** regio Consiliario aulico et Jurium Professori p. o., annuum quod hucusque percepit mille ducentorum florenorum salarium vi celsissimi rescripti dd. 21 Novembris florenis trecentis clementissime auctum est.

Denique in hujus anni historia locum sibi vindicant literarii labores, quos e Professorum numero susceperunt

in sectione *theologica*

Frider. **Wiedemann,** Allgemeine Menschengeschichte für die katholische Jugend, P. II. c. t. Die mittlere Geschichte, Sect. 2. Monach. 8.

Ao. 1822.

in *juridica* sectione:

Leonard **de Dresch,** Beiträge zum öffentlichen Rechte des deutschen Bundes, Tubingae 8; Naturrecht, ibid. 8; Uebersicht der allgemeinen politischen Geschichte, insbesondere Europas, II Edit. T. II. Wimar. 8.

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim,** Lehrbuch des gemeinen Civilrechts, nach „*Heise's* Grundriss eines Systems des gemeinen Civilrechts", T. 2. Monach. 8.

in sect. *publico-oeconomica:*

Adam. **Oberndorfer,** System der National-Oeconomie aus der Natur des Nationallebens entwickelt, Landish. 8.

in sectione *medica:*

Jo. Andr. **Buchner,** Vollständ. Inbegriff der Pharmacie &c. P. II, Norimb. 8; ejusd. libri T. I. Editio II. ib. 8; Repertorium für die Pharmacie, T. XI. XII. XIII. ib. 12.

Augustus **Schultes,** *Linéi* Systema Vegetabilium, Editio auct. P. VI. Stuttgard. 8.

in sect. *philosophica:*

Frid. **Ast,** Platonis Opera &c. T. IV et V. continens Politiae libb. I — X, Lips. 8.

Jac. **Salat,** Denkwürdigkeiten betr. den Gang der Wissenschaft und Aufklärung im südlichen Deutschland, Landish. 8.

Ao. 1823.

ANNO DOMINI MDCCCXXIII.

Rector DLXXIII: **Andreas** ROESCHLAUB, Phil. Med. &c. Chir. D.r, Consiliarius reg. aulicus; Medic. Prof. p. o. &c. III.us.

Nov. Inscripti 241.

Illustres: *Josephus* **L. B. de Berchem,** Tennensbergensis; Philos. Cand.
Maximilianus **L. B. de Bassus,** Monacensis; Philos.
Josephus **Comes de Seiboltsdorf,** Monacensis; Philos.
Clemens **L. B. de Limpoeck,** Straubinganus; Jur. C.

Nov. Professor: *Jos. Franciscus* **Allioli,** S. Theologiae hucusque D.r legens, nunc Antiquitatum hebraicarum et linguarum orientalium Prof. extraordinarius,
Eduardus Josephus **Schmidtlein,** Göttingae antehac Jurium D.r legens, nunc Institutionum et Historiae juris Romani apud nos Prof. extraordinarius.

Novi Doctores:

	Frid. Ludov. Bernhard, Düsseldorpiensis Rhenanus	*Jur.*
	Fr. Xaverius Zenger, Pedepontanus, Bavarus,	*Jur.*
19 April.	*Ge. Ludov. Eberhard,* Lonseensis, reg. Bav. Legionis I Equitum levis armaturae Chirurgus secund.,	*Med.*
26 „	*Antonius Kreuzeder,* Landishutanus Bojus,	*Med.*
30 „	*Joannes Paulus Heider,* Norimbergensis Franco,	*Med.*
—	*Josephus Kollbeck,* Landishutanus,	*Med.*
18 Jun.	*Jo. Bapt. Glaser,* Edeschhemiensis Rhenano-Bavarus,	*Med.*
16 Jul.	*Fr. Xav. Bernhuber,* Wagrainensis Salisburgensis,	*Med.*
—	*Leopoldus Schmid,* Passaviensis,	*Med.*
26 „	*Carolus Graf,* Monacensis,	*Med.*

Ao. 1823.

26 Jul. *Thomas Lauber,* Albenreuthensis Boj.
31 „ *Florianus Eisenreich,* Landishutanus,
— *Joannes Miller,* Dinkelscherbenensis Bojus,
9 Aug. *Francisc. Xaverius Schmölzl,* Monacensis,
11 „ *Joannes Evang. Heigl,* Rottenburgensis Bavarus,
— *Franciscus Andreas Ott,* Albernreuthensis Boj. Societatis mineralog. Jenensis correspondens Sodalis, } *Med.*
26 „ *Clemens Exler,* Zwieselensis Bavarus,
30 — *Augustus Arnold,* Monacensis, reg. Bav. Legionis V levis armaturae Chirurgus,
— *Antonius Fröhlich,* Pedepontanus Bojus,
Fr. de Kobell, Monacensis, *Philos.*

Ex Inscriptis hoc anno praecipuum sibi in his annalibus locum exposcunt: *Philippus Weidner,* Eigelsdorfiensis in Palatinatu superiori, Studiosus Theologiae, posteriori tempore in novo Gymnasio Monacensi, deinde in regio Lyceo Augustano Professor, tum Parochus in Eiselfing, Decanus ruralis et scholarum regionarius Inspector, item provincialis in Bavaria superiori Consiliarius, postremo Canonicus capitularis in veteri quam dicunt Capella Ratisbonensi, et reverendissimi Episcopi ibidem a Consiliis ecclesiasticis; *Fr. de Kobell,* Monacensis, *Joannes Evangelista Stadler,* Parkstettensis, et *Franciscus Streber,* Deutenkofiensis, Philosophiae Candidati, qui tres omnes almae Ludovico-Maximilianeae Universitatis postmodo Professores saepius in his annalibus laudabuntur; *Antonius Lichtenauer,* Waldkirchensis dioeceseos Passaviensis, Studiosus tunc Philosophiae, postea in regio Gymnasio novo Monacensi dein Landishutano Professor et ejusdem Gymnasii Rector, provinciae Bavariae inferioris scholarcha et regius Consiliarius, denique Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus capitularis et Reverendissimi Archiepiscopi a Consiliis ecclesiasticis; *Clemens Steyerer,* Miesbacensis, Jurium Cand., post supremi provocationum Judicii Monacensis Consiliarius, regii Ordinis meritorii S. Michaëlis Eques I Cl.

Ao. 1823. In amplissimo Pleno die 13 Januarii loco excedentis Consiliarii aulici *Fr. Xav. de Krüll,* clarissimus Jurium Professor p. o. D.r *Hieronymus* **Bayer** in numerum eorum, penes quos est administratio fundi academici, electus et ab augustissimo Rege demissis ad Senatum literis 27 ejusdem clementissime confirmatus est.

Defuncto *Coelestino Jungbauero,* in vacuam urbis *Ingolstadiensis parochiam* ad Divam Virginem Speciosam amplissimus Senatus pro antiquo jure suo nominationis 12 Januarii plurimum reverendum *Hermannum Rabl* Parochum Paarensem, virum optime de re scholastica meritum designavit; designato deinde 5 Julii Rex gloriosissimus injuncta quinquaginta florenorum pensione Universitati quotannis more solito persolvenda parochiam per praesentationem contulit.

Ad parochiam porro *Landauensem* per obitum *Fr. Xaverii Nerbi* vacantem (is enim 8 Februarii pientissime in Domino obdormierat) Senatus academicus, penes quem jus est nominationis, Calendis Martii plurimum reverendum *Aloysium Maurum Harter,* Subbibliothecarium nostrum designavit. Rejecta vero ista nominatione, cum ille praescriptum pro capessendo munere pastorali conditionem non subiisset, nec officio suo tamdiu fungeretur, ut remisso examine parochiam posset appetere, Senatus plurimum reverendum Professorem et Gymnasii Rectorem *Alanum Matthäum Stelzer,* injuncta eidem ex antiquo jure annua quadraginta florenorum pensione Universitati persolvenda nominavit, et haec designatio a Rege 11 Maji clementissime confirmata est. *Harteri* autem sexcentorum florenorum salarium ducenis paulo post additis florenis augetur.

Plurimum reverendus D.r legens *Josephus Franciscus* **Allioli** paulo post suum e Francogallia reditum celsissimo decreto 30 Maji biblicae Archaeologiae et linguarum orientalium Professor extraordinarius in sectione theologica cum annuo sexcentorum florenorum salario designatus est. Is enim jam proxime elapso anno die 18 Julii veniam quam petiit Parisiensem quoque lustrandi Academiam clementissime in octo menses impetraverat numeratis sibi sexcentis in eum finem florenis. Hac data occasione vir doctissimus parvo trecentorum florenorum sumtu multos et pretiosos coëmit libros ad ediscendas literas potissimum orientales perquam

Ao. 1824.

utiles, qui postea eodem redemti pretio in usum Alumnorum Collegii Georgiani transierunt.

Etiam juridica Sectio novo adaucta est extraordinario Professore *Eduardo Josepho Martino Dominico* **Schmidtlein.** Is Wirceburgi 11 Septembris 1798 natus, Philippi Josephi de Schmidtlein Professoris olim academici posteaque regii Appellationum Judicii Praesidis filius, studiis gymnasialibus in urbe patria peractis anno 1816 in alma ibidem Julio-Maximilianea literarum Universitate immatriculatus per integrum quadriennium philosophiae ac jurisprudentiae operam dedit. Lustratis deinde per biennium Academiis primum Gottingensi tum etiam Berolinensi mense Octobri 1822 pro capessendo juridico gradu Gottingam rediit ibique 6 Novembris ejusdem anni exantlatis examinibus rigorosis et perorata dissertatione *„De servitutibus per pactum constituendis“*, quam postero anno 1823 typis in 8vo edidit, summos in utroque jure honores recepit. Eandem dissertationem novis postea curis in linguam Germanicam translatam tomo IX. sub Nr. 9 Ephemeridis, cui tit. *„Archiv für civilistische Praxis“* inseruit. Mos autem erat Gottingae, cuilibet Doctori rite promoto, etiam nondum sibi contestata docendi habilitate, dare veniam per unum Semestre privatas habendi lectiones. Qua venia usus Eduardus Jos. Schmidtlein continuo historiam et institutiones juris Romani tradere exorsus est. Decimo autem Martii 1823 facultatem docendi rite petiit et impetravit ideoque lectiones suas continuavit, usque dum ex rescripto regio dd. 15 Augusti in hac alma Ludovico-Maximilianea Universitate Institutionum et Historiae juris Romani Professor p. extraordinarius designatus est.

Vigesimo quinto Augusti in amplissimo pleno novus pro insequente anno magnificus Rector e philosophica sectione electus est clarissimus D^{r} *Friderius* **Köppen;** in vacaturas autem Senatorum sedes suffecti sunt e sectione juridica D^{r} *Hieronymus Bayer,* e medica D^{r} *Martinus Münz,* e philosophica D^{r} *Maurus Magold,* et D^{r} *Jo. Nep. Fuchs.* Quae electio 25 Septembris a gloriosissimo Rege sancita publice renunciata est.

Alma regia Facultas scientiarum politico-oeconomicarum die 12 Septembris experientissimo viro ac Domino *Henrico Guilielmo Jacobo Currer* Langenbrandensi in regno Würtembergico

Ao.
1823. chemiae Practico celeberrimo ob eximiam chemiae technicae et multorum de re literaria ad chemiam spectante meritorum laudem honoris causa Doctoris gradum contulit.

Plurimum reverendus *Georgius Antonius* **Daezl,** S. J. olim Presbyter, Philos. et Theol. D^r, regius Consiliarius ecclesiasticus, scientiarum Academiae Monacensis socius et rei saltuariae et publico-oeconomicae matheseos in hac alma literarum Universitate per octodecim annos Professor publ. ord., ex regio rescripto d. 18 Septembris h. a. publice docere desiit, et in numerum emeritorum cum integro suo salario relatus vitam Landishuti degit privatam, ibique licet jam esset grandaevus tamen duas commentationes, alteram: *„Ueber die Gefällsmoderationen und Ablösung der Laudemial- und Leibgeldspflichtigkeit nach Procenten,* alteram: *„Ueber die Anwendung der Hypotheken- und Steuerkataster-Auszüge bei Darlehen auf Bauerngüter"* ao. 1833 publicis typis edidit; biennio post autem Ratisbonam sese contulit, ubi senex nonaginta quinque annorum 5 Aprilis 1847 pientissime in Domino obdormivit.

In magna et Professorum et Studiosorum raritate, cum tempus vacationum esset, diem obiit supremum plurimum reverendus ac doctissimus *Joannes Baptista* **Andres,** Philosophiae Theologiae et utriusque juris Doctor, Regis a Consiliis aulicis actualibus et parochus in Altdorf prope Landishutum, juris item ecclesiastici et historiae sacrae in hujate Academia per integrum decennium Professor p. o. et juridicae Facultatis Assessor, qui, cum jam per aliquot annos continua fere corporis infirmitate et maxime podagra laborasset, denique post multa insignis patientiae in acerbissimis doloribus documenta ex neglecta arthritide apoplexia tactus et sacris prius omnibus expiatus spiritum emisit d. 24 Septembris aetatis anno quinquagesimo quinto. Vir erat juris observantissimus aeque ac peritissimus, quem ob magnam doctrinae suae ubertatem et maturitatem judicii docendique claritatem lubenter omnes audiebant, multique, quos et consilio et re juvabat, gratissimo animo prosequebantur. Sit Deus ejus propitius animae, corpori terra levis!

Clarissimus *Joannes Nepom.* **Fuchs,** Philos. et Medic. D^r et per annos sedecim Chemiae et Mineralogiae in philosophica sectione Professor p. o., ex decreto d. 28 Octobris scientiarum Aca-

Ao.
demiae socius Monachium avocatus regiusque mineralogicarum 1823.
Collectionum Conservator designatus est. Abeuntem cum suis ex urbe nostra auditores aliquot a ceteris deputati cum nonnullis Professoribus sex curribus quaternorum sedilium vecti usque Mosburgum solemniter sunt comitati, ubi discipuli dilectissimo suo praeceptori cum lacrimis valedixerunt.

In locum pl. rev. *Adami Guldener,* Ingolst. *ad S. Mauritium* Parochi, qui 7 Septembris h. a. e vita decessit, die 2 Novembris *P. Hieronymus Scheifele,* Stadtbergensis, Exbenedictinus Schyrensis et antehac Passavii, Ambergae, Bambergae deinceps Professor, clementissime praesentatus est.

Claudunt hujus anni historiam opera literaria, quae seorsim publicis typis edi curarunt Professores

in sectione *juridica:*

Leonardus **de Dresch,** Grundzüge des deutschen Staatsrechts, in usum praelectionum suarum, Ulm. 8 (cujus op. editio II. post obitum auctoris prodiit ibid. 1837); Uebersicht der allgemeinen politischen Geschichte &c. Edit. II, T. III. Wimar. 8; Lehrbuch der allgemeinen Geschichte &c. Ed. II. Curs. II. Tubing. 8.

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim,** Lehrb. des allg. Civilrechts, T. II. III. Landish. 8.

in sectione *medica:*

Jo. Andr. **Buchner,** Vollständ. Inbegriff der Pharmacie &c. P. III, Norimb. 8; Repertorium für die Pharmacie T. XIV. XV. ib. 12.

Augustus **Schultes,** Mantissa ad *Linnéi* Systema vegetabilium, Stuttgard. 8.

in sect. *phlosophica:*

Frid. **Ast,** Platonis Opera, T. VI, cont. Legum libb. I—VI. Lips. 8.

Ao. 1823. *Frid.* **Köppen,** Vertraute Briefe über Bücher und Welt, P. II. Lips. 8.

Jac. **Salat,** Versuche über Supernaturalismus und Mysticismus &c. Solisbac. 8.

Ao. 1824.

ANNO DOMINI MDCCCXXIV.

Rector DLXXIV: **Fridericus** KOEPPEN, Philos. D^r^, regius Consiliarius aulicus act.; Philosophiae Prof. p. o.

Nov. Inscripti 257.

Illustres: *Carolus* **L. B. de Lichtenstern,** Neoburgensis; Philos. C.

Eduardus **Comes de Sprety,** Weilbacensis, et

Adolphus **Comes de Sprety,** Monacensis; Philos. Candd.

Josephus **Comes de Fugger,** Babenhusanus; Jurium C.

Clemens **L. B. de Horben,** Campodunensis; Philos.

Theodorus **Comes de Holnstein,** Ambergensis; Phil.

Carolus **L. B. de Gugel,** Ambergensis; Jur.

Novi Professores: *Jos. Franciscus* **Allioli,** ex superiori anno Archaeologiae hebraicae et linguarum orientalium extraordinarius; nunc earundem Prof. publ. ord.

Antonius **Ekl,** Medicus forensis in Pfarrkirchen; Chirurgiae et medicinae veterinariae Prof. p. o.

Jo. Bapt. **Rainer,** Medicus forensis in Schwabmünchen; artis obstetriciae et Medicinae forensis Prof. p. o. item clinici obstetricii Director.

Carol. Richardus **Hoffmann,** antehac in Erlangensi Universitate Medicinae extraordi-

Ao. 1824.

narius; nunc in hujate Pathologiae generalis, Diaeteticae et Pharmacologiae Prof. p. o.

Priv. Docens: *Ludovicus* **Rumpf,** Bambergensis; Mineralogiae Dr legens.

Novi Doctores:

31 Aug.	*Josephus Aloys. Prand,* Waginganus Bojus	*Theol.*
21 Febr.	*Joseph. Jul. Anselmus Lang,* Passaviensis Boj.	*Jur.*
—	*Phil. Joseph. Mayr,* Oberhusanus Suevo-Bavar.	
9 Apr.	*Fr. Josephus Bauer,* Reuthensis Bavarus	*Med.*
—	*Fr. Gerard. Echweiler,* Coloniensis Rhenanus	
16 Jul.	*Jo. Carol. Abelein,* Schopflochiensis e circ. regni Bavar. Rezat. Legionis XVI pedestr. Chirurg. secundar.	
16. Jul.	*Bernard. Kienhöfer,* Donzdorpiensis, Legionis levis armaturae Equitum V. Chirurg. secundarius	
13 Aug.	*Carol. Lud. Frider. Blöst,* Burrhoniensis Bojus	
—	*Fr. Xaverius Guilielmo,* Mühldorfensis Bojus	
16 „	*Maximil. Caron du Val,* Rainensis Boj.	
—	*Joannes Forster,* Auerbacensis Bejus	
23 „	*Laurentius Gleich,* Augiensis Bojus	
—	*Maximilianus Högler,* Ratisbonensis Bojus	
26 „	*Mathias Heilmaier,* Landishutanus	
—	*Antonius Vogl,* Erhardinganus Bojus	

Inter novos hoc anno Immatriculatos jure merito commemorandi sunt *Josephus Prand,* Waginganus Jurium Candidatus et hoc ipso anno futurus Theologiae Dr, ejusque fratres germani

Ao.
1824. natu minores *Benedictus* theologiae Cand. et *Aloysius* Philosophiae Studiosus, quos itidem ad annos 1826 et 1827 supremis alterum a theologica, alterum a publico-oeconomica Facultate honoribus academicis insignitos collaudabimus; *Franciscus de Schab,* Monacensis, Jurium Cand., nunc Proto-Ecdicus (Oberstaatsanwalt) in regio appellat. Judicio superioris Bavariae & *Philippus Briel,* Gangkofiensis, Philos. Cand. post etiam juris utriusque Doctor, nunc temporis supremi regii appellationum Judicii Monacensis a Consiliis, uterque cruce equestri Ordinis meritorii S. Michaëlis I Cl. insignitus; *Jo. Georg. Beilhack,* Ruhpoldinganus Bav., Philosophiae Cand., postea ejusdem Doctor et Gymnasii Maximilianei Monacensis Rector, illustriumque puerorum in regio paedagogio (Pagerie) Repetitor, Ordinis meritorii S. Michaëlis I. Classis Eques; *Fr. Michaël Wittmann,* Finkenhammeranus in Palatinatu superiori, Philos. Cand. II anni, postea Archivario regni Adjunctus et scientiarum Academiae Monacensis Socius ord.

Inter novos autem hujus anni Doctores praecipuum sibi locum in his annalibus vendicat plurimum reverendus *Josephus Aloysius Prand,* Wagingensis 27 Januarii 1801 natus. Is enim studiis philosophicis ac theologicis rite et cum eminente progressu absolutis 17 Aprilis hujus anni Presbyter ordinatus et pridie ante Calendas Septembres ob egregie lucubratam et anno postero typis Landishuti in 8 editam quaestionem *„Sind die Lehren der geoffenbarten Religion perfektibel, wie und durch wen?“* summos in theologia honores praemii loco recepit. Deinde juridicis quoque probe imbutus studiis anno 1821 Parochus in Mammendorf et regionarius ibi scholarum Inspector, tum post annos octo Manachii in Ecclesia aulica ad S. Cajetanum Canonicus institutus est. Inde autem ab hoc tempore celeri gradu altiora petit. Fit enim deinceps Regis a supremis Consiliis ecclesiasticis et scholasticis in Ministerio, quod Regi est a rebus internis (1840), ecclesiae metropolitanae ad D. Virginem Monacensis Canonicus capitularis (1843), excellentissimi Archipraesulis in causis matrimonialibus Officialis (1847), Ordinis meritorii S. Micaëlis Eques I classis (1852), denique Capituli cathedralis Praepositus infulatus ac paullo post etiam reverendissimi Archiepiscopi Vicarius generalis.

Ao. 1824.

Sedecimus Februarii dies erat festissimus, quo viginti quinque abhinc annis serenissimus tunc utriusque Bavariae Dux et Elector MAXIMILIANUS JOSEPHUS, nunc *augustissimus Rex* in metropoli sua Monacensi gloriosum provinciarum suarum regimen fuit auspicatus. Qua data occasione omnes omnium ordinum homines incredibili inter se certarunt aemulatione, ut elatum abunde spiritum gaudii et amoris dilectissimo Principi suo manifestarent, dum pro ejus salute comprecationes fiebant in templis, et in sodaliciis epulae parabantur magnificae multique piissimis fundationibus memoriam ejus diei sacrare et ad posteros propagare studebant. Hanc communem in tota Bavaria laetitiam non minus alma Universitas nostra non solum missis devotissimis ad Majestatem gratulatoriis literis sed etiam singulari quadam domestica festivitate celebravit. Hora enim decima divinum officium cum hymno Ambrosiano in gratiarum actionem solennissime decantatum est praesentibus in templo Academico Professoribus omnibus et Academicis; inde oratio laudibus tanti Principis digna ab ipso Rectore magnifico habita. Tempus pomeridianum in lautis commessationibus cum faustissima libatione consumtum; de nocte autem urbis plateae omnes ac domus illuminatae sunt exhibitique ignes artificiales atque institutae serotenus saltationes.

Per clementissimum rescriptum d. 12 Martii clarissimus noster *Andreas* **Röschlaub**, Regis a Consiliis aulicis et Medicinae per duos et viginti continuos annos Professor p. o. jam diutius mala valetudine affectus, temporariam quam enixissime petierat muneris sui vacationem impetravit. Quo divulgato nuncio neminem crediderim fuisse, quin imo pectore pretiosissimi viri abitum lugeret.

Eodem celsissimo rescripto regio experientissimus D.r *Franciscus* **Reisinger**, Consiliarius aulicus ac Medicinae et Chirurgiae per annos quinque in hujate literarum Universitate Professor p. o. ad Academiam Erlangensem translatus est. Cum autem eo ipso anno in morbum diutinum incidisset, et mala valetudine fuisset impeditus, quominus ibi lectionum suarum faceret principium, tandem impetrata 28 Augusti 1826 clementissima venia publico docendi munere se abdicavit, et Augustae Vindelicorum perpetuos lares fixit. Scripsit autem post suum a nobis discessum *„Ueber*

Ao. 1824. *die Wirkungen der Hyoscygamie und Atropia*" insertum operi collectaneo „*Medicinische Zeitschrift* 1825" T. I. Nro. 14; item „*Baiersche Annalen der Chirurgie, Augenheilkunde und Geburtshilfe*", ed. Aug. Vind. T. I. fasc. 1, qui quindecim commentatiunculas varii argumenti continet. Verum inde ab hoc tempore major indies virtutibus suis campus datus est. Non solum enim erat nosocomii Augustani Protomedicus et Director, verum etiam valetudinario pauperum, cujus ipse fuerat auctor, aliisque compluribus, quae utilitati communi prospiciunt, Institutis cum tanta vigilantia et industria praefuit, ut perenne sibi apud posteros faceret nomen et augustissimus *Rex* **Maximilianus II** anno 1850 insignem hujus praestantissimi civis erga patriam pietatem collato Ordine meritorio S. Michaëlis I Classis remuneraret. Ast jam quadriennio post vir optimus meritis quam annis gravior in jus mortalitatis vocatus est. Nervosa enim febri correptus accedente pulmonali torpore 1854 vigesimo Aprilis hora quinta vespertina aetatis anno sexagesimo octavo placidissime diem obiit supremum. Qui quam egregie de hac nostra Universitate vel in ipsa morte fuerit meritus, Annales ad annum 1854 fusius laudabunt.

In cathedras per abitum illorum desolatas Rex serenissimus tres instituere dignatus est viros in re medica versatissimos, D^r^ Carolum Richardum *Hoffmann*, D^r^ Joannem Bapt. *Rainer* et D^r^ Antonium *Ekl.* Et *Antonius* quidem **Ekl**, Frisingae natus 1781, studiisque ibi gymnasialibus rite absolutis in hujate alma literarum Universitate mense Majo 1805 inscriptus est, Medicinae et Chirurgiae operam daturus. His quoque disciplinis cum successu eminente peractis et exantlatis pro capessendo gradu medico tentaminibus rigorosis atque insuper elucubrata dissertatione „*De cauteriorum et ulcerum artificiosorum usu chirurgico*" Landishuti 1809 edita die 20 Septembris ejus anni praeside et promotore legitime constituto *Philippo Fr. Walthero*, medicae sectionis eo tempore Directore, doctoratus palmam sollemniter recepit. Sub idem tempus Landishuti in valetudinario militari tantam sibi superiorum commendationem peperit, ut jussu regio die 28 Febr. 1810 in actis publicis egregie laudaretur. Deinde lustratis sumtu regio per triennium compluribus Academiis extraneis, cum in patriam rediisset, non ita multo post, die nempe 5 Novembris 1817

Ao. 1824.

medicus forensis in Pfarrkirchen, atque inde 13 Maji h. a. Regis a Consiliis aulicis atque Chirurgiae et artis veterinariae Professor p. ord. in hujate literarum Academia clementissime nominatus est.

Joannes autem *Baptista* **Rainer,** Chirurgi filius, Elsendorfii prope Abensbergam in circulo regni Bavarici Regenano die 22 Novembris 1790 natus, studiis gymnasialibus Ratisbonae et Landishuti peractis mense Novembri 1807 in alma Ludovico-Maximilianea Universitate immatriculatus est. Ibi per integrum quadriennium cum profectu prorsus insigni Philosophiae ac Medicinae operam dedit, et scripta dissertatione *„de carcinomate oculi"* Landishuti typis edita praestitisque ceteris praestandis 10 Decembris 1811 summos in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honores cum nota eminentiae obtinuit. Aliquamdiu etiam post receptum doctoratum Landishuti permansit, ut ducibus illic praestantissimis Professoribus scientias suas multiplici exercitatione magis magisque excoleret, deinde impetrata venia Ingolstadii per triennium in praxi medica tam indefessa opera tantaque humanitate et dexteritate officio suo functus est, ut summam civium existimationem ac dilectionem sibi conciliaret. Quo factum est, ut adeo, quum sibi mense Septembri 1815 Physicatus forensis in Thalgau, regione montuosa Salisburgensi clementissime fuisset oblatus, ipse hanc gratiam submississime deprecatus in urbe Anglipolitana remanere sibi satius duxit, donec mense Martio 1816 medicus forensis in Babenhausen designatus, biennio autem post Suevomonachium translatus et anno sexto ibi nondum repleto per praefatum celsissimum decretum dd. 13 Martii h. a. in hac alma literarum Universitate artis obstetriciae et medicinae forensis Professor p. o. simulque obstetricii clinici Director institutus est.

Denique *Carolus Richardus* **Hoffmann,** Erlangensis Franco, natus die 20 Februarii 1797 studia sua tam humaniora quam academica ab anno 1807 usque ad 1817 in Universitate urbis patriae emensus est, et postquam aliquamdiu etiam in celeberrima Academia Berolinensi studiorum causa versatus domum redierat, in alma Erlangensi literarum Universitate habita disputatione publica et propugnata quam postea ibidem typis in 8vo edidit *„Sententia de suppurationis natura"* mense Majo 1818 summos in medicina et chirurgia honores obtinuit, eodemque anno nondum

Ao. 1824. elapso, mense nempe Septembri, perorata *„Sententia de inflammationis natura“* itidem Erlangae 1819 evulgata ceterisque pro habilitatione rite praestitis etiam veniam legendi impetravit. Qua facultate quum tam egregie usus esset, ut summam sibi amplissimi Ordinis medici commendationem promeruerit, jam die 21 Decembris 1821 Medicinae Professor extraordinarius clementissime designatus, triennio autem post, cum interea novam commentationem laudatissimam *„Die Bedeutung der Excretion im thierischen Organismus“* Erlangae 1823. 8. juris publici fecisset, per translationem die 13 Martii, ut supra diximus, Pathologiae, Diaeteticae et Pharmacologiae cathedram et eam quidem ordinariam consecutus est.

Imo praeter hosce designatos ordinarios medicinae Professores hoc anno in eadem medica sectione etiam novus Doctor legens assumtus est, *Ludovicus Daniel Philippus* **Rumpf.** Is 22 Novembris 1793 Bambergae natus, *Ernesti Friderici* pharmacopolae et in alma quae tunc temporis ibi floruit Universitate Professoris filius, adolescentiam suam aluit tam inferioribus quam humanioribus in ipsa urbe patria disciplinis, deinde physicas potissimum scientias penitius excolendi gratia plures literarum Academias deinceps frequentavit, et Gottingae quidem gradu philosophico anno 1819 insignitus commentatiunculam exaravit *„Ueber Naturwissenschaft und naturwissenschaftliche Systeme mit besonderer Anwendung auf Anorganognosie und anorganognostische Systeme“*, quam postero anno Bambergae in 8 typis edidit. Inde ab hoc tempore Medicinae studiis primum in alma Academia Erlangensi deinde in Herbipolitana sese dedit, ibique 8 Maji 1824 summos etiam in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honores recepit. Jamque die 15 Julii ejusdem anni per regium rescriptum in hujate Ludovico-Maximilianea Universitate Doctor legens assumtus est, historiam naturalem, technicam chemiam et geognosiam traditurus.

Plurimum reverendus D. *Sebastianus* **Mall**, Exegeseos V. T. et linguae hebraicae Prof. p. o., mense Julio Parochus in Altdorf prope Landishutum nominatus et in ejus locum per celsissimum decretum d. 7 Julii plurimum reverendus *Jos. Franciscus* **Allioli** Professor p. ordinarius designatus est, collato eidem in

Ao. 1824.

additamentum salarii beneficio, quod ille hucusque obtinuerat, Ingolstadii olim ad Sacellum S. Catharinae fundato (Cf. ad a. 1811). Cum autem regius Consiliarius ecclesiasticus *Mall* parochiam supra dictam submississime auderet deprecari, atque etiam Senatus academicus datis ad Majestatem suplicissimis literis de regia collatione illius beneficii, cujus libera collatio ex voluntate piissimi fundatoris penes Facultatem philosophicam esset, humillime conquereretur, Rex die 7 Augusti meritissimum per annos viginti quatuor Professorem in cathedram suam academicam cum pristino salario et beneficio clementissime restituit, *Alliolio* autem in ordinariam cathedram promoto annuum salarium sexcentorum florenorum florenis trecentis in compensationem beneficii additis adauxit.

Mense solito congregatis in amplissimo pleno Professoribus nova Rectoris et Senatorum mutandorum quotannis electio habita et die 22 Septembris a regia Majestate confirmata est. Rectorem crearunt e sacrosancta Facultate plurimum reverendum *Joannem Nepom. Carolum Antonium* **Hortig;** in Senatum succedunt Professores: e theologica sectione *Benedictus Schneider,* e publico-oeconomica *Adamus Oberndorfer*, e philosophica *Martinus Conradus Stahl* et *Jo. Christianus Siebenkees.*

Clarissimus D[r] *Joannes Adamus* **Oberndorfer,** per quadriennium in hac alma literarum Universitate publicae oeconomiae Professor, decreto regio dd. 23 Septembris h. a. vectigalibus exigendis praepositus (Rentbeamte) Neostadii ad Danubium in Bavaria inferiori designatus, inde tamen biennio post iterum in publicam cathedram revocatus est.

Libros hoc anno typis publicis evulgarunt

in sectione *theologica:*

Jo. Nep. **Hortig,** Rede bei Verlesung der Universitätsgesetze am 3. Decemb. 1824, Landish. 8.

in sectione *medica:*

Jo. Andr. **Buchner,** Blicke auf den Zustand der Pharmacie im Kgr. Sachsen, Norimb. 12; Repertorium für die Pharmacie, T. XVI. XVII. XVIII. ib. 12.

Ao. 1824. in *juridica:*

Leon. **de Dresch,** Lehrbuch der allgemeinen politischen Geschichte &c. Editio II. T. II. Wimar. 8; *Schmidt's* Geschichte der Deutschen, Fortsetz. T. XVIII. Ulm. 8.

Edu. Jos. **Schmidtlein,** Grundriss zu Vorlesungen über Geschichte und Institutionen des römischen Rechts, Landish., quod tamen solis auditoribus adinstar autographi communicatum est; in librariam autem mercaturam non prodiit.

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim,** Lehrbuch des gemeinen Civilrechts, Edit. II. T. III. Monach. 8.

in *cameralistica:*

(Adam. Oberndorfer) Bemerkungen über *Weillers* Schrift „Der Geist des ältesten Katholicismus", Fluelen et Landish. 8; quam commentationem criticam tecto nomine edidit.

in sect. *philosophica:*

Frid. **Ast,** Platonis Opera, T. VII. cont. Legum libb. VII—XII, Lips. 8.

Frid. **Köppen,** Rede bei der fünfundzwanzigjährigen Regierungsfeier Max. Joseph I.

Jac. **Salat,** Handbuch der Moralwissenschaft, denuo elaboratum, Monach. 8.

Ao. 1825. ANNO DOMINI MDCCCXXV.

Rector DLXXV: **Joannes Nepom.** HORTIG, Philos. & Theol. Dr., regius Consiliarius ecclesiasticus; Theologiae Professor p. o.

Ao. 1825.

Nov. Inscripti 339.

Illustres:
Ludovicus et *Josephus Antonius* **LL. BB. de Feuri,** Landishutani; Philos. Candidati.
Ferdinandus a Nouvion **L. B. de Verger,** Dalzbergensis Helvet.; Jurium C.
Theodorus **L. B. de Karg,** Ambergensis; Philos.
Augustus **L. B. de Doernberg,** Ansbacensis; Jur.
Ludovicus **L. B. de Reichlin,** Ratisbonensis; Jur.
Carolus **L. B. de Poissl,** Neo-Ulmensis; Philos.
Carolus et *Eduardus* **LL. BB. de Schrenk,** Wetterfeldenses; Philos. Candd.
Ludovicus **L. B. de Asch,** Straubinganus; Philos.
Guilielmus **L. B. de Pechmann,** Koetzinganus; Phil.
Franciscus **L. B. de Lichtenstern,** Nabburgensis; Philos.
Carolus Sigismundus **L. B. de Notthaft,** Weissensteinensis, Jur.
Guilielmus **L. B. de Notthaft,** Friedensfeldensis; Phil.
Gustavus Adolphus **Comes de Oberndorff,** Manhemiensis; Jur.
Carolus Augustus **L. B. de Horneck,** Bambergensis; Jur.
Albertus et *Bernardus* **Comites de Rechberg,** Ratisbonenses; Jurium Candd.
Ferdinandus **L. B. de Schleich,** Landishutanus; Phil.
Fridericus **L. B. de Bodewils,** Schoenkirchensis; Phil.
Carolus **Comes de Spreti,** Monacensis; Philos.
Aemilianus **L. B. de Aretin,** Monacensis; Jur.
Alexander **Comes de Jenison** ab Uttenweiler, Würtembergensis; Cameral. Stud.

Doctor legens: *Carolus* **Steinlein,** Bambergensis Franco, in sectione publico-oeconomica privatim docens.

Novi Doctores:

4 Febr. *Matthäus Hauer,* Arnsdorfiensis Bojus,
26 „ *Julius Herm. Schultes,* Vindobonensis,
2 Maj. *J. J. Leopoldus Lang,* Passaviensis Bojus.
} *Med.*

Ao.				
1825.	20	Maj.	*Carolus Müller,* Berchinganus Bavarus,	
	27	Aug.	*Fr. Jos. Maria Wallenberg,* Ambergensis Boj.	
	29	„	*Michaël Reiter,* Gindringensis Bavar.,	
	31	„	*Jo. Gebh. Wolfg. Sinds,* Scheideckensis Bav.	
	5	Sept.	*Georgius Mändl,* Haslbacensis Bav.	*Med.*
	6	„	*Xaver. Aloys. Urban,* Wolfrathshusanus Bav.	*Med.*
	7	„	*Aug. Maximilianus Einsele,* Monacensis,	
	10	„	*Conr. Rupert. de Amann,* Dilinganus Suevo-Bav.	
	13	„	*Franc. Xaverius Henne,* Buchenbergensis Bav.	

Undecimo Januarii in numerum eorum, quibus fundi academici demandata est administratio, unanimi suffragantium consensu iterum delectus est plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus D.r *Maurus* **Magold,** Mathematicae Professor.

Sub secundi semestris initium praenobilis *Carolus* **Steinlein,** Bambergensis Franco, in Facultate publico-oeconomica Doctor privatim legens assumtus est. Is 24 Aprilis 1796 natus et disciplinis humanioribus Bambergae eruditus, anno 1813, cum omnes undique Germaniae nationes ad retimendam ab externa servitute patriam arma cepissent, voluntariam et ipse secutus militiam 20 Januarii 1815 in sexta pedestrium legione Bavarica succenturio (Unterlieutenant) nominatus est. Stipendia autem anno 1818 emeritus, Carolus Steinlein complures Academias adiit et Wirceburgi, Erlangae, Gottingae deinceps per quinquennium scholis philosophicis, publico-oeconomicis et juridicis tanto cum successu interfuit, ut anno 1823 elucubratis duabus dissertationibus *„De civitatis origine“* et *„De opibus publicis“* Bambergae editis simulque exantlatis pro duplici gradu academico examinibus rigorosis die 18 Junii summos in Philosophia et 24 ejusdem mensis etiam in re publico-oeconomica honores reciperet. Anno dein proxime futuro in literariis per Germaniam superiorem itineribus consumto Landishutum pervenit, et impetrata in sectione publico-oeconomica

Ao. 1825.

privatim docendi venia lectionum suarum principium fecit habita oratione inaugurali *„Agriculturae laus, incrementa et impedimenta“* typis ed. Landishut. 1825. 4.

Parochiam *Gündelkofen* per obitum *Josephi Ageri* vacuam obtinuit plur. reverendus *Joann. Paulus Kletzlmayer,* Decanus ruralis Altheimensis et Parochus antea in Schatzhofen. Is enim ab amplissimo Senatu academico, penes quem jus est patronatus, die 19 Januarii h. a. praesentatus, et tamquam persona Majestati Suae grata 8 Martii confirmatus est. Ad vacuam autem ex illius promotione parochiam *Schatzhofianam* Beneficiatus Furthensis plur. rev. *Josephus Grundler* ad preces suas ab Universitate d. 29 Aprilis rite praesentatus est.

Praenobilis ac doctissimus *Josephus* **Gadermann**, qui per septem annos in hac alma literarum Universitate Prosector et novissimo abhinc triennio etiam medicinae et chirurgiae D. legens huic duplici officio egregie functus insignem sibi Superiorum laudem comparavit, die 24 Julii per clementissimum decretum regium Medicus forensis in Lauenstein et Teuschnitz ad fines Saxonicos designatus, anno autem 1827 die 21 Decembris translatus est in urbem Tirschenreuth. Ibi per tringinta annos artis suae indefessis die noctuque deditus laboribus atque anno 1852 etiam a gloriosissimo nunc *Rege* **Maximiliano II** ordine meritorio S. Michaëlis I Classis insignitus est. Sed non ita multo post apoplexia tactus pridie Calendas Augusti proximi anni publica forensi opera se abdicavit, et Ambergam se recepit, ubi 2 Maji 1857 liberis suis et amicis atque omnibus, qui dignissimum amore virum norunt, flebilis occidit, in his praesertim mihi, quem inde ab annis academicis amicissimum sibi habuit sodalem. Praeter dissertationem inauguralem supra jam laudatam *Gadermannus* aliam Landishuti exaravit commentationem *„Ueber den Bruch durch das Hüftbeinloch“*, quae etiam in italicam linguam fuit versa. Idem edidit *„Einige Ideen, Geburtshilfe zu lehren“* in annalibus *Reisingeri;* alia permulta in *Henkéi „Zeitschrift für Staatsarzneikunde“;* postremo *„Praktische Anweisung zu gerichtlih medicinischen Untersuchungen, welche lebende Personen betreffen“,* Erlangae 1840, qui liber iterum ibidem prodiit 1849 8.

Ex clementissimo decreto regio d. 4 Augusti clarissimus

Ao.
1825. Consiliarius aulicus et Medicinae Professor, D.r *Joannes Andreas* **Röschlaub,** qui anno superiori a publico suo munere docendi ad tempus fuit dimisssus, in cathedram clementissime restitutus est.

Congregatis in aula Professoribus die 24 Augusti novus in posterum annum Rector per vota majora creatus est perillustris Jurium Prof. et Consiliarius aulicus D.r *Fr. Xav.* **de Krüll,** Senatoribus autem superioris anni succedunt e sectione juridica illustris D.r *Leonardus de Dresch,* e Medicorum ordine experientissimus D.r *Jo. Andreas Roeschlaub,* e philosophica Facultate clarissimi DD.r *Maurus Magold* et *Fridericus Ast.* Hujus electionis regia ratihabitio secuta est 6 Septembris.

Duodecimus Octobris, qui est dies lustricus *gloriosissimi Regis* MAXIMILIANI JOSEPHI sexagesimus nonus, ut ubiqe locorum in universo Bavarico regno ita etiam in hac nostra urbe cum consueta quotannis solemnitate et laetitia fuerat celebratus. Sed ea ipsa, quae diem hunc auspicatissimum secuta fuit, nocte dilectissimus Princeps ac Dominus, cum jam hora media decima hilaris laetusque in aestivam suam sedem Nymphenburgensem ex urbe reversus cubitum iisset, in medio somno improvisa paralysi tactus emoritur. Primo mane tristissimus hic nuncius fulminis instar per urbes et agros volat, percutitque inefabili omnium animos dolore, cujus sinceritatem loquela disertius contestantur acerbissimae Subditorum suorum lacrimae. Qui quantum domi belliqe in patriae salutem, et in commodum optimarum artium ac literarum profecerit, fusius enarrabunt posteris hujus augustissimi Principis historiarum Scriptores. Funus solemni pompa depositum in ecclesia aulica ad St. Cajetanum Monachii, cor autem in capsula argentea reconditum cum epigrammate *„Das beste Herz“* ad celeberrimam Capellam veteris Oettingae Divae Virgini sacram delatum est. Quum autem essent eo ipso tempore feriae auctumnales, et Studiosi maximam partem nondum congregati, Universitas beatissimo Regi demum 16 Novembris cum communi omnium luctu parentavit. Solennissimis exequiis cum Vigiliis et Libera in templo academico celebratis memoriam Defuncti habita oratione sacra meritissimis laudibus prosecutus est plurimum reverendus D.r *Jo. Nepom. Hortig* h. t. Rector.

Decendio autem inde a die obitus, 26 Octobris, literae

Ao. 1825.

patentes emanarunt, quibus Princeps Beatissimi primogenitus, gloriosissimus **Rex** LUDOVICUS edixit, Se regni suscepisse gubernacula.

Cum in medica Facultate novus pro theatro anatomico Prosector esset designandus, 3 Novembris rescripto regio mandatur, ut ad officium istud cum annuo quadringentorum florenorum stipendio in posterum non alius admittatur nisi Doctor medicinae et chirurgiae rite promotus, qui instituto prius publico competentium Candidatorum examine dignissimus esse videatur.

Parochia *Ergoldingana* per abitum plur. venerandi *Jo. Jacobi Weinzierl* prioris possessoris vacua ad praesentationem Senatus academici de d. 21 Decembris plur. reverendo *Joanni Nep. Adenbrunner* Parocho antehac Aschaënsi collata est.

Editis hoc anno literariis monumentis elucent

in Facultate *theologica:*

Jos. Fr. **Allioli,** Biblische Alterthümer, zu Vorlesungen, cum charta geograph., Landish. 8.

Jo. Nep. **Hortig,** Rede bei dem Trauergottesdienste für Sr. k. Maj. *Maximilian Joseph*, in der Universitätskirche zu Landshut am 16 Nov. 1825, Ldsh. 4.

in *juridica:*

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim,** Lehrbuch des gemeinen Civilrechts, Editionis III. T. II. Monach. 8.

Leon. **de Dresch,** *Schmid's* Geschichte der Deutschen, Fortsetzung T. XIX. Ulm. 8.

in *medica* sectione:

Jo Andr. **Buchner,** Grundriss der Physik als Vorbereitung zur Chemie, Naturgeschicte und Physiologie, Norimb. 8; Vollst. Inbegriff der Pharmacie &c., P. IV. ib. 8; Repertorium für die Pharmacie, T. XIX. XX. XXI. ib. 12.

Ant. **Ekl,** Jahresbericht über die chirurgisch-klinische Schule der Universität zu Landshut vom 25 April 1824 bis 25 April 1825, ed. in *Textorii* „Chiron" 1827. T. II. Nr. 2:

Ao. 1825. *C. Rich.* **Hoffmann,** Die Triebfedern der Geburt &c. Landish. 8.

in sect. *philosoph.*

Frid. **Ast,** Grundriss der Geschichte der Philosophie. II Edit. Landish. 8.

Ao. 1826.

ANNO DOMINI MDCCCXXVI.

Rector DLXXVI: **Francisc. Xaverius** DE KRÜLL, Philos. &c. Jur. utr. D^r, regius Consiliarius aulicus actualis, reg. Ordinis meritorii civilis Coronae Bavaricae Eques, et in alma Ludovico-Maximilianea Landishutana mense autem Octobri Monachium translata literarum Universitate Jurium Prof. p. o. IV^to.

Nov. Inscripti 341.

Illustres:

Maximilianus **L. B. de Welden,** Ansbacensis; Philos. Cand.

Alexander et *Maximilianus* **LL. BB. de Zoller,** Monacenses; Jurium Candd.

Clemens **Comes de Waldkirch,** Manhemiensis; Jur. Cand.

Joannes Nepom. **Comes de Hundt,** Weickertshofiensis; Philos.

Eduardus **Comes de Taufkirchen,** Wildensteinensis, Philos.

Carolus **Comes de Leyden,** Kühbacensis; Philos.

Franciscus **Comes de Pocci,** Monacensis; Jur.

Antonius **L. B. de Rotberg,** Friburgensis, Brisgov.; Jur.

Maximilianus **Comes de Holnstein,** Landishutanus; Priv. Stud.

Cajetanus **L. B. de Tautphoeus,** Dilinganus; Jur.

Maximilianus **L. B. de Schönbrunn,** Muttaviensis; Philos.

Maximlil. **Comes de Arco,** Monacensis; Jur.

Ao. 1826.

Novi Professores;

Prof. ordinarii:

D^r *Georg.* **Amann**, in ecclesia parochiali ad S. Jodocum Landishutana Orator a Sacris; *Theologiae dogmaticae et moralis* Prof.

D^r *Georg. Ludov.* **Maurer**, reipublicae Procurator Francovallensis in Palatinatu Rhenano; *Historiae juris communis et germanici necnon Francogallici juris* Prof.

D^r *Adamus* **Oberndorfer**, vectigalibus exercendis Praepositus Neostadiensis; *disciplinae pecuniariae, politico-arithmeticae et praxeos cameralis* Prof.

D^r *Ignatius* **Döllinger**, Regis a consiliis aulicis, scientiarum Academiae Monacensis in ordine socius et theatri anatomici Conservator; *anatomiae humanae et comparativae necnon zootomiae* Prof.

D^r *Fridericus Carolus* **de Loé**, supremus in re medica Consiliarius, scholae medico-chirurgicae Monacensis hucusque Magister et scientiarum Academiae in ordine socius; nunc *curandis psychicis et infantilibus morbis* Prof.

D^r *Jo. Nepom.* **Ringseis**, Regis a supremis in re medica Consiliis, scientiarum Academiae Monacensis socius extraordinarius, scholae medico-chirurgicae ibidem Professor; nunc *pathologiae et therapiae specialis necnon clinici medici* Prof.

D^r *Ernestus* **de Grossi**, Regis a supremis in re medica consiliis, scholae medico-chirurgicae Monacensis Professor, extraordinarius scientiarum Academiae ibidem socius; *Semiothicae et clinici medici* Prof.

D^r *Jo. Baptista* **Weissbrod**, provincialis in re medica Consiliarius et Professor; nunc *artis obstetriciae, medicinae forensis et politico-medicae disciplinae* Prof.

Ao. 1826.

D. *Fridericus Guilielmus Josephus* **de Schelling,** Regis ab intimis Consiliis aulicis et scientiarum Academiae Monacensis socius; *Philosophiae* Prof.

D. *Florianus* **Meilinger,** regii Lycei Monacensis Rector ibidemque Philosophiae Professor; nunc item *Philosophiae* Prof.

Thaddaeus **Siber,** Physices et Matheseos in Lyceo regio Monacensi Professor, et extraordinarius regiae scientiarum Academiae ibidem socius; *Physices* Prof.

Leonardus **Späth,** Matheseos hucusque in Lyceo regio Monacensi Professor et scientiarum Academiae socius extra ordinem; *Mathematicae* Prof.

D. *Amadeus Henricus* **Schubert,** Regis a consiliis rei metallicae et Universitatis Erlangensis antehac Professor, regiae scientiarum Academiae Monacensis socius ordinarius; *Historiae naturalis* Prof.

D. *Augustus* **Vogel,** regiae scientiarum Academiae Monacensis socius ord. et chemici laboratorii Conservator; *Chemiae* Prof.

D. *Jo. Nepom.* **Fuchs,** regiae scientt. Academ. Monac. socius in ordine et mineralogicarum collectionum Conservator; *Mineralogiae* Prof.

D. *Carolus Fridericus Philippus* **de Martius,** regiae Monac. scientiarum Academiae socius ord. et secundarius horti botanici Conservator; *Botanicae* Prof.

D. *Fridericus* **Thiersch,** Regis a consiliis aulicis, in Lyceo regio Monacensi Philologiae Professor et scientiarum Academiae ibidem socius ord.; *Philologiae* Prof.

Ao. 1826.

D.r *Joann. Carol. Ludov.* **Schorn,** in regia effectivarum artium Academia Monac. Prof.; *Aesthetices* Prof.

D.r *Othmarus* **Frank** ex alma litt. Universitate Wirceburgensi translatus, linguae quam vocant *Sanscrit* Prof.

Proff. extraordin.: D.r *Jos. Ignatius* **Döllinger** (junior), Juris canonici et Historiae eccl. antehac in regio Lyceo Aschaffenburgensi; nunc *Theologiae dogmat. et Historiae sacrae* Prof.

D.r *Philipp.* **Wilhelm,** scholae medico-chirurgicae Monacensis hucusque; nunc *Medicinae* Prof.

D.r *Henricus* **Breslau,** antehac in eadem regia schola; nunc in *medica* Facultate Prof.

D.r *Laurentius* **Zierl,** Physices et Chemiae hucusque Professor in schola publico-oeconomica Schleisshemiensi; nunc *Medicinae* Prof.

D.r *Francisc. de Paula* **Gruithuisen,** in schola chirurgica antehac Monac.; nunc *Astronomiae* Prof.

D.r *Fr.* **de Kobell,** regiae scientiarum Academiae Monacensis Adjunctus; *Mineralogiae* Prof.

D.r *Josephus* **Zuccarini,** reg. scientt. Academ. Monac. Adjunctus; *Botanices* Prof.

D.r *Jo. Bapt.* **Wagler,** ejusdem almae Academiae Adjunctus; *Zoologiae* Prof.

Jos. Andreas **Buchner,** Historiarum in Lyceo regio Monacensi antehac Professor et scientiarum Academiae ibidem socius extraordinarius; *Historiae Bavar.* Prof.

Joann. Jacobus **Sendtner,** item a Lyceo regio Monac. ad Universitatem promotus *Aesthetices et Historiae elegantiorum literarum* Prof.

Ao.
1826. Proff. honorarii:

D. *Nicolaus Thaddaeus* **de Gönner,** Regis a Consiliis de rebus publicis gerendis; *Jurium* Prof.

D. *Josephus* **de Stürzer,** Regis a supremi appellationum Judicii Monacensis Consiliis; *Processuum* Prof.

Lic. Franciscus **Häcker,** reg. Judicii urbani Monacensis Director; *publicae tutandae securitatis disciplinae* Prof.

D. *Julius* **de Niethammer,** Consiliarius regius et Gubernii Isarani provincialis a Secretis; scientiarum *publico-oeconomicarum* Prof.

D. *Franciscus* **de Baader,** Regis a supremis rei metallicae Consiliis et scientiarum Academiae Monacensis in ordine socius; *Philosophiae* Prof.

D. *Josephus* **de Baader,** Regis item a supremis rei metallicae Consiliis et ordinarius scientiarum Academiae socius; *doctrinae machinarum* Prof.

Maximilianus Procopius **L. B. de Freyberg,** Regis a Consiliis ministerialibus, scientiarum Acad. socius ordinarius et publicorum Archivorum Director; *Historiarum* Prof.

D. *Albertus* **Klebe,** Regis a Consiliis aulicis; *Geographiae et rei statisticae* Prof.

D. *Carol. Sigism.* **Kiefhaber,** Regis a Consiliis actualibus et Archivis regni Adjunctus; *rei diplomaticae* Prof.

D. *Jo. Nep.* **Buchinger,** reg. Archiv. Adjunctus; *Juris feudalis* Prof.

Jos. Ern. Eques **de Koch-Sternfeld,** reg. Legationum a Consiliis et scientt. Academiae Monac. socius, *scientiarum publico-oeconomicarum* Prof.

Ao. 1826.

Lectores:

Joseph. Phil. Eques **de Maffei**, in regio Lyceo et Gymnasio hucusque *linguae italicae* Prof., nunc etiam ejusdem in Universitate Lect.

Petrus **Claude**, item e regio Lyceo Monacensi ad Universitatem promotus *Gallicae linguae* Lect.

D.r *Henricus* **Fick**, *linguae Anglicae* Lector.

Priv. Docentes:

D.r *Ludov.* **Dauner**, Campidunensis Suevo-Bavarus
D.r *Frid. Ludov.* **Bernhard**, Düsseldorpiensis
D.r *Philipp.* **Mayr**, Oberhusanus Suevo-Bav.
D.r *Frider.* **Völker**, Edenkobiensis Rhenano-Bavar.
D.r *Carolus* **Wolf**, Monacensis Bavar.
D.r *Fr. Xav.* **Zenger**, Augustanus Suevo-Bavar.
} *Jurium* Doctores legentes.

D.r *Philippus* **Hensler**, Rothenbucensis Franco-Bav.
D.r *Jos.* **Reubel**, Nördlingensis Suevo-Bav.
} *Medic.* D.r D.r legg.

D.r *Mart.* **Kittel**, Schaffnaburgensis Franco-Bav.
D.r *Andreas* **Schmeller**, Türschenreuthensis Palatino-Bav.
D.r *Jo. Mich.* **Söltl**, Prof. in reg. Gymnasio Monacensi,
} in *philos. Facultat.* docentes.

Novi Doctores:

14 Aug. *Jo. Evang. Kainzelsberger*, Walburgiskirchensis Bav.
— *Georgius Carolus Reindl*, Bambergensis Franco-Bav.
} *S. Theol.*

Ao.			
1826.	22 Aug.	*Julius Jos. Franciscus Lang*, Passaviensis Bojus	*Jur. utr.*
	28 „	*Fridericus Voelker*, Edenkobiensis Rhenano-Palatinus	
	23 „	*Aloysius Prand*, Waginganus Bojus	*Cameral.*
	10 Jun.	*Georgius Amos*, Dilinganus Suevo-Bavarus	
	11 Jul.	*Joann. Laurent. Hierl*, Dölnitzensis Boj.	
	17 „	*Joseph. Jacob. Seiberth*, Mittenaviensis Bavarus	
	26 „	*Josephus Oberndorfer*, Eschenbacensis Palatino-Bav.	
	28 „	*Carolus Augustus Wibmer*, Monacensis	
	29 „	*Ludovicus Koch*, Monacensis	
	30 „	*Josephus Obereder*, Thanensis Bojus	
	2 Aug.	*Fridericus Leo*, Monacensis	
	7 „	*Andreas Jacobus Hofer*, Ratisbonensis Bojus	
	16 „	*Joannes Gallus Merkl*, Monacensis	
	—	*Bonifacius Müller*, Bemfeldensis Bav.	*Medic.*
	—	*Carolus Widmann*, Monacensis	
	17 „	*Andreas Heiss*, Denklinganus Bavarus	
	—	*Maximilianus Victor Mesmer*, Wasserburg. Bav.	
	—	*Jos. Eugen. Leop. Obermüller*, Edelmühlensis Bav.	
	18 „	*Antonius Knaur*, Blaibacensis Bav.	
	—	*Simon. Anton. Utz*, Furthensis Bav.	
	19 „	*Maximilian. Berty*, Nördlingensis Suevo-Bavarus	
	—	*Laurentius Haertl*, Neoburgensis Neopalatinus	
	—	*Josephus Antonius Hegenauer*, Neobavariensis Bojus	
	2 Jun.	*Jo. Nep. Müller*, Ueberlinganus ad lacum Bodamicum, Ecclesiae cathedralis Constantiensis Cooperator	*Philos.*

Ao.

Praeter Illustres supra memoratos in annum $18^{25}/_{26}$ Albo nostro inscripti sunt praecipua mentione digni: *Mathias Gsellhofer,* Chamensis in provincia regni Bavarici Danubiana inferiori, Philosophiae studiosus, sequiori tempore regius Consiliarius ministerialis, cruce equestri Ordinis meritorii S. Michaëlis I. Cl. insignitus, obiit 1857; *Eduardus Wolfanger,* Monacensis Philos. Candidatus II anni, nunc dum haec scribo Regis a Consiliis ministerialibus et Secretarius generalis, equestri cruce civilibus Coron. Bav. meritis dicata decoratus et Ordinis meritorii S. Michaëlis I Cl. Eques; *Henricus Hofstätter,* Aindlinganus Dioceseos Augustanae; is 16 Februarii 1805 natus, quarto Novembris 1824 Albo academico nostro nomen dedit, et receptis non multo post etiam summis in utroque jure honoribus aliquamdiu causas forenses exercuit. Deinde ad SS. theologiam conversus 5 Augusti 1833 presbyter ordinatus, jamque 27 Octobris 1836 Ecclesiae metropolitanae Monacensis Canonicus capitularis designatus est. Altero autem triennio vixdum elapso Calendis Julii 1839 a Rege Ludovico Episcopus Passaviensis nominatus eodemque anno a sacra sede apostolica confirmatus 17 Martii 1840 sedem episcopalem solenniter recepit. Anno deinde 1844 Romam profectus, ut SS. Apostolorum limina visitaret, a beatissimo Patre Gregorio XVI solio pontificio Assistens, Praelatus domesticus, Comes sacri palatii et aulae Lateranensis nominatus, postremo a serenissimo Rege Maximiliano II ao. 1850 equestri cruce civilibus Cor. Bav. meritis dicata insignitus est. Eodem illo tempore immatriculati sunt *Rudolphus Metz,* Oenipontanus Tyrolensis, Cand. Philosophiae, postmodo supremi regni appellationum Judicii Consiliarius et Ordine meritorio S. Michaëlis I Cl. decoratus; *Franciscus Salesius Seelos,* Burgensis Suevo-Bavarus Candidatus Philosophiae, qui postquam 17 Augusti 1829 presbyter ordinatus sacrarum literarum studiis vacavit, anno 1834 in Lyceo regio Frisingensi Theologiae dogmaticae Professor, inde 1845 Landishuti ad S. Jodocum Parochus urbanus canonice institutus et Commissarius archiepiscopalis praeterea scholarum non solum illius regionis Inspector sed et per totam inferiorem Bavariam Praeses, et ejusdem provinciae Consiliarius, item anno 1852 reverendissimi Archiepiscopi Monaco-Frisingensis a Consiliis ecclesiasticis nominatus et Calen-

1826.

Ao.
1826. dis Januarii 1858 a clementissimo Rege nostro equestri cruce Ordinis meritorii S. Michaëlis I Cl. insignitus est; *Leonardus Scherr,* Neunburgi ante sylvam 22 Junii 1894 natus, 7 Nov. 1825 Cand. Philos. Albo nostro academico inscriptus, studiis autem Philosophiae et SS. Theologiae per quadriennium absolutis 4 Augusti 1829 sacro sacerdotio initiatus est. Sub finem autem anni 1833 Ordinem S. Benedicti in monasterio Mettensi indito sibi novo nomine Gregorio professus die 5 Junii 1840 ipsam abbatialem suscepit dignitatem; denique 6 Januarii 1856 ab augustissimo Rege Maximiliano II Archiepiscopus Monaco-Frisingensis nominatus, deinde impetrata confirmatione apostolica 3 Augusti consecratus sacroque pallio indutus et 28 ejusdem mensis solemni pompa inthronisatus est.

Illustrissimus *Comes de Thürheim* summus hucusque Regis in rebus publicis internis Administer, Calendis Januarii externarum rerum regiaeque domus Ministerium susccpit, et in ejus locum illustrissimo *Josepho Ludovico Comiti de Armansberg*, qui antehac Gubernii Regenani Praesidis vice functus, nuperrime autem Regis a supremis in re publica Consiliis designatus fuerat, summa rerum internarum et aerarii cura tradita est.

In juridica Facultate jus cambiale privatim traditurus assumtus est D.r *Philippus Josephus* **Mayr**, Obershusanus Suevo-Bavarus, qui die 21 Novembris 1798 natus gymnasialibus et philosophicis disciplinis Augustae Vindelicorum et Dilingae cum prorsus insigni profectu absolutis anno 1820 Jurium studiosus in regia Ludovico-Maximilianea literarum Universitate Landishutana in civium academicorum numerum relatus est. Peracto autem ibi triennio propositam pro doctoratu gratuito capessendo a consultissima Facultate dissertationem philosophico-juridicam „De divisione bonorum societatis“ tam egrcgie elucubravit, ut ex unanimi die 27 Decembris 1823 concepta sententia praemio dignus judicaretur. Insignitus igitur die 21 Februarii posterioris anni summis in utroque jure honoribus praxi judiciariae operam dedit, donec clementissimo regio rescripto dd. 26 Aprilis 1827 Jurium Doctor legens constitutus est. Undecimo jam Maji Landishuti lectiones suas de jure ac processu cambiali solenniter auspicatus

Ao. 1826.

est; dissertationem autem praemio ornatam Landishuti 1825 typis edidit.

Simili rescripto regio dd. 25 Junii in saluberrima Facultate Doctor legens admissus est *Philippus Ignatius* **Hensler,** Rothenbucensis Franco-Bavarus. Is anno 1795 natus, disciplinis gymnasialibus exantlatis novendecim annorum adolescens albo academico in regia literarum Universitate Wirceburgensi nomen dedit, studiisque philosophicis per biennium absolutis jurisprudentiae primum incubuit. Mutato autem Erlangae, quo se contulerat, protinus consilio 1817 medicam artem aggressus est, eique praecipuam Herbipoli et Landishuti, postremo etiam Bonnae operam navavit, et anno 1821 in alma Julio-Maximilianea Universitate praestandis rite praestitis summos in medicina, in chirurgia atque arte obstetricia honores recepit. Has deinde artes usu quoque et exercitatione persecutus variisque literarum causa institutis itineribus die supra dicto in hujate regia Universitate privatim docere coepit. Scripta eousque edi curavit: *„Versuch einer wissenschaftlichen Begründung der Lehre vom Blutumtrieb“,* Diss. inaug. Wirceburg. 1821; *Neue Lehren im Gebiete der physiologishen Anatomie und der Physiologie des Menschen“* II Voll. Norimb. 1825 sq. 8.

Pridie a. Cal. Julii obdormivit in Domino plurimum reverendus *Antonius de Röckl,* Parochus urbanus in *Abensberg.* In vacuam per ejus obitum parochiam 3 Augusti ab amplissimo Senatu academico nominatus est *Michaël Botzler,* parochus antea Herrnwallensis. Paulo post die nempe 2 Septembris etiam parochia *Schamhaupten* per translationem *Jo. Bapt. Knaueri* vacua ad praesentationem Universitatis confertur *Andreae Plankio* meritissimo Cooperatori Salerniano.

Pridie a. Calendas Augusti clarissimo *Martino Münz,* Anatomiae Professori p. o. salarium ducentis florenis auctum et *Georgio Feldigl,* qui eidem post abitum Gadermanni in theatro anatomico apparebat, florenorum centum remuneratio assignata est.

Ex novis hujus anni Doctoribus praecipue mihi memorandus est plurimum reverendus D^r *Georgius Carolus Reindl,* Bambergensis Franco-Bavarus, nat. 4 Nov. 1803, qui scripta et Ratisbonae typis edita exegetica commentatione *„Die Sendung des Propheten Jonas nach Ninive“,* habitaque publica disputatione die 14

Ao. 1826. Augusti summos in SS. Theologia honores recepit. Vir enim hic perillustris die 6 Decembris sacro sacerdotio initiatus, quum aliquamdiu celsissimae Amaliae Ducis a Leuchtenberg Capellanus fuisset domesticus, deinde per plures annos ipsius serenissimi Regis Ludovici Principes adolescentulos in sacra religione instituisset, primum Regis a Consiliis ecclesiasticis nec non Ecclesiae collegiatae ad S. Cajetanum Praepositus infulatus et aulicae Capellae Director, brevique post metropolitani Capituli Monaco-Frisingensis Decanus (1842) nominatus, ac summis praeterea honoribus, regio nempe Graeco ordine S. Salvatoris, equestri civilibus de Corona Bavarica meritis dicata cruce insignitus (1846), ac denique a gloriosissimo Rege **Maximiliano** II. Ordinis meritorii S. Michaëlis Commendator (1856) et a reverendissimo Archiepiscopo Gregorio tam generalis Consilii quam Judicii metropolitani Director designatus est. Extant ab eo praeter supra memoratam dissertationem inauguralem duo publicis typis exarata opuscula: *Abriss der christlichen Religionsgeschichte*, Bamberg. 1833. 8; *Tempel der häuslichen Andacht, Erbauungsbuch auf alle Tage des Jahres* cum 23 tabulis aeneis et 300 ornamentis edit. Ratisbon. 1841. 4.

Eodem die ac mense, quo Georgius Car. de Reindl, SS. Theol. Dr creatus est etiam plurimum reverendus *Jo. Evang. Kainzelsberger,* Walburgiskirchensis Bav. natus 11 Octobr. 1801, nunc Ecclesiae cathedralis Passaviensis Canonicus capitularis summusque Custos et Cancellariae episcopalis Director.

Perillustris juris utriusque Doctor *Franciscus Xaverius* **de Krüll,** Regis a Consiliis aulicis et cruce equestri civilibus de corona Bavarica meritis dicata insignitus, qui quater et hoc ipso anno Rectoris magnifici ac per integrum quadrantem seculi Jurium Professoris p. o. officio strenue perfunctus praetereaque fere continuo in collegio tam Juridicorum quam eorum, quibus administratio academici fundi demandata fuit, egregiam sibi laudem promeritus est, celsissimo regio decreto dd. 18 Augusti h. a. protinus amotus a cathedra et Passaviam translatus in regio ibidem Appellationum Judicio Consiliarius novissimus designatus est. Anno denique 1846 die 10 Augusti viro senio prope confecto (jam enim erat septem et septuaginta annis natus) salvo

Ao. 1826.

titulo atque integro salario muneris sui otium datur. Quo facto meritissimus senex Straubingam atque inde Landishutum se contulit ibique 24 Januarii a. 1847 vitam posuit, aetatis anno septuagesimo octavo. Fuit vir jurium peritissimus, acer et industrius, disciplinae academicae olim rigidus exactor, familiae suae indulgentissimus pater, cujus memoria praesertim mihi, horum annalium scriptori, gratissima.

Usque adeo igitur, donec novum eligeretur caput Universitatis, plurimum reverendus Consiliarius eccles. et Prof. D^r *Jo. Nep. Hortig,* h. t. Prorector, Rectoris munus suscepit.

Quod vero hunc annum et praecipue diem tertium Octobris singulari memoria dignum reddit, est altera Universitatis translatio. Dicto enim die **Ludovicus** *Rex augustissimus* audito prius ea de re summo rerum regni internarum Ministerio edixit, *ut alma Universitas Ludovico-Maximilianea Landishuto Monachium transferatur,* et solemne lectionum principium in nova literarum sede die 15 Novembris celebretur. Celsissimo hoc decreto ingens commutatio facta et praesertim Professorum numerus auctus est.

E pristinis enim, qui jam Landishuti publico docendi munere hucusque fungebantur, Professoribus Monachium translati ac recenter designati sunt

in *theologica* Facultate: regius Consiliarius ecclesiasticus D^r *Sebastianus* **Mall,** Exegeseos S. V. T. et linguae hebraicae Professor publ. ord.; reg. Consiliarius eccl. D^r *Joannes Nep.* **Hortig,** theologiae moralis, patristicae et historiae ecclesiasticae Prof. p. o.; reg. Consil. eccl. D^r *Georg. Fridericus* **Wiedemann**, Collegii clericorum Georgiani Director necnon theologiae pastoralis, homileticae, catecheticae ac liturgicae Prof. p. o.; D^r *Franciscus Josephus* **Allioli,** Exegeseos N. T. et hermeneuticae, sacrae archaeologiae et linguarum orientalium Prof. p. o.

in *juridica* Facultate: reg. Consil. aulicus regiaeque scientiarum Academiae Monacensis in ordine socius, D^r *Leonardus* **de Dresch,** juris publico-Bavarici, juris publici confoederationis Germanicae et juris gentium Prof. p. o. et Collegii Juridicorum Praeses; Regis a Consiliis aulicis D^r *Jo. Nep.* **de Wening-Ingenheim,** Juris civilis Bavarici Prof. p. o.; D^r *Hieronymus* **Bayer,** juris civilis Romani, historiae juris Romani et processus civilis Prof. p. o.;

Ao.
1826. D.r *Edu. Jos.* **Schmidtlein,** jurium Prof. extraordinarius; et D.r *Philippus Jos. Mayr,* jurium privatim docens.

in Facult. *publico-oeconomica:* regius Consiliarius aulicus D.r *Ludov. Walradus* **Medicus,** rei rusticae, sylvarum culturae et technologiae Prof. p. o.; et *Carolus Steinlein,* D.r priv. legens.

in Facult. *medica:* regius Consiliarius aulicus D.r *Andreas* **Röschlaub,** Encyclopaediae et Methodologiae med., Pathologiae generalis et Therapiae Prof. p. o.; D.r *Jo. Andreas* **Buchner,** Pharmaciae et Pharmacologiae Prof. p. o.; et *Phil. Ign. Hensler,* Medicinae D.r priv. legens.

in *philosophica* Facultate: reg. Consil. aulicus et scientiarum Academiae Monacensis in ordine socius D.r *Conr. Dietr. Martinus* **Stahl,** Physices experimentalis Prof. p. o.; reg. Consil. aul. et Acad. socius in ordine, D.r *Conradus* **Mannert,** Geographiae et rei statisticae Prof. p. o.; D.r *Jo. Christianus* **Siebenkees,** supremus Universitatis Bibliothecarius et Historiae literariae comm. Prof. p. o.; Regis a Consiliis aulicis et ordinarius scientiarum Academiae socius, D.r *Fridericus* **Ast,** graecae et latinae Philologiae Prof. p. o.

Horum autem numerus permultis ex eodem decreto regio dd. 3 Octobris designatis tam ordinariis et extraordinariis quam honorariis Professoribus auctus est. Et in *theologica* quidem Facultate unus novus designatus est ordinarius Professor D.r *Georgius* **Amann,** Deggendorfensis Bavarus. Is fabri tignarii filius 24 Aprilis 1780 natus, studiis humanioribus in Electorali gymnasio Straubingano absolutis anno 1801 Landishutum migravit et impensa Philosophiae ac SS. Theologiae insigni opera mense Septembri 1805, paullo post receptum sacrum ordinem presbyteratus, summis in theologia honoribus insignitus est. Deinde in curam animarum expositus per integrum quinquennium apud illustrissimum L. Baronem de Voitenberg praeceptorem domesticum egit, proximo autem biennio Landishuti perillustris L. Baronis de Hofmühln informator erat. Inde quum 1813 in ecclesia parochiali ad S. Jodocum Orator a sacris institutus egregiam sibi per annos tredecim peperisset famam, Monachium evocatus est theologiam in sacrosancta Facultate publice traditurus.

Ao. 1826.

Accessit autem eodem tempore extraordinarius quoque Theologiae Professor, D.r *Jo. Jos. Ignatius* **Döllinger**, celeberrimi nunc itidem in hujate regia literarum Universitate Medicinae Professoris filius, Bambergensis Franco, natus 28 Februarii 1799. Qui quum studiis tam humanioribus quam theologicis Wirceburgi cum prorsus eminente profectu absolutis die 15 Aprilis 1822 Presbyter esset ordinatus, Capellanus in parochia Oberscheinfeldensi archidioeceseos Bambergensis curam animarum aliquamdiu exercuit. Jam vero anno proxime sequente, cum a sacrosancta Facultate Wirceburgensi, cui pro capessendo gradu doctoratus egregie elucubratam proposuerat dissertationem, summis in theologia honoribus esset insignitus, juris ecclesiastici et historiae sacrae Professor in regio Lyceo Schaffnaburgensi designatus, atque inde dicto 3 Octobris 1826 cum annuo octingentorum florenorum salario Monachium translatus est, paulo post insigne Universitatis et rei literariae ornamentum futurus.

In *juridica* Facultate pariter unus novus ordinariam obtinuit cathedram, D.r *Georgius Ludovicus* **Maurer.** Is parochi Augustanae confessionis filius, Erpolshemiensis Rhenano-Palatinus, natus 2 Novembris 1790, Heidelbergae, quo parentes a turbulentis belli Francogallici tempestatibus profugerunt, studia tam humaniora quam juridica cum prosperrimo successu peregit, et anno 1811 ad summos in utroque jure honores promotus est. Proxime sequente anno Parisios se contulit, ibique tam egregie juris Gallici cognitionem sibi comparavit, ut mense Junio 1814 post suum in patriam reditum Moguntiae, Spirae, Landavii deinceps rei publicae Procuratoribus et biennio post generali Procuratori in Judicio provocationum Bipontino in adjutorium substitueretur, anno autem 1824 publicus ipse in judicio regionario Francovallensi Procurator (Staatsprocurator im Bezirksgericht Frankenthal) designatus est. Ibi eodem tempore commentationem proposito a scientiarum Academia Monacensi praemio coronatam *„Geschichte des altgermanischen und namentlich altbayerischen mündlichen Gerichtsverfahrens, dessen Vortheile, Nachtheile und Untergang in Deutschland und in Bayern insbesondere“* Heidelbergae 1824 in 4.to edidit et ab eadem regia Academia socius extra ordinem electus est. Hunc igitur virum juris peritissimum Rex

Ao. 1826. Ludovicus in almam literarum Universitatem nostram clementissime evocavit.

Verum etiam viri summis jam dudum publicis muneribus fungentes almae nunc Monacensi literarum Universitati operam suam ultro obtulerunt, regiamque publice honoris causa docendi veniam impetrarunt. Et primus quidem eorum praesto erat perillustris D^r *Thaddaeus* **de Gönner,** jam sub initium hujus seculi in his annalibus saepius laudatus Jurium Professor p. o., nunc Regis a Consiliis de rebus publicis gerendis, qui etiam eo tempore, quo ab Universitate Landishutana Monachium avocatus est ibique alia atque alia et ampliora fere quotannis munera suscepit (vide sis ad a. 1812), tam parum sibi otii indulsit, ut medias inter illas gravissimas occupationes literaria quoque permulta elucubrasset opera, nempe: *Ueber den Begriff eines Noth-Erben und die Erlöschung dieser Eigenschaft nach römischem und bayerischem Civilrecht,* Landish. 1812; *Beiträge zur Gesetzgebung in den Staaten des deutschen Bundes,* Sect. I. Erlangae 1815; *Entwurf eines Gesetzbuches über das gerichtliche Verfahren in bürgerlichen Rechtssachen,* II tomis Erlang. 1815. 1816; *Jahrbücher der Gesetzgebung und Rechtspflege im Königreiche Bayern* (adjuvante D^r Eduardo Schmidtlein) III tomis Monach. 1818—1820; *Einige Motive zu dem Entwurfe einer allgemeinen Hypothekenordnung für das Königreich Bayern,* regio jussu elucubrata, ibidem 1819; *Vorträge über Gesetzgebungsgegenstände an die Kammer der bayerischen Ständeversammlung,* ibid. 1820; *Commentar über das k. b. Gesetz vom 22. Juli* 1819, *einige Verbesserungen der Gerichtsordnung betreffend,* Erlang. 1820; *Ueber zweckmässige Einrichtung des Hypothekenbuchs nach Grundsätzen und Erfahrungen,* cum additamentis, Monach. 1823; *Commentar über das Hypothekengesetz für das Königreich Bayern,* II tomis ibid. 1823. 1824.

Vir item jam gestis muneribus gravis, praenobilis ac clarissimus D^r *Jos. Mich. Sigismundus* **de Stürzer,** qui jam olim in alma Universitate Landishutana Jurium cathedram egregie illustraverat, nunc, postquam per annos octodecim supremi Judicii regni Consiliarius fuit, ejusdem juridicae Facultatis novum et eximium decus et ornamentum futurus iterum publicas coram frequentissimo et avidissimo auditorio lectiones suscepit, et quamvis

Ao. 1826.

non ita multo post Consiliarius in regio Ministerio justitiae permultis et gravissimis occupatus esset negotiis, tamen academico quoque docendi munere ad extremum usque vitae terminum ardentissime fungebatur.

In Facultate *publico-oeconomica* clarissimus D^r *Jo. Adamus* **Oberndorfer,** qui biennio abhinc a publico docendi munere avocatus et exigendis vectigalibus Praefectus (Rentbeamte) Neostadii ad Danubium expositus fuerat, nunc almae Universitati nostrae restitutus et doctrinae rei vectigalis Professor p. o. designatus est.

Sed et novus extraordinarius Professor assumitur, D^r *Laurentius* **Zierl.** Fuit is chirurgi filius, Furthensis Bojus 23 Julii 1797 natus, qui absolutis Gymnasii disciplinis anno 1814 in literarum Universitate Landishutana albo academico nomen dedit et quinquennio peracto, cum quaestiones tam a philosophica quam a medica Facultate pro doctoratu gratis capessendo propositas egregie solvisset, summis et in Philosophia et in Medicina honoribus insignitus est die 20 Augusti 1819. Tunc Monachium se contulit et stipendio ad enixam perillustris Hartzii regii Archiatri commendationem impetrato Parisios profectus est, ibique celeberrima nosocomia invisit, et doctissimorum virorum lectiones imprimis chemicas avidissime auscultavit. Inde reversus in patriam aliquamdiu artem medicam exercuit, anno autem 1822, quum schola publico-oeconomica Schleissheimensis fuisset condita, exantlato prius cum nota eminentiae tentamine rigoroso Chemiae ibidem Professor designatur. Disciplinis vero physicis et chemicis jam post biennium sublatis *Laurentius Zierl* docendi munere solutus conficiendo potissimum e betis albissimis saccharo (Runkelrüben-Zuckerbereitung) cum prosperrimo successu operam impendit, donec tertio Octobris h. a. in Universitate Monachium translocanda extraordinarius Agriculturae et Chemiae technicae Professor nominatus est.

Ad eandem Facultatem ex eodem clementissimo decreto accessit perillustris jurium Licentiatus *Francisc. Josephus* **Häcker.** Is 24 Novembris 1777 Wirceburgi natus ibique studiis tam humanioribus quam juridicis absolutis gradu Licentiatus insignitus et postquam aliquamdiu in praxi juridica insigni cum laude fuerat versatus, regio Judicio rurali Rothenburgensi praefectus est.

Ao.
1826. Qui cum simul praedium quoddam in Obergailnau possideret, anno 1819 in numerum eorum, qui ex agrorum possessoribus in secundam regni curiam deputandi erant, electus, et partes Ministerialium studiosissime secutus quinquennio post regii Judicii urbani Monacensis Director et hoc ipso anno 1826 etiam in noviter huc translata Ludovico-Maximilianea Universitate Professor honorarius nominatus est, publicae tutandae securitatis doctrinam (Polizeiwissenschaft) traditurus.

In *medica Facultate* novi quinque ordinarii Professores suffecti sunt, viri nempe perillustres et experientissimi D.D. Ignatius *Döllinger*, Ernestus *de Grossi*, Carolus *de Loë*, Jo. Nepom. *Ringseis*, et Jo. Bapt. *Weissbrod*.

Ignatius **Döllinger**, Bambergae in Franconia 24 Maji 1770 natus, patre usus est celsissimi ac reverendissimi Principis et Episcopi Bambergensis Archiatro ibidemque Medicinae Professore p. o. Studiis cum gymnasialibus tum philosophicis optime enutritus, disciplinis artis medicae primum Bambergae, dein Herbipoli, post etiam Paviae celeberrima tunc temporis medicorum schola, eximiam operam dedit, atque inde reversus in urbem patriam die 27 Februarii 1794 dissertatione *„De cognoscendis et curandis quibusdam corporis humani simplic. affectionibus“* egregie propugnata eodemque anno Bambergae typis edita, habitaque publica Patre suo praeside disputatione summis in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honoribus insignitus est, et 10 Martii ejusdem anni statim publicam in Facultate medica obtinuit cathedram. Novem ibi annis Physiologiam et Pathologiam, ab anno vero 1803, suppressa nempe literarum Universitate Bambergensi, Wirceburgum translatus et in vacuam per obitum celeberrimi *Dömlingii* cathedram immissus Physiologiam et Anatomiam tradidit, easque tam praeclare illustravit, ut singularem sibi non solum in patria famam acquireret, verum etiam a Caesarea Physicorum Academia Vindobonensi aliisque compluribus doctorum virorum extraneis societatibus in sodalicium reciperetur. Anno autem 1823 a regia scientiarum Academia nostra clarissimo *Sömmeringo*, qui Francofurtum abiit, suffectus Monachium pervenit, et in speciali quae ibi floruit schola medica cathedram suscepit, donec triennio post in ipsa literarum Universitate Ludovico-Maximilianea illuc trans-

Ao. 1826.

lata Anatomiae et Zootomiae Professor p. o. designatus est. Scripta autem, quibus eo usque inclaruerat, solidissimaeque doctrinae suae ubertatem contestatus fuerat, (ut ea, quae variis ephemeridibus inseruit, omittam) haec sunt praestantissima: *De dosibus medicamentorum et justo ea propinandi tempore,* Bamberg. 1797; *Ueber die Afteranwendung des neuesten Systems der Philosophie auf die Medicin,* ibid. 1802; *Ueber die Metamorphose der Erd- und Stein-Arten aus dem Kieselreiche,* Erlang. 1803; *Grundriss der Naturlehre des menschlichen Organismus,* Wirceburg. 1805; *Beiträge zur Entwicklungsgeschichte des menschlichen Gehirns,* Francofurt. 1812. f; *Ueber den Werth und die Bedeutung der vergleichenden Anatomie,* Wirceb. 1813; *Illustratio iconographica fabricae oculi humani,* quam dissertationem in memoriam theatri anatomici sub auspiciis gloriosissimi Regis *Maximiliani Josephi* restaurati auditoribus obtulit, ibid. 1816. 4; *M. Malpighii Iconum ad historiam ovi incubati spectantium censurae specimen,* ib. 1817. 4; *De physiologiae ad medicinam ratione,* ib. 1818. 4; *Rede bei der feierlichen Ausstellung der Büste des Fürsten und Erzbischofes Karl Theodor (v. Dalberg),* ib. 1818. 4; *Vom Kreislauf des Blutes,* c. tribus tabb. aeneis, Monach. 1821. 4; *Ueber die Fortschritte, welche die Physiologie seit Haller gemacht hat,* Monach. 1825. 4; al.

Ernestus **de Grossi,** patre usus celsissimi ac reverendissimi Principis et Episcopi Passaviensis Protomedico atque intimo Consiliario *Josepho Antonio de Grossi,* natus est Passaviae die 21 Julii 1782. Is jam sedecim annorum adolescentulus in caesarea Academia Vindobonensi tam prospero successu literis operam dedit, ut 22 Decembris 1801 summos in medicina et chirurgia honores reciperet, et in urbem patriam reversus a reverendissimo Principe et Episcopo *(Leonardo Raymundo* e comitibus de Thun Bohemo) statim Archiatrus secundarius simulque anatomiae, chirurgiae et artis obstetriciae Professor cum titulo Consiliarii aulici designaretur. Cum autem anno 1803 territorium Episcopi Passaviensis in Magni-Ducis Florentini venisset ditionem, Grossius accepta novi hujus Principis vocatione Salisburgum dimigravit, ordinariam ibi anatomiae, physiologiae, pathologiae et therapiae cathedram capessiturus. Deinde vero, ubi Salisburgum sub Austria-

Ao.
1826. cam potestatem rediit, a publico docendi munere dimissus Passaviam se contulit in sublevamen patris sui viribus destituti. Quo mortuo 1808 Regis Bavarici a Consiliis medicis designatus et proxime futuro anno Monachium, ut therapiam in schola ibi medico-chirurgica traderet, evocatus est. Eo tempore elucubravit typisque edidit *„Versuch einer allgemeinen Krankheitslehre, entworfen vom Standpunkte der Naturgeschichte“*, II tomis Monachii 1811, et *„Beurtheilung des Handbuchs der allgemeinen Pathologie von Curt. Sprengel“* ibid. 1813. 8. Inde autem ab anno 1814 ob aegritudinem corporis animique integrum fere triennium in otio transegit, donec Regis a supremis in re medica Consiliis nominatus et anno 1824 semiothicae et pathologiae iterum Professor simulque in communi nosocomio Monacensi Medicus institutus est. Mense Martio 1826 literarum causa Parisios iter fecit multisque ibi laudibus a doctissimis viris celebratus Lissabonam invisit atque inde per Londinum Monachium rediit, et 3 Octobris in alma Ludovico-Maximilianea nostra Professor designatus est.

Fridericus Carolus **de Loë,** Eichstadii 22 Juli 1786 natus scholis latinis Gymnasioque ibi absolutis in Landishutana literarum Universitate Philosophiam et artes medicas edoctus et 18 Septembris 1809 summis in medicina et chirurgia honoribus insignitus est. Inde Monachium abiit et scripta *„De cognoscendis et curandis febribus“* dissertatione, *„quae in pyretologiam generalem* (allgemeine Fieberlehre?) *introducit“* edita Monachii 1811. 8. celeberrimo D.r de Hartz regio tunc archiatro, quo duce medicam artem coepit exercere, scientiis aeque ac moribus eximie sese commendavit, brevique tempore arte praesertim obstetricia tantam sibi existimationem peperit, ut Maximilianus Josephus beatissimae memoriae Rex Calendis Junii 1816 in medicos aulicos eum reciperet, et 9 Novembris ejusdem anni Archiatrum eundem designaret. Cumque paulo post sibi contigit, ut **Ludovicum** *haereditarium regium Principem* periculoso morbo afflictum e morte eriperet, 3 Februarii 1817 equestri cruce Ordinis civilibus de Corona Bavarica meritis dicati decoratus et 23 Aprilis Regis a supremis in re medica Consiliis designatus est. Anno autem 1824, quo jussu regio et in mathematico-physicali sectione Academiae et in schola medico-practica Monacensi publicae lectiones coeperunt haberi,

Ao. 1826.

Carolus de Loë institutiones suas de physica infantium educatione eorumque morbis auspicatus et 8 Aprilis a regia scientiarum Academia socius ordinarius electus est. His igitur jam publicis muneribus honoribusque decoratus 1826 cathedram academicam suscepit.

Joannes Nepom. **Ringseis,** Schwarzhofii in Palatinatu superiori 16 Maji 1785 natus studiis humanioribus Ambergae probe enutritus anno 1805 Medicinae Candidatus in alma literarum Universitate Landishutana immatriculatus, et exantlatis cum nota eminentiae tentaminibus rigorosis ceterisque pro capessendo doctoris gradu rite praestitis die 14 Martii 1812 summis in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honoribus insignitus est et adhibitus in Instituto clinico administer. Biennio autem post ex impetrata venia, ut extraneam quoque inviseret academiam, Berolinum se contulit et postero anno medicus castrensis copias Germaniae confoederatas in Francogalliam sectatus, etiam pace jam composita aliquamdiu ibi permansit. Unde cum rediisset artemque suam Monachii coepisset exercere, eodem prope tempore **Ludovicum** *celsissimum tunc regium Principem regnique haeredem* in Italiam comitatus, atque inde reversus die 13 Augusti 1817 Medicus primarius in communi nosocomio Monacensi clementissime institutus est. Quo facto jam 3 Junii 1818 in Gubernio regio Isarano Consiliarius medicus brevique post scientiarum Academiae extra ordinem socius et in medico-chirurgica schola Professor, denique pridie ante Calendas Januarii 1826 Regis a supremis in re medica Consiliis et 2 Octobris ejusdem anni etiam in Universitate recenter instaurata Pathologiae specialis et Therapiae Professor p. o. designatur. Scripserat autem vir experientissimus, antequam hanc academicam obtinuit cathedram, tentamen *„De doctrina Hippocratica et Browniana inter se consentiente et mutuo se explente“*, quam dissertationem inauguralem praefatus est Prof. *Andreas Röschlaub* typisque edidit Norimberg. 1813, item: *Beobachtung zweier Fälle von hitziger Hirnwassersucht der Kinder,* cum relatione sectionis et epicrisi, ed. in *Hornii „Archiv für medizinische Erfahrungen“* T. I. p. 331 sqq.

Joannes Bapt. **Weissbrod,** Burghusianus, Chirurgi filius, 14 Nov. 1778 natus, disciplinis humanioribus in urbe patria egregie

Ao. 1826. absolutis anno 1797 primum Ingolstadii medicinae studiis per biennium operam dedit, quo exacto in Academia Jenensi *Hufelandum, Succovium, Loderum* et *Eckardum* celeberrimos tunc temporis Professores avidissime auscultavit, ac postremo Vindobonam quoque in annum se contulit; unde reversus in alma literarum Universitate Landishutana examinibus rigorosis cum nota eminentiae exantlatis habitaque publica disputatione die 27 Septembris 1801 summos in medicina et chirurgia honores clarissimo *Wintero* promotore recepit. Quo facto biennium practicum duce *Hartzio*, perillustri postea Regis a Consiliis intimis et Archiatro, Monachii sustinuit et publico pro capessendo munere medici tentamine eximie comprobatus in urbe Mühldorf artem suam exercendi licentiam impetravit; jamque 2 Februarii 1804 a serenissimo Electore ruralis ibidem Judicii Medicus clementissime designatus est. Quo quidem munere vir experientissimus per viginti integros annos humanissime felicissimeque functus ex decreto regio dd. 17 Januarii 1824 artis obstetriciae ejusdemque clinici ac medicinae forensis cathedram in schola medico-chirurgica Monacensi obtinuit, pariterque Collegio medico provinciali Assessor adlectus, vigesimo autem octavo Januarii 1826 ejusdem Collegii Consiliarius ordine primus et eo ipso anno die 3 Octobris in alma Ludovico-Maximilianea Professor institutus est. Interea idem duas commentationes, alteram *„Falsches umschriebenes Aneurysma der Speichenschlagader durch Theden's Einwicklung vollständig geheilt“* in *Cajet. Textorii* ephemeride *„Der neue Chiron“* Solisbaci 1825. T. II. Nr. 1. pag. 83 sqq.; alteram *„Ueber die zweckmässigste Construction der Geburtszange“* ibid. T. II. Nr. 2. p. 87—180. publici juris fecit.

Hunc ordinariorum in saluberrima Facultate Professorum numerum duo *extraordinarii* auxerunt; DD. Henricus *Breslau* et Philippus *Wilhelm.*

Henricus **Breslau**, Onolsbaci in Franconia 26 Decembris 1784 natus, ibidemque gymnasialibus disciplinis probe eruditus in Universitatibus Halensi, Tubingensi et Herbipolitana Medicinae Candidatus inprimis Anatomiae et Physiologiae egregiam impendit operam et Wirceburgi *Döllingero, Marco* et *Sieboldo* ducibus anno 1808 summis in re medica honoribus insignitus est. Inde

Ao. 1826.

Monachium profectus, cum minus prospere ac speraverat exceptus esset, tempore vernali proxime sequentis anni Augustam Vindelicorum sese contulit, ubi horribilis typhus permultos non solum aegros sed complures etiam medicos absumserat. Ibi Francogallico cuidam nosocomio militari praepositus anno 1810 Parisios iter fecit, et Gallorum inde signa secutus cum acie media in interiores Russiae partes prope ad Moscaviam pervenit; verum paulo post cum fugiente exercitu omni aerumnarum ac laborum genere et inexhausta molestiarum undique succrescentium multitudine jactatus torridis insuper gelu pedum digitis, quos sibi ipse amputavit, Parisios reversus est; anno autem 1815 iterum ad castra proficisci jussus novae expeditioni interfuit. Composita denique pace Henricus *Breslauius* patrocinante illustrissimo Principe *de Wrede* in patriam redux Bavaricam capessivit militiam; deinde aliquamdiu Saargemundi medici forensis officio functus Monachium sese cum suis recepit, ibique ao. 1826 extraordinarius medicinae Professor in hac nova Universitatis sede clementissime designatus est. Jam multo antea duas in lucem emisit versiones, quarum alteram juvante Carolo Gase c. t. *„Matériaux pour servir à une doctrine générale sur les épidémies et les contagions“* ex germanica lingua versam Parisiis 1815; alteram inscriptam *„L. Johnson's Abhandlung über den Einfluss des bürgerlichen Lebens, des häufigen Sitzens und der geistigen Verfeinerung auf Gesundheit und Wohl der Menschen“* ex anglica translatam edidit Wimar. 1820.

Philippus **Wilhelm**, die 25 Nov. 1798 Wirceburgi natus ibique gymnasialibus optime enutritus disciplinis anno 1816 ibidem Albo academico nomen dedit. Absolutis autem philosophiae studiis egregiam medicinae per triennium operam navavit, et 14 Januarii 1820 summis in arte medica, chirurgica et obstetricia honoribus insignitus est. Deinde susceptis literarum causa Berolinum, Hafniam, Vindobonam, Parisios deinceps itineribus, sub finem anni 1822 in saluberrima Facultate urbis patriae veniam docendi impetravit, et ob eximiam, quam ingenio suo et dexteritate promeruit laudem Calendis Julii 1824 Monachium evocatus in schola medico-practica extraordinarius Chirurgiae Professor designatus posteaque 11 Martii 1826 receptus in Medicorum ibidem delectu (Medizinal-Comité) eodem anno in trans-

Ao.
1826. lata illuc Universitate Professor item Chirurgiae extraordinarius nominatus est. Extat ab hoc praeclarissimo viro commentatio jam 1823 Wirceburgi publicis typis edita *„Ueber den Bruch des Schlüsselbeins und über die verschiedenen Methoden, denselben zu heilen“* cum II tabulis lithographicis.

His eodem fere tempore accessit *Josephus* **Reubel**, Medicinae Doctor legens clementissime assumtus. Is Nördlinganus Suevo-Bavarus 27 Febr. 1779 natus, postquam gymnasialia studia Elvaci et Monachii emensus, philosophiam autem Salisburgi auspicatus erat, sub finem anni 1797 Regiomontum ad scholam Kantianam iter ingressus est, sed deficientibus viae impensis Monachii aliquamdiu remansit et medico-chirurgicam ibi scholam frequentavit. Deinde Bambergam abiit et doctissimorum virorum *Döllingeri, Marci, Röschlaubii* lectionibus avidissime per biennium usus, 1799 Jenensem Academiam invisit, ubi celeberrimo *Lodero* duce Anatomiae potissimum operam dedit. Denique anno 1801 Bambergam rediit et mense Septembri summis in philosophia et medicina honoribus receptis privatim docendi veniam impetravit, exercuitque. Postero autem anno Monachium se contulit, docendi munus in Universitate Landishutana petiturus; verum inito ibi matrimonio praedium sibi haud procul a Monachio situm comparavit. Quo factum est, ut inde ab eo tempore rei oeconomicae et agriculturae totus deditus anno demum 1811, quo praedium suum elocavit, ad literarum rationem rediret, et Medicus forensis designatus in suburbio Monacensi Augia ingruente morbo epidemico cum prosperrimo successu officio suo fungeretur. Verum etiam literariis partubus inclaruit vir industrius, cujus generis sunt: *„Nova inflammationis theoria“*, Jenae 1800; *„De specifica remediorum in organismum humanum actione“*, ib. 1801; *Entwurf eines Systems der Pflanzen- und Thierphysiologie,* Monach. 1804; *Ideen über Kunst und Religion,* ibid. 1804; *Ideen über Staat und Religion,* ib. 1814; *Ueber die Natur der Staatsschulden und deren zeit- und verhältnissmässige Tilgung,* ib. 1819. Summopere autem ob egregiam artis suae dexteritatem et industriam commendatus illustrissimi Principis de Oettingen-Wallerstein Archiatrus est assumtus. Anno vero 1822 Monachium se recepit, ubi per clementissimum

Ao.
rescriptum 11 Octobris 1826 docendi quoque privatim veniam 1826.
impetravit.

Prosectoris denique officium in theatro anatomico obtinuit D^r *Eugenius* **Schneider.** Is textoris filius Tirschenreuthensis in provincia regni Bavarici Moenana superiori anno 1795 natus, studiis humanioribus in Gymnasio et Lyceo regio Monacensi absolutis anno 1817 Universitatem Wirceburgensem adiit ibique post triennium omnibus praestandis pro doctoris gradu capessendo rite praestitis et habita inaugurali dissertatione *„De inflammatione uteri“* quam Wirceburgi 1820 edidit, summos in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honores recepit. Inde, ut scientias suas penitius excoleret, Monachium rediit, jamque mense Majo 1821 officium medici assistentis in communi ibidem nosocomio obtinuit, anno autem 1823 ob indefessam suam cum insigni junctam dexteritate operam in schola tunc temporis erecta medico-chirurgica Prosector anatomiae institutus et postmodo pari conditione ex clementissimo decreto 3 Octobris 1826 evulgato in almam Ludovico-Maximilianeam Universitatem translatus est.

Praeclarissimum denique res Universitatis splendorem accepit ex magno numero illustrissimorum virorum, quibus augustissimus Rex per decretum saepius laudatum die 3 Octobr. h. a. *philosophicam Facultatem* ornavit. Et *ordinarii* quidem designati sunt novi undecim, quorum vitas ante actas paucis lubebit enarrare:

D^r *Fridericus Guilielmus Josephus* **de Schelling,** Josephi Friderici celeberrimi literarum orientalium Professoris filius, Würtembergensis, Leonbergi 27 Januarii 1775 natus, studiisque humanioribus Tubingae, aliquamdiu etiam Lipsiae, tum Dresdae, postremo autem Jenae a *Reinholdo* et *Fichtéo* celeberrimis ibi philosophis instructus, adolescens viginti vixdum annorum veniam legendi impetravit, scriptisque suis Tubingae editis, ubi jam summos in philosophia honores receperat, tantam sibi suopte ingenio atque virtute peperit laudem commendationemque, ut anno 1798 extraordinariam, et post abitum *Fichtéi* ordinariam philosophiae cathedram obtineret. Non tamen ita diu Jenae permansit, sed enixius in Bavariam invitatus ao. 1803 Wirceburgum se contulit, Julio-Maximilianeam ibi Universitatem doctrina sua et

Ao. 1826. egregiis ingenii partubus illustraturus. Anno autem 1808 decimo tertio Maji a potentissimo Bavariae rege Maximiliano Josepho Monachium evocatus et in regia scientiarum Academia Monacensi in ordine socius et in effectivarum artium ibidem Academia Secretarius generalis designatus paucisque post diebus etiam equestri civilibus de Corona Bavarica meritis dicata cruce insignitus est. Qui quum anno 1818 in Academia etiam scientiarum classis philosophicae Secretarius fuisset electus, in altercationem incidit cum illustrissimo illius Academiae Praeside. Unde commeatu, quem recuperandae valetudinis causa ad tempus petiit, impetrato (1820), aliquamdiu Erlangae scholam suam aperuit. Jam vero 16 Octobris 1823 Monachium revocatus et a Secretariatu quidem ad ipsas preces suas clementissime dimissus, salvo tamen Directoris titulo Regis ab intimis Consiliis aulicis designatus est. Interea idem praestantissimis quoque libris in lucem editis literarium orbem ditavit, famamque longe ultra fines Germaniae diffusam sibi comparavit. Horum praecipue digni sunt memoratu: *„Antiquissimi de prima malorum humanorum origine philosophematis Genes. III explic.* tentamen criticum et philos. pro summis in philosophia honoribus capessendis, Tubingae 1792. 4; *Ueber die Möglichkeit einer Form der Philosophie überhaupt,* ibid. 1795, 8; *Philosophische Briefe über Dogmatismus und Kriticismus,* ib. 1795; *Vom Ich als Prinzip der Philosophie,* ib. 1796; *Abhandlungen zur Erläuterung des Idealismus der Wissenschaftslehre,* ib, 1797; *Ideen zu einer Philosophie der Natur,* Lips. 1797 (ed. II. Landish. 1803); *Von der Weltseele, eine Hypothese der höheren Physik zur Erläuterung des allgemeinen Organismus,* Hamburg. 1798 (II Edit. ib. 1806, III Ed. ib. 1809); *Erster Entwurf eines Systems der Naturphilosophie,* Jenae 1799; *Einleitung zu dem „Ersten Entwurf eines Systems der Naturphilosophie“,* ibid. 1799; *System des transscendentalen Idealismus,* Tubing. 1800; *Erläuterung über die Jena'sche allg. Literaturzeitung,* Jen. 1800; *Zeitschrift für speculative Physik,* III tomis, Jenae et Tubing. 1801—1803; *Bruno, oder über das göttliche und natürliche Princip der Dinge,* Berolin. 1802 (II Edit. ib. 1842): *Kritisches Journal für Philosophie,* quam ephemeridem adjuvante *Ge. Frid. Guil. Hegel* Philosopho ao. 1802 et 1803 edidit; *Vorlesungen über die Methode des akademischen Stu-*

Ao. 1826.

diums, Stuttgard. et Tubing. 1803 (Ed. II. ibid. 1813, Ed. III. ib. 1830); *Philosophie und Religion,* Tubing. 1804; *Darlegung des wahren Verhältnisses der Naturphilosophie zur verbesserten Fichte'schen Lehre,* ibid. 1806; *Ueber das Verhältniss des Realen und Idealen in der Natur* (seorsim typis edit. ex libro *„Ueber die Weltseele")* Hamburg. 1806; *Ueber das Verhältniss der bildenden Künste zur Natur,* Monach. 1807 (II Edit. Berol. 1843); *Philosophische Untersuchungen über das Wesen der menschlichen Freiheit,* Tubing. 1809; *Denkmal der Schrift* (sc. auctore *J. H. Jacobio*) *von den göttlichen Dingen,* ib. 1812; *Zeitschrift von Deutschen für Deutsche,* T. I. Norimberg. 1813; *Ueber die Gottheiten von Samothrake* (commentatio lecta in scientiarum Acad. Monac. die 12 Oct. 1815) Tubing. 1815. 4; al. Hic igitur vir illustrissimus in alma literarum Universitate Philosophiae Professor p. o. designatus est.

D^r *Andreas Florianus* **Meilinger,** hortulani filius natus Landishuti 29 Novembris 1763, studiis ibidem gymnasialibus peractis anno 1783 in celeberrimum O. S. B. monasterium Benedictoburanum receptus est. Annum tyrocinii in Abbatia Rottensi ad Oenum duce *Martino Jelmillero* tunc temporis novitiorum magistro, viro generosissimo qui postmodo ultimus erat Abbas Schyrensis, transegit. Reversus ad suos 24 Octobris 1784 sollemnia Ordinis sui sacra professus et triennio post etiam sacerdotio initiatus curam parochialem ad lacum Valachensem suscepit. Sed et in hac pastorali sollicitudine optimarum artium et literarum studiis maximam quam potuit industriam impendit adeoque animum uberrimis aluit scientiis, ut ineunte anno scholastico 1790 Frisingam emitteretur, ubi per integrum quinquennium Gramaticam et Poëticam in Gymnasio, proximo autem biennio in Lyceo philosophicas tradidit disciplinas. Sub finem anni 1796 a reverendissimo Abbate *Klokero* in monasterium revocatus Professor domesticus confratres suos logicam, metaphysicam, physicam et mathematicam docuit, usque dum ao. 1801 in Universitate Salipolitana philosophiae moralis, juris naturae et historiae philosphico-literariae Professor p. designatus laureaque doctorali philosophica insignitus est. Sublatis autem per saecularisationem cunctis fere per Bavariam monasteriis (1803) *Florianus Meilinger* a serenissimo

Ao.
1826. Electore Bavarico Passaviam translatus ibique philosophiae Professor simulque Rector gymnasii atque lycei institutus, anno autem 1806 Monachium evocatus est, ejusdem ibi disciplinae Professor futurus. Idem anno 1823 loco clarissimi *Cajetani de Weiller* regii Consiliarii intimi et scientiarum Academiae Monacensis Secretarii perpetui etiam Lycei Director clementissime nominatus hoc novum sibi creditum munus retentis insuper omnibus (sc. logicae, metaphysicae, juris philos., aestheticae et paedagogicae) disciplinis summa cum prudentia, industria animique candore sustinuit. His occupatus officiis vir optimus scriptis quoque monumentis innotuit, adornato nempe opusculo s. t. *Grundriss der Logik und Metaphysik,* in usum lectionum suarum primum Monachii 1821, anno autem 1825 iterata cura ibidem edito, item evulgata in 4to Monachii 1826 commentatione *„Paedagogische Bemerkungen über die vaterländischen Gymnasien“*. Annis igitur jam triginta septem in publico docendi munere consumtis 3 Octobris h. a. Philosophiae Professor p. o in alma literarum Universitate designatur.

Thaddaeus **Siber,** Schrobenhusanus Bavarus, 9 Septembris 1774 ecdico ibi patre natus et *A. Capelleri* caesarei archiatri ex matre nepos, puer vixdum septem annorum in Seminario Benedictino abbatiae Schyrensis exceptus et prae ceteris Romanam linguam tanto cum successu edoctus est, ut decem prope annis natus non solum cum reverendissimo *Frobenio* Principe et Episcopo ad S. Emmeramum Ratisbonensi, qui aliquamdiu in monasterio isto devertebatur, audacter latino sermone colloqueretur et illustrissimi hospitis maximam excitaret admirationem, verum etiam in Gymnasio Augustano ad S. Salvatorem inter omnes condiscipulos suos facile primum quotannis locum obtineret. Peractis anno aetatis decimo sexto studiis gymnasialibus novitiatum unacum confratribus totius congregationis Bavarico-Benedictinae in communi monasterio Rottensi transegit. Inde in abbatiam Schyrensem reversus studiis porro philosophicis ac theologicis totus deditus 8 Septembris 1795 sollemnia vota professus et biennio post etiam presbyter ordinatus 4 Junii 1797 in urbe patria sacras Deo primitias celebravit. Expositus deinde in propositura Fischbachaviensi curam animarum per annum exercuit. Evenit autem sub ferias auctumnales,

Ao.
1826.

ut plurimum reverendus *P. Gabriel Knogler*, Benedictinus et in Universitate Anglipolitana tunc physices Professor, eum conveniret et ubi adolescentis ingenium atque animum, quantumque in optimis disciplinis praesertim physicalibus et mathematicis valuerit, satis cognitum habebat, iterum atque iterum adhortaretur, ut secum Ingolstadium mearet. Annuit Praelatus junctis eorum precibus effecitque, ut *Thaddaeus* saltem in gymnasio ibidem Professor designaretur. Speravit enim Abbas, fore ut ei nihilo minus ad excolenda ea, quibus hactenus maxime indulsit studia sat otii superesset; idque pro mira ejus discendi docendique facilitate eo magis potuit confidere, cum is jam anno superiori propositam a Congregatione quaestionem *„De arcu pluvio“* egregie persolvisset et quinque ducatorum praemium recepisset. Quum autem eo ipso anno Gymnasium ibi protinus supprimeretur, *Siberus* non solum monasterii sui sumtibus remanendi illic veniam accepit et studiosus philosophiae Albo academico inscriptus est, sed etiam mense Junio 1800, quo Universitas propter belli aerumnas translocata est, Landishutum commigrandi facultatem facile impetravit. Qua data occasione in dissolvendo et recondendo multiplici apparatu physicali et astronomico a *Knoglero* Professore amicissime adhibitus et instructus accuratiorem sibi peperit instrumentorum omnium cognitionem et usum, a quo manualis illa dexteritas in tradenda physica praesertim experimentali tam necessaria pendet. Inde ab anno 1801, quo ad suos reversus est, publicus statim Professor designatus doctrina sua philosophiam moralem, mathematicam, cosmographiam, physicam, astronomiam et chemiam in lyceo Frisingensi, Passaviensi, Monacensi deinceps per primum integrum hujus seculi quadrantem eximie illustravit. Neque minus scriptis interea monumentis inclaruit, quae sequentes praeseferunt inscriptiones: *Leitfaden zu Vorlesungen über Naturlehre und angewandte Mathematik,* III partibus ed. Pass. 1805, quod opus secundis curis prodiit Landishuti s. t. *Anfangsgründe der Physik und Mathematik* 1815; *Theorie des Mathematisch-Unendlichen &c.* Passav. 1808; *Anfangsgründe der Algebra, Geometrie und Trigonometrie,* cum tabulis, Landish. 1819. Anno 1821 seu decem annis postquam in regio lyceo Monacensi docere coeperat, a regia scientiarum Academia ibidem socius extraordinarius electus est. Eodem

Ao. 1826. fere tempore unacum perdocto *Anselmo Rixner,* Professore in lyceo Ambergensi, auspicatus est evulgare praeclarum illud opus, quod s. t. *Lehrmeinungen berühmter Physiker am Ende des XVI und Anfangs des XVII Jahrhunderts,* intra annos 1820—26 sex fasciculis in 8.vo prodiit. Sed de hoc eruditissimo Viro ac Doctore nunc academico annales plura enarrabunt sequiores.

D.r *Joann. Leonardus* **Späth,** Augustae Vindel. 11. Novembris 1759 natus, postquam gymnasiales in urbe patria disciplinas fuerat emensus, in celeberrimo tunc temporis laboratorio Branderiano receptus est, ibique astronomica, geometrica, physicalia, optica cujuscunque generis instrumenta fabricari didicit, quorum usum suis ipse domesticis et privatis studiis sibi comparavit. His igitur artibus ac scientiis optime instructus, cum nonnulla et egregia exercitationis suae proposuisset exempla, stipendio condonatus Altdorfium ad ediscendam sublimiorem mathematicam se contulit, ubi tantam sibi omnium comprobationem conciliavit, ut anno 1788, quo clarissimus eo tempore matheseos et physices Professor *Tobias Mayer* Erlangam evocatus est, in cathedram ejus succederet. Praesertim in dimetiendis agris Franconiae maximam promeruit laudem. Anno autem 1809 post sublatam Universitatem Altdorfiensem Monachium translatus in lyceo regio cum mille ducentorum florenorum salario Professor matheseos institutus ac biennio post etiam Regis a Consiliis aulicis designatus est. Idem biennio ante quam in alma Ludovico-Maximilianea Universitate ejusdem disciplinae cathedram obtinuit, ob eximia sua in re physica et mathematica merita in regiam scientiarum Academiam Monacensem fuit receptus. Commentationum autem, quas inde ab anno 1788 usque ad hoc tempus exaravit typisque edidit, tantus est numerus, ut horum annalium spatium longe excederem, si omnes vellem recensere; sunt enim plus septuaginta, quarum praecipue notatu dignae: *Ueber Poliermühlen,* 1788; *Geodäsie, zum Gebrauch auf Schulen,* II Partes 1790; *Ueber Electrometer* 1791; *Ueber die Paralaxe und Grösse der Fixsterne* 1794; *Handbuch der Forstwissenschaft &c.* IV tomis 1801—1805; *Ueber die Besteuerung des Holzbodens* 1803; *Die Visierkunst,* 1810; *Statistik und Dynamik der Physik* II tomis 1812. 1813; Die Kosmogenie, 1815; *Die höhere Geodäsie,* 1816; *Ueber die Grundsteuer,* 1818; *Praxis*

Ao. 1826.

der Güterarrondirung, 1819; al. Locupletiorem catalogum vide sis in vita, quam sibi ipse scripsit. Multa etiam inseruit in *Dingleri „Polytechnisches Journal“,* T. VIII—XII. XV.

D. *Gotthilf Henricus* **Schubert,** Hohensteinensis Schönburgicus 26 Aprilis 1780 natus, Parochi Augustanae confessionis filius, Greizii et Vimariae inferioribus enutritus studiis anno 1800 Lipsiam se contulit theologiae studiosus. Jam vero post anni decursum in alma Jenensi Universitate artem medicam amplexus est eamque per biennium exercuit. Tum Fribergam (Hermundurorum) invisit, *Wernerum* potissimum auscultaturus; atque inde Dresdam abiit, ubi plures de rebus naturae lectiones cum eximio auditorum applausu habuit. Anno autem 1809 Norimbergam evocatus scholae, in qua artes ad vitae usum pertinentes traduntur (Realschule) per integros septem annos praefuit; deinde in Aula Suerinio-Megalopolitano liberos serenissimi **Friderici Ludovici** *Principis tunc Magno-Ducis haereditarii* instituit. Sed jam triennio post, ut publicum docendi munus susciperet, humanissime invitatus Erlangam profectus est, ibique summo philosophici doctoratus gradu insignitus scientiarum naturalium cathedram recepit, unde anno 1826 ex clementissimo decreto in almam Ludovico-Maximilianeam Universitatem translatus, Regis a Consiliis in re metallica (k. Bergrath) et doctrinae de rebus naturae Professor p. o. designatus est. Hujus pretiosissimi viri scripta jam antequam huc pervenit publicis typis edita haec sunt praecipua: *Von der Anwendung des Galvanismus bei Taubgeborenen,* Dissert. ex lat. serm. translata, Lips. 1805; *Ahnungen einer allgemeinen Geschichte des Lebens,* P. I. Lips. 1806, P. II. tom. 1. 2. ibid. 1820. 8; *Untersuchungen über die Verhältnisse der Grösse und Excentritäten der Weltkörper,* Dresd. 1808. 8; *Ansichten von der Nachtseite der Naturwissenschaften,* Dresd. 1808, Ed. II. ibid. 1817; *Die Symbolik des Traumes,* Bamberg. 1814; *Handbuch der Naturgeschichte zum Gebrauche bei Vorlesungen,* P. I. *Handbuch der Mineralogie* et P. II. *Handbuch der Geognosie und Bergbaukunde,* Norimberg. 1816, P. III. Sect. 1. 2: *Goldfuss Handbuch der Zoologie* et P. IV. tom. 1. 2: *Nees von Esenbeck, Handbuch der Botanik,* Norimb. 1820 sq., P. V. *Handbuch der Kosmologie,* ibid. 1823. 8; *Lehrbuch der Naturgeschichte,* Erlang. 1823 (duodevicies postmodo recus.); *Die Urwelt*

Ao.
1826. *und die Fixsterne*, Dresdae 1825; *Altes und Neues aus dem Gebiete der inneren Seelenkunde*, T. I. Lips. et Erlang. 1817, T. II. ib. 1824. 8; *Wanderbüchlein eines reisenden Gelehrten durch Salzburg, Tyrol und die Lombardei*, Erlang. 1823. 12; *Claudii Marcelli Errettung in und aus der türkischen Gefangenschaft*, ib. 1825, 8; *Reise durch das südliche Frankreich und Italien*, ibid. 1826; *Züge aus dem Leben des Joh. Fr. Oberlin, gewesenen Pfarrers in Steinthal*, Norimb. 1826. 8, atque inde octies recusa.

D. *Henricus Augustus* **Vogel**, Rudolphi Augusti celeberrimi chemiae Professoris Göttingensis Nepos, 25 Julii 1778 Westerhofii prope Göttingam in regno Hannoverano natus absolutis in Germania studiis suis anno 1802 Parisios se contulit, ut ibi ducibus *Fourcroyo*, *Vauquelino* aliis viris peritissimis perfectiorem sibi chemiae et artium naturalium cognitionem compararet; ibique 7 Octobris 1805 philosophiae Doctor creatus statim Praeparator in schola pharmaceutica, post etiam in caesareo lyceo Napoleoneo physicalium collectionum Conservator designatus est. Qui quum dissertatione chimico-pharmaceutica *„Sur la graisse et quelques médicaments dont elle est l'excipient“*, quam in societate pharmaceutica Parisiensi legit et Parisiis 1806 typis edidit, aliisque permultis in ephemeridibus *„Annales de Chemie“* et *„Journal de Pharmacie“*, quarum ipse auctor et adjutor fuit, evulgatis commentationibus versisque in linguam Gallicam libris, velut *„Klaprothii Chemisches Wörterbuch“* cum annotationibus, IV tomis Parisiis 1810, item *„Remerii Lehrbuch der polizeilich-gerichtlichen Chemie“* T. I. ibid. 1816. 8, nec minus habitis viva voce lectionibus per tredecim fere annos magis magisque inclaruisset, anno 1816 regiae scientiarum Academiae Monacensis vocationem secutus Monachium pervenit, et postmodo ab augustissimo Rege Ludovico die 3 Octobris h. a. etiam in Universitate illuc translata Chemiae Professor p. o. designatus est.

D. *Joannes Nepom.* **Fuchs**, scientiarum Academiae Monacensis in ordine socius et primarius publici thesauri mineralogici Conservator, qui modo triennio abhinc Landishutum reliquit, hoc ipso anno ac die in eadem Ludovico-Maximilianea Universitate nunc Monacensi rursus Mineralogiae Professor p. o. nominatus est. Quo brevi tempore interjecto vir doctissimus novos sibi jure

Ao. 1826.

merito congessit honores. Jam enim paulo post suam a cathedra avocationem, die nempe 14 Januarii 1824 a centrali pro regno Bavarico polytechnicae societatis delectu in sanctius consilium assumtus, et prima, quam die 27 Martii in solenni Academicorum consessu peroravit, commentatio *„Ueber den gegenwärtigen Einfluss der Chemie und Mineralogie“* communi omnium qui aderant applausu excepta est. Rex autem gloriosissimus **Maximilianus Josephus** non ita multo post eidem majorem numum aureum in memoriam sui excusum atque insuper centum aureos quos ducatos vocant, clementissime dono dedit. Cum enim in eo esset, ut theatrum aulicum ao. 1823 incendio deletum hoc tempore reficeretur, et artis peritissimi viri diu deliberarent, quomodo pretiosiores in posterum decorationes et ornamenta aliaeque res tutae ab igne possent servari; ea, quam *Fuchsius* noster invenerat materia, chemica nempe commixtio siliciae terrae cum nitro, quae Germanice dicitur *„Wasserglas“* saluberrimum omnium remedium fuit comprobata. Commentatio, quam ea de re scripsit, in *Kastneri „Archiv für die gesammte Naturlehre“* 1825. T. V. p. 385 sed etiam seorsim publicis typis edita est.

Carolus Fridericus Phil. **de Martius**, Ernesti Guilielmi medicamentarii aulici Erlangensis filius et ipse Erlangae natus anno 1794, studiis humanioribus ibidem absolutis medicinae Candidatus Albo academico nomen dedit, et receptis in philosophia et medicina summis honoribus anno 1817 jussu ac sumtibus gloriosissimi **Maximiliani Josephi** *Regis Bavariae* unacum clarissimo *Jo. Spixio* regiae scientiarum Academiae socio iter instituit in Brasiliam et amplissimis suis sollertissimisque de illa terra disquisitionibus tantam sibi peperit famam, quanta nemo unquam peregrinatorum inter Germanos usus est, si unum celeberrimum *Alexandrum de Humbold* excipias. Post suum autem ex itinere reditum anno 1820 a potentissimo Rege ordine equestri civilibus de corona Bavarica meritis dicato insignitus et regiae scientiarum Academiae Monacensis socius in ordine adlectus simulque secundarius horti botanici Conservator et 3 Octobris 1826 in hujate alma Ludovico-Maximilianea Universitate Botanices Professor p. o. designatus est. Literaria, quae Philippus *de Martius* jam eousque edi curavit, monumenta praestantiora sunt: *Plantarum horti Erlan-*

Ao. 1826. *gensis enumeratio,* dissert. inaug., Erlang. 1814. 8; *Flora cryptogamica Erlangensis &c.* c. II tabb. aeneis et IV tabb. lapidi incis. Erlang. 1818; *Plantae nonnullae horti academici Monacensis*, cum 4 tabb. lithogr. Monach. 1817. 4; *Fasciculus plantarum herbarii academici aut plane nondum aut minus bene descriptarum,* c. octo tabb. aeneis, Monach. 1820. 4; *Reise in Brasilien auf Befehl Sr. Maj. des Königs Max Joseph von Bayern in den Jahren* 1817—1820, T. I. Monach. 1823. 4; *Genera et species palmarum*, quas in itinere per Brasiliam suscepto depingi curavit, Fascc. I. II. c. tabb. 49 aeneis, lithogr. et coloratis, Monach. 1824. fol., Fascc. III. IV. c. tabb. 58, ibid. 1825. fol. Imperial.; *Palmarum familia ejusque genera denuo illustrata*, Monach. 1824. 4; *Die Physiognomie des Pflanzenreiches in Brasilien, Rede &c.*, ib. 1824. 8; *Nova genera et species plantarum*, quas in itinere per Brasiliam depingi curavit, et secundum auctoris schedulas digessit D.r *Zuccarini,* c. 300 tabb. pictis, Vol. I. fasc. I. II. ibid. 1824, fasc. III. ib. 1825. 4 imper.; *Charte von Brasilien,* II foliis unacum collega *Spexio* ed. ib. 1826 fol.; *Hortus botanicus regiae Academiae Monac.* c. tabb. lithogr., ibid. 1825. 4.

D.r *Fridericus Guilielmus* **Thiersch**, Kirchscheidungae prope Friburgum ad Unstrut die 17 Junii 1784 natus, literas humaniores Numburgi et Portae didicit, iisque optime imbutus anno 1804 Lipsiam profectus theologicis simulque philologicis studiis egregiam per triennium operam impendit. Inde in alma literarum Göttingensi Universitate totum sese dedit philologiae, et impetrata prius venia legendi Professor in Gymnasio designatus veterum linguarum peritia, qua insigniter pollebat, tradendique easdem singulari methodo tantam sibi brevi peperit commendationem, ut jam anno 1809 **Maximilianus Josephus** *gloriosissimus Bavariae Rex* virum ita fama promotum Monachium evocaret. Ibi primum in gymnasio, biennio autem post in regio lyceo graecas literas et latinas artiumque liberalium historiam docens philologica studia quasi de novo excitavit et medias inter nonnullorum obtrectationes insignem illam scholam condidit philologicam, quae anno 1812 cum regia scientiarum Academia unita *„Acta Philologorum Monacensium“*, praeclarissimum opus tribus tomis (Monach. 1811—1826)

Ao. 1826.

regiis sumtibus evulgavit multosque viros eruditione scriptisque claros progenuit. Interea *Thierschius* philologico Instituto Praefectus jam die 22 Decembris 1811 scientiarum Academiae adjunctus eidemque quadriennio post socius in ordine adlectus non solum literarum studiis assidue vacavit, verum etiam publicis rebus animum advertit, gnavissimamque suam operam dicavit. Quod quidem maxime eluxit anno 1813, quo, quum omnium ordinum cives pro vindicanda Germaniae libertate ad arma fuissent evocati, ipse et oratione et exemplo juvenes literarum studiosos ad amorem patriae excitavit. Neque minus sibi cordi fuerunt res Graeciae novissime tunc restauratae, ut nempe optimarum artium disciplinis, civium saluti et incolumitati regni quam potissimum consuleretur. Quem in finem anno 1814 Vindobonam profectus illustrissimum *Comitem de Capodistrias* in constituenda humanissima, quam *„Musis amicorum hetaeriam“* vocabant, sodalitate maximopere adjutabat. Feriis idem auctumnalibus usus ex anno 1822 semel atque iterum literarum causa in Italiam iter fecit, ut maximorum artificum manibus perfectas tabulas et statuas suis oculis inspiceret et unacum Schornio et Klenzéo quos secum habuit artis peritissimos viros quasi aurificis statera examinaret. Opera autem ab eo jam antequam lectiones suas in Universitate auspicatus est, seorsim typis edita haec sunt: *Tabellen, enthaltend eine Methode, die griechischen Paradigmen einfacher und gründlicher zu erlernen,* Gotting. 1808 fol. (Edit. II. ibid. 1811, Ed. III. ib. 1813); *Specimen eruditionis „Symposii“ Platonis*, quo lectiones suas auspicatus est Göttingae 1809. 8; *Betrachtungen über die angenommenen Unterschiede zwischen Nord- und Süd-Deutschland,* Editio I et II. Lips. 1810. 8; *Griechische Grammatik des gemeinen und homerischen Dialekts für Anfänger*, Lips. 1812. 8 (Ed. II. ib. 1819); *Ueber die Gedichte des Hesiodus, ihren Ursprung und Zusammenhang mit denen des Homers,* Monach. 1814. 4; *Griechische Grammatik, zum Gebrauche für Schulen,* Lips. 1815. 8; *Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen* (tres commentationes, quas praelegit in publ. sess. regiae scientiarum Academiae Monacensis) ed. Mon. 1816—1825; *Griechische Grammatik, vorzüglich des Homerischen Dialekts,* Edit. II auctior ac penitus retractata, Lips. 1818, 8; *Lobschrift auf Karl Wilh.*

Ao. 1826.

Fridr. v. Breyer, Monach. 1818. 8; *Fr. Heinr. Jacobi nach seinem Leben dargestellt* (juvantibus Cajet. *de Weiller* et Fr. *Schlichtegroll*) ibid. 1819. 8; *Bearbeitung des Pindar,* II tomis Lips. 1820. 8; *Vorschlag zur Errichtung einer deutschen Legion in Griechenland,* Monach. 1821. 4; *Hülfsbücher zur Erlernung des Griechischen nach des Verfassers beiden Grammatiken der griechischen Sprache,* Lips. 1822. 8; *Intorno due statue del Museo Vaticano e sulla espressione degli affecti nelle opere di arte antica,* lettere a Ch. Signore *Cavaliero Tambroni,* Rom. 1823. 8; *Vorläufige Nachricht von dem k. Antiquarium,* Monach. 1825. 8; *Ueber eine griechische Gemma literata im Besitze Sr. Majestät des Königs von Bayern,* ib. 1825. 4; *Reisen in Italien seit* 1822 (juvante *Schornio* et *Klenzeo* edita) T. I. Lips. 1826. — Sed ad hunc praeclarissimum Professorem nunc academicum quovis paene anno in his annalibus sermo redibit.

D. *Jo. Carolus Ludovicus* **Schorn,** Castellensis Franco, 9 Junii 1793 natus patre usus est Consiliario illustrissimi S. R. J. *Comitis de Castell.* Absolutis in urbe natalitia studiis inferioribus octodecim annorum adolescens proprio motu theologiae se dedit, eique in literarum Universitate Erlangensi tam prospero successu per triennium operam navavit, ut brevi post in eodem Gymnasio, quo ipse fuerat eruditus, magisterii munus obtineret. Jam vero a teneris et medias inter novi hujus officii occupationes iterum atque iterum naturae quasi insitus quidam optimarum artium amor juvenis animum excitavit, ut continuo fere haesitaret, quid facere deberet, donec adhortante praecique celeberrimo *Sulpicio Boisseréo* omne studium in effectivis artibus ponendi consilium cepit. Anno igitur 1816 Monachium se contulit, ubi praeter alios VV. DD. perillustrem Liberum Baronem *Hallerum de Hallerstein* eximium sibi fautorem invenit, jamque biennio post primum ingenii sui specimen *„Ueber die Studien der griechischen Künstler“* singulari statim applausu exceptum edidit. Postero anno (1819) Dresdam profectus est, ut pretiosissimos ibi operum et artificiorum thesauros curatius inquireret, et novo inito cum *Ottfriedo Müllero* amicitiae foedere Stuttgardiam abiit, ibique duce potissimum *Boisseréo* ephemeridis artium adornandae negotium suscepit, haud parum eo tempore doctissimorum virorum et in his *Matthis-*

Ao. 1826.

sonii, Schellingii, Creuzeri aliorum usu et consuetudine adjutus. Annis deinde proxime sequentibus (1822 et 1823) cum comitatu illustrissimi *Erwini Comitis de Schönborn* in Italiam Galliamque profectus est, cujus itinerarii partem aliquam post suum in patriam reditum in clarissimi *Thierschii* opere *„Reisen in Italien“* tomo I evulgavit, eodemque tempore *Tischbeinii „Homer nach Antiken“* aliasque complures commentationes in *Böttingeri „Amalthea“* et in *Annalibus Heidelbergensibus* publici juris fecit. Vir ita fama promotus et ab Universitate Erlangensi philosophici doctoratus gradu honoris causa insignitus a **Ludovico** *gloriosissimo Bavariae Rege* die 3 Octobris h. a. in regia effectivarum artium Academia Monacensi historiae earundem Professor et generalis Secretarii vice fungens simulque in alma literarum Universitate Aesthetices Prof. clementissime designatus est.

D^r *Othmarus* **Frank**, Bambergae 8 Maji 1770 civicis parentibus natus studiis ibi tam gymnasialibus quam philosophicis peractis Ordinem S. Benedicti in monasterio Banzensi professus et 24 Junii 1794 presbyter ordinatus est. Primum in coenobio suo Novitiis mathematicam, postea in publico Lyceo Bambergensi philosophiam tradidit; sed ex tempore, quo monasterium suum per communem saecularisationem suppressum fuit, studiis praesertim linguarum orientalium, persicae potissimum et sanscritae sese dedit. Anno autem 1812 Monachium translatus et sequentibus annis, ut literas istas penitius edisceret, Parisios et Londinum publicis sumtibus missus est. Inde 1817 reversus a scientiarum Academia Monacensi socius extra ordinem adlectus et regio decreto dd. 22 Martii 1821 linguarum orientalium Professor in Universitate Herbipolitana, 3tio autem Octobris 1826 in hujate Ludovico-Maximilianea linguae sanscritae Professor p. o. designatus est. Hujus plurimum reverendi ac modestissimi viri scripta, quae ad hunc ipsum annum usque maxime suis sumtibus evulgavit, haec sunt: *Andenken an Ildephons Schwarz*, Bamberg. 1794; *Das Licht vom Orient*, Norimb. 1808; *De Persidis lingua et genio*, Commentationes, Norimb. 1809; *Persien und Chili, Sendschreiben an Alexander v. Humboldt*, ibid. 1813; *Ueber die morgenländischen Handschriften der k. Hof- und Central-Bibliothek zu München*, Monach. 1814; *Der biblische Orient*, ib. 1820; *Chrestomathia Sans-*

Ao. 1826. *crita,* quam e Codd. Mss. adhuc ineditis Londini exscripsit &c. Monach. II. Partt. 1820. 8; *Grammatica Sanscrita,* nunc primum in Germania edita &c. Wirceburg. 1821; alia quae leguntur in *Commentationibus* scientiarum Academiae Monacensis.

Josephus Eques **de Maffei,** Clesyanus dioeceseos Tridentinae ex antiqua nobili familia Bononiensi, patre Cancellario reverendissimi Principis et Episcopi Tridentini die 27 Maji 1775 natus SS. theologiae studiis in alma tunc Salipolitana Universitate operam dedit, et 2 Junii 1798 Sacerdos ordinatus literarum causa iter in Italiam suscepit. Inde Salisburgum reversus anno 1805 academicus italicarum literarum Professor designatus est. Postquam autem terra Salisburgensis in Bavaricam venerat ditionem et quae ibi eousque floruit Universitas fuerat suppressa (1810), praenobilis *Eques de Maffei,* Paduanae et Aretinae scientiarum Academiarum socius, italicam linguam aliquamdiu in regio Lyceo publice docens tam insignem sibi peperit laudem, ut, cum terra ista in Austriacam rediret potestatem, a potentissimo *Rege* **Maximiliano Josepho** die 21 Junii 1817 Monachium evocaretur, ubi regius Consiliarius regiique Principis *Maximiliani celsissimi Ducis in Bavaria* Capellanus aulicus nominatus per plures annos item in Lyceo et Gymnasio, novissime vero ex clementissimo decreto die tertio Octobris in alma illuc translata Universitate italicae linguae ac literaturae Professor designatus est. Scripta autem ab eodem hucusque publicis typis edita sunt: *Il vero Christiano,* racolta di preghiere, Salisburg. 1808 (Ed. II. ibid. 1809); *Anthologia italiana &c.* II Voll. ibid. 1813. 12; *Scelta di poësie italiane,* Monach. 1818. 8; *Italienisches Lesebuch für Anfänger,* II Voll. ibid. 1818 (Edit. II. 1820, Ed. III. 1824) 8; *Theoretisch-praktische italienische Sprachlehre,* quam adjuvante *Petro Claude* ed. Monach. 1825. 8; *Storia della letteratura italiana dell' orgine sino al seculo XIX,* III Voll. Mediolan. 1825. 12.

D. *Petrus* **Claude,** Habbacensis Alsatus natus 5 Februarii 1775, puer duodecim annorum Monachium pervenit. Studiis ibi inferioribus peractis Romam se contulit, ubi receptus in Collegio Germanico die 23 Decembris 1797 cum titulo missionum presbyter ordinatus et proxime futuro anno pro cura animarum approbatus est. Summis autem ibidem in Philosophia et SS. Theologia

honoribus insignitus in Bavariam rediit, et primum quidem die 17 Novembris 1805 in Electorali Gymnasio Straubingano Franco-gallicae linguae Professor nominatus, 24 Nov. 1806 pari conditione Ambergam translatus, octavo denique Octobris 1809 via praesentationis Parochus in Weichenried et Zell prope Pfaffenhofen canonice institutus est. Quinquennio autem post per clementissimum decretum dd. 24 Julii 1814 Monachium vocatus iterum linguam Gallicam in regio Gymnasio et Lyceo per duodecim annos publice docuit et 3 Octobris 1826 etiam in hac alma nostra Universitate literarum Gallicarum Professor designatur. Ao. 1826.

D.r *Henricus* **Fick,** de cujus tamen vita ante acta nihil omnino quod referam compertum habeo, literis anglicis aliquamdiu Erlangae (privatim an publice, nescio) traditis eodem cum supradictis *Claudio* et *Maffëo* tempore clementissime in hujate literarum Universitate Professor institutus est, linguam Anglicam traditurus. Verum is jam postero anno cum nobili quodam Anglo in Galliam abiit, nec unquam videtur rediisse. Saltem acta nostra, ut de antecedentibus ita etiam de ulterioribus hujus viri fatis altum silent.

Extraordinarios autem in eadem Facultate Professores Rex dicto die tertio Octobris clementissime designavit sex; et hi quidem sunt:

D.r *Franciscus de Paula* **Gruithuisen,** in antiqua equestri arce Haltenbergensi ad Lycum sita 19 Martii 1774 natus, patre usus est falconario, qui a serenissimo *Electore Maximiliano III.* in Bavariam fuerat evocatus. Linguas quidem ille tam graecam quam latinam haud mediocriter edoctus, humaniora tamen studia et chirurgica, quibus praecipuam dedit operam nondum absolutis quatuordecim annorum adolescentulus jam oborto anno 1788 bello Turcico in Austriaco exercitu voluntariam extra ordinem militiam professus et castrensis chirurgiae tiro assumtus est. Mortuo autem patre suo in officialium *Caroli Theodori* Electoris Bavarici numerum adlectus et per illustrissimum quendam in Aula fautorem nactus est facultatem in literarum Universitate Landishutana studia tam philosophica quam medica per aliquot annos prosequendi, quibus exantlatis anno 1808 summos in medicina et chirurgia honores recepit, et paulo post Monachii in schola medico-

Ao.
1826. chirurgica, quae ibi floruit, Physices, Chemiae, Zootomiae et Anthropologiae cathedram capessivit. Atque in hac publica professione continuo permansit usque ad annum 1824, licet ab extraneis Universitatibus Friburgensi et Breslaviensi humanissime fuisset et sub egregiis conditionibus illuc invitatus. Postquam inde anno 1825 et proxime sequente factis literarum causa per Germaniam itineribus honorificentissima doctorum virorum aestimationis ubique specimina reportans Monachium rediit, clementissimo regio decreto Astronomiae Professor publicus extraordinarius in regia illuc translata literarum Universitate nominatus est. Ab eo, quo Doctoratus gradu fuerat insignitus, tempore usque ad hunc ipsum annum multa literaria vir spectatissimus cum seorsim typis edidit monumenta, tum variis Ephemeridibus inseruit. Ut enim taceam, quae in ephemeride *Salisburgensi „Medizinisch-chirurgische Zeitschrift“;* in *Okenii „Isis“,* in *Bodéi „Astronomische Jahrbücher“,* aliis opp. collectaneis inserenda curavit, peculiares quoque jam tum permultas elucubraverat commentationes, nempe: *Naturhistorische Untersuchungen über den Unterschied zwischen Eiter und Schleim durch das Mikroskop*, c. tab. Monach. 1809; *Ueber die Existenz der Empfindung in den Köpfen und Rümpfen der Geköpften, und von der Art, sich darüber zu belehren*, Norimberg. 1809; *Anthropologie oder Von der Natur des menschlichen Lebens und Denkens, für angehende Philosophen und Aerzte*, Monach. 1810; *Die Naturgeschichte im Kreise der Ursachen und Wirkungen, oder die Physik historisch bearbeitet*, ibid. 1810; *Organozoonomie oder über das niedrige Lebensverhältniss als Propädeutik zur Anthropologie &c.* ib. 1811; *Ueber die Natur des Kometen mit Reflexionen auf ihre Bewohnbarheit und Schicksale &c.* c. tabb. lithogr., ibid. 1811; *Von den Beschaffenheiten, statt einer Methaphysik des Sinnlichen,* ib. 1811; *Beiträge zur Physiognosie und Heautognosie für Freunde und Naturforscher &c.,* ibid. 1812; *Neuer kosmotheologischer Beweis von der Existenz Gottes . . ., veranlasst durch Hrn. Fries's neue Schrift von deutscher Philosophie &c.,* Landish. 1812; *Hippokrates des Zweiten ächte medizinische Schriften in's Deutsche übersetzt, . . Taschenbuch für junge Aerzte*, Monach. 1814; *Phys.-astronomische Beobachtungen des Saturn, Mars, des Mondes, der Venus und Sonne,* in *Bodéi „Astronomische Jahrbücher“* pro ao.

Ao. 1826.

1817; *Lieblingsobjekte im Felde der Naturforschung,* Monach. 1817; *Ueber Naturforschung, nebst Anhang &c.* Aug. Vind. 1824; *Handbuch der Vorbereitungslehre an den k. bayer. Schulen für Chirurgie*, etiam s. t. *Einleitung in das Studium der Arzneikunde, . . nebst Register und Anhang,* Norimberg. 1824; *Gedanken und Ansichten über die Ursachen der Erdbeben, nach der Aggregationstheorie der Erde,* ibid. 1825.

D.r *Franciscus* **Eques de Kobell,** filius perillustris *Innocentii* regii in supremo appellationum judicio Monacensi Consiliarii et *Ferdinandi* celeberrimi pictoris a patre nepos, natus est Monachii 19 Junii 1803. Absolutis autem humanioribus ibidem studiis Landishutum se contulit, ubi exantlatis rigorosis examinibus habitaque publica disputatione mense Augusto 1823 summos in philosophia honores recepit. Jam eodem anno die 28 Octobris in regia scientiarum Academia Monacensi mineralogicarum collectionum Conservatori in adjutorium adjunctus et triennio post etiam in translata illuc literarum Universitate Ludovico-Maximilianea die 3 Octobris extraordinarius Mineralogiae Professor nominatus est. De quo perillustri Doctore multoties in his annalibus mentio fiet.

D.r *Jos. Gerardus* **Zuccarini,** ludionis filius, Monachii 10 Augusti 1797 natus, literisque humanioribus in regio Gymnasio et Lyceo Monacensi vix absolutis studiis praesertim entomologicis et herbariis allectus omnes circa urbem patriam regiones ratione vegetationis tanta perscrutatus est industria ac diligentia, ut tum jam venerabilis *Schrankius* optima quaeque de eo speraret atque confideret, eum sibi suo tempore maximo futurum esse adjumento. Ita praeparatus anno 1815 literarum Universitatem Erlangensem adiit, et medicinae quidem nomen dedit non tamen eo consilio, ut inde quasi victum aliquando quaereret, sed quatenus per illam perfectiorem sibi de rerum natura cognitionem posset comparare. His enim potissimum, quae de rerum naturis agunt, studiis omnem operam navare sibi proposuit. Doctoratu insignitus sub ferias autumnales 1819 Monachium reversus se totum dedit Botanicae illustrissimo *Schrankio* duce utens et magistro. Anno deinde proxime secuto, quo clarissimi doctores Jo. Bapt. *Spix* et Car. Frid. Phil. *Martius* e Brasilia in patriam redierunt, Zuccarini ad ordinandum et perscribendum herbarium a doctissimis viris inde trans-

Ao. 1826. latum assumtus egregiam sibi commendationem promeruit. Quapropter ao. 1823 scientiarum Academiae Adjunctus in regio Lyceo Monacensi, postero autem anno etiam in schola medico-chirurgica ibidem condita publicam Botanicae cathedram obtinuit, et die 3 Octobris 1826 ejusdem artis Professor extraordinarius in alma Ludovico-Maximilianea literarum Universitate designatus est. Literario orbi jam innotuit elucubratis opusculis quae inscribuntur: *Annotationes nonnullae ad Floram Erlangensem*, insertt. in *„Flora oder Botanische Zeitung“* 1821. T. II. p. 605; *Botanische Notizen über eine im Juli* 1823 *nach Tyrol und Oberitalien gemachte Reise,* ibid, 1824. T. I. p. 257. 277. 302; *Viviani Flora Lybica,* ib. ao. 1824. T. II. p. 596 sqq.; *Monographie der amerikanischen Oxalit-Arten,* quam typis edidit in: *„Denkschriften der k. b. Akademie der Wissenschaften“* T. IX. 1825. p 125.

D.r *Jo. Bapt. Georgius* **Wagler,** Norimbergensis 28 Martii 1800 natus jam a pueritia varias sibi rerum naturalium collectiones instituit, quae multum ad excolenda ea studia conferebant, quibus vitam suam heu nimis brevem consecravit. Gymnasialibus disciplinis in urbe patria eruditus Universitatem Erlangensem adiit et egregia cum laude summos ibi tam in philosophia quam in arte medica honores recepit. Anno 1819 in generali zoologico et zootomico Conservatorio regiae scientiarum Academiae Monacensis Assistens assumtus et quadriennio post in officium Adjuncti promotus est. Eximiam autem et ingenii et industriae pariter insignis sibi promeruit commendationem ex pretiosissimo opere, quod cum perillustri Joanne Bapt. *de Spixio* elucubravit, Monachiique 1824 sub titulo *„Serpentum Brasilianarum icones et descriptiones“* emisit. Jussu deinde regio anno 1825 literarum causa iter suscepit, qua data occasione Parisiis, Londini, Lugduni Batavorum cum *Humboldto, Cuviéro,* aliis celeberrimis viris artiora commercii et familiaritatis vincula contraxit. Lustratis igitur praestantissimis ubique physiologicis thesauris domum reversus 3 Octobris 1826 in alma literarum Universitate nunc Monacensi extraordinarius Zoologiae Professor designatus est.

Josephus Andreas **Buchner,** cujus Annales nostri jam ad a. 1804 mentionem fecerunt, honorificam vocationem, ut in literarum Universitate Regiomontana catholicae Dogmaticae cathedram sus-

Ao. 1826.

ciperet, submississime deprecatus a serenissimo *Maximiliano Josepho* anno 1804 Philosophiae Professor Dilinganus, septennio autem post Ratisbonae Professor Historiarum, anno denique 1824 pari conditione in Lyceo Monacensi designatus, ibique etiam regiae scientiarum Academiae socius electus est. Haud mediocrem tum jam vir eruditissimus sibi comparavit commendationem editis in lucem libris varii argumenti. Extant enim ex eo tempore: *Religion, ihr Wesen und ihre Formen*, Dilingae 1805 (II Edit. Landishut. 1809); *Erkenntniss und Philosophie*, Landish. 1806; *Die Vernunftlehre oder Logik*, Monach. 1807; *Die ersten Grundsätze der Ethik*, Landish. 1809; *Reisen auf der Teufelsmauer, eine Untersuchung über Entstehung, Lage, Richtung und Ueberbleibsel der römischen Grenzwälle gegen Deutschland &c.* T. I. Ratisbon. et Mon. 1818; *Geschichte von Bayern, aus den Quellen bearbeitet: Aelteste Geschichte Bayerns &c.* c. chart. geograph., Ratisb. 1820; *Geschichte Bayerns unter den Karolingern*, ibid. 1821; *Geschichte Bayerns unter den Wahlherzogen*, ib. 1823; *Das öffentliche Gerichtsverfahren in bürgerlichen und peinlichen Rechtsvorfallenheiten nach altdeutscher, besonders altbayerischer Rechtspflege*, commentatio praemio coronata, Erlang. 1825; *Geschichte Bayerns unter den Welfischen Erbherzogen*, Ratisb. 1826. 8. — Cum igitur alma Ludovico-Maximilianea Landishuto Monachium esset transferenda, plurimum reverendus *Buchner* in eadem Historiae Bavaricae Professor designatus est.

Joannes Jacobus **Sendtner**, Monachii mense Augusto 1784 natus, ibidemque Gymnasii studia emensus anno 1807 in Ludovico-Maximilianea Universitate Landishutana Philosophiae Candidatus immatriculatus est. Biennio autem proxime futuro in discendo jure utroque ibi peracto anno 1810 in literarum Academia Heidelbergensi jurisprudentiam insigni cum laude absolvit. Inde domum reversus parentem in adornandis actis diurnis, quae s. t. *„Münchener politische Zeitung“* prodierunt, adjuvit, et aliquamdiu etiam in bibliotheca aulica occupatus anno 1819 in regio Lyceo Monacensi, anno autem 1826 in nova hujate sede Universitatis extraordinarius Aesthetices et Historiae elegantiorum literarum Professor nominatus est. Is variis jam dudum elucubratis literariis monimentis haud mediocriter se commendavit et in his qui-

Ao. 1826. dem seorsim edidit: *Gesellschaftsblatt für gebildete Künstler,* Monach. 1812. 4; *Gedichte,* Norimberg. 1812. 8; *Die Schlacht bei St. Jakob an der Birs im Jahre* 1444, *historisches Gedicht in vier Gesängen,* Basil. 1816. 8; *Bavaria oder Volkslieder und Gesänge vaterländischen Inhalts,* II Fascc. Monach. 1817. 1819. 8; *Londondery und Bonaparte,* ibid. 1822. 8.

Ad hos accesserunt etiam nonnulli viri perillustres jam aliis publicis muneribus ornati, qui ex eodem regio decreto honoris causa arcessiti sunt et invitati, ut alius aliam sibi sumeret provinciam publice tradendam: Franciscus et Josephus fratres *de Baader*, Max. Procopius *L. B. de Freyberg*, Albertus *Klebe*, Jos. Ernest. *de Koch-Sternfeld.*

D.r *Josephus* **de Baader**, *Francisci de Paula Baaderi* Electoralis Archiatri filius secundogenitus Monachii 1762 natus ibidemque gymnasialibus literis optime eruditus anno 1782 unacum fratre suo minori natu *Francisco* in Academia Ingolstadiensi rite immatriculatus est. Uterque medicinae et chirurgiae pro patris voluntate operam dedit et eodem die ac mense, sexto nempe Aprilis 1786 supremum medici doctoratus gradum sibi promeruit. Postero tamen tempore hac vitae conditione ultro abjecta ob eximiam suam in rebus technicis ingenii dexteritatem et industriam *Josephus Baader* non solum ex clementissimo Electorali decreto 1798 rei metallicae et machinarum fabricationi per totam Bavariam praefectus, sed anno 1808 etiam regio equestri ordine de Corona Bavarica meritorio insignitus ac simul Consiliarius intimus regii generalis metallorum et salinarum praesidii nominatus est. Multa sunt, quae vir praeclarissimus in patriae commodum invenit, tentavit et felicissime perfecit opera, nisus in egregia artis suae cognitione ac peritia, quam sibi susceptis intra annos 1788—1796 per Germaniam superiorem et Angliam atque iterum ao. 1815 per Francogalliam peregrinationibus comparavit, et elucubratis etiam libris contestatus est. Jam enim antequam publicum docendi munus suscepit, permultas in variis Collectaneis insertas ediderat commentationes, praesertim in *Baldingeri „Medizinisches Journal"*, in *Hübneri „Physik. Tagebuch"*, in *Grenii „Journal der Physik"*, in *Koehleri „Bergmännisches Journal"*, in ephemeride c. t. *„Oberdeutsche Literaturzeitung"* aliisque scriptis periodicis. Seor-

Ao. 1826.

sim autem publicis typis evulgarat: *Beschreibung eines neu erfundenen Gebläses*, cum 5 tabb. aeneis, Gotting. 1794; *Vollständige Theorie der Saug- und Hebe-Pumpen, und Grundsätze ihrer vortheilhaften Anwendung,* c. 6 tabb. aen., Baruthi 1797 (II Editio Hof. 1820); *Ueber einige der wichtigsten Fortschritte, welche im Maschinenwesen seit Anfang dieses Jahrhunderts besonders in England gemacht worden sind &c.* Monach. 1798; *Neue Vorschläge und Erfindungen zur Verbesserung der Wasserkünste bei dem Bergbau- und Salinenwesen,* c. 16 tabulis aeneis Baruth. 1800 (II Edit. Hof. 1822); *Ankündigung einer vollständigen Beschreibung verschiedener neuer Feuerspritzen &c.* Monach. 1800; *Beschreibung und Theorie des englischen Cylindergebläses,* c. 7 tabb. aen. Monach. 1805; *Project d'une nouvelle machine hydraulique pour remplacer l'ancienne machine de Marli &c.* Paris. 1805; *Bemerkungen über die von Herrn von Reichenbach angekündigte Verbesserung der Dampfmaschinen und Anwendung derselben auf Fuhrwerke,* Monach. 1818; *Ueber ein neues System der fortschaffenden Mechanik*, ibid. 1818; *Ueber die neuesten Verbesserungen und die allgemeine Einführung der Eisenbahnen*, ib. 1825; *Ueber die Vortheile einer verbesserten Bauart von Eisenbahnen und Wagen,* ib. 1826. His igitur publicis muneribus occupatus et elucubratis literariis monimentis clarissimus *Josephus de Baader,* jam anno 1811 a regia scientiarum Academia Monacensi in sodalicium ordinarium assumtus, novissime a gloriosissimo Rege *Ludovico* in hujate alma literarum Universitate doctrinae machinarum Professor honoris gratia designatus est.

D. *Franciscus* **de Baader**, *Josephi de Baader* supra laudati frater minor, itidem Monachii 27 Martii 1765 natus, postquam in tenerrima aetate cerebri inflammatione affectus tarde quidem sed feliciter a patre fuit persanatus, tam celeri ac prospero successu humaniores literas edoctus est, ut sedecim vixdum annorum adolescentulus cum fratre *Josepho* Ingolstadium mitteretur, medicinae operam daturus, et integrum ibi quadriennium emensus unacum fratre suo die 6. Aprilis 1786 summos in arte medica et chirurgica reciperet honores. Inde Vindobonam se contulit, ut duce potissimum celeberrimo professore *Stollio* scientias suas penitius excoleret. Reversus autem Monachium patrem multiplici

Ao. 1826. medica exercitatione occupatum insigni consilio suo et dexteritate adjuvit; verum etiam brevi intellexit, se suo imparem esse officio, cum scilicet pro sua corporis imbecillitate dolorem cruciatumque aegrotorum saepe adeo commiseraretur, ut suam ipse valetudinem in discrimen vocaret. Itaque ab officio medici recessit, et arti rei metallicae operam dedit; et postquam aliquamdiu in officina metallica posuerat tirocinium, anno 1788 Academiam Fribergensem frequentavit, ibique adjuvante clarissimo *Wernero* egregias sibi comparavit Oryctognosiae et Geognosiae scientias. Triennio autem illic peracto iter instituit et comitante fratre suo in Germaniam septentrionalem, deinde in Angliam Scottiamque profectus suis oculis praestantissima ubique metalla lustravit. Tandem ao. 1798 in Bavariam reversus, serenissimi Electoris a supremis in re metallica consiliis designatus et decennio post unacum fratre suo supra dicto cruce civilibus de Corona Bavarica meritis dicata decoratus est. A regia scientiarum Academia Monacensi anno 1813 socius in ordine adlectus, philosophiae ac scientiis naturalibus eo lubentius omnem operàm impendit, quo molestius cancellariae officium (Kanzlei- seu Bureau-Dienst) ferebat. Jam enim paulo post suum ex Anglia reditum complures philosophici generis commentationes publicis typis evulgaverat. Quo factum est, ut *Franciscus de Baader* anno 1820 a publico quo eousque fungebatur munere ministeriali ad tempus dimitteretur imminuto tamen annuo salario, quod ex eo tempore in aerarium amortisationibus destinatum (Amortisationskasse) abiit, et anno, quo Universitas Ludovico-Maximilianea Monachium translocata est, vir illustrissimus Philosophiae Professor honorarius designaretur. Permagnus autem numerus est earum, quas jam ante susceptam cathedram academicam elucubraverat commentationum; nempe: *Vom Wärmestoff, seiner Vertheilung, Bindung und Entbindung &c.*, Vindobon. et Lipsiae 1786; *Beiträge zur Elementar-Physiologie*, Hamburg. 1797; *Ueber das pythagoräische Quadrat in der Natur, oder die vier Weltgegenden*, Tubing. 1798; *Versuch einer Theorie der Sprengarbeit*, ibid. 1798; *Ueber das sogenannte Freiheits- oder das positive Staatswirthschafts-System*, Monach. 1802; *Beiträge zur dynamischen Philosophie im Gegensatze der mechanischen*, Berolin. 1809; *Ueber die Begründung der Ethik durch die Physik*, Monach.

Ao. 1826.

1813; *Ueber das durch die französische Revolution herbeigeführte Bedürfniss einer neuen und innigeren Verbindung der Religion mit der Politik,* Norimb. 1815; *Ueber den Blitz als Vater des Lichts,* Monach. 1816; *Ueber die Exstase oder Verzücktheit der magnetischen Schlafenden,* II fascc. Monach. 1817 sq.; *Sur la notion du tems,* ib. 1818; *Ueber die Vierzahl des Lebens, aus einem Schreiben an den Herrn Grafen von Stourdza,* Berol. 1818; *Sätze aus der Bildungs- und Begründungslehre des Lebens,* Berol. 1820; *Ueber die Verbindung der Donau mit dem Rhein und Main &c.,* Solisbac. 1822; *Ueber Divinations- und Glaubenskraft,* ib. 1822; *Fermenta cognitionis,* Fasc. I—IV, Berol. 1822—1824; *Bemerkungen über einige antireligiöse Philosopheme unserer Zeit,* Lipsiae 1824; *Vom Segen und Fluch der Creatur, drei Sendschreiben an Prof. Görres,* Argentorat. 1826.

Illustrissimus *Maximilianus Procopius* **L. B. de Freyberg,** Frisingae die tertia Januarii 1789 ex antiquissimo nobili genere natus, patre usus est celsissimi ac reverendissimi Principis et Episcopi Frisingensis supremo venatorum Magistro, qui quum ao. 1797 cum familia sua se contulisset Monachium, filium suum literis optimisque artibus primum ibidem, post in celeberrimo Theresiano Vindobonensi ac deinde in hujate regia domo educatoria puerorum e regia cohorte nobilium (k. Pagerie) erudiendum curavit. Sub finem anni scholastici 1807 *Maximilianus Procopius* Ludovico-Maximilianeam Universitatem Landishutanam adiit et jurium Candidatus Albo academico nomen dedit. Absolutis autem per triennium Jurisprudentiae studiis iter in Italiam cognoscendae antiquitatis gratia suscepit, et lustratis etiam Parisiis operum et artificiorum thesauris Monachium rediit ibique anno 1812 legitimum pro publico capessendo munere tentamen egregie sustinuit. Unde brevi post illustrissimo Comiti *de Rechberg,* tunc temporis legato regio ad latus datus et ao. 1816 Regis a legationum Consiliis nominatus est, quocum munere sibi ad scrinia secreta patebat aditus. His autem fundamentis positis mox ad altiores honoris dignitatisque gradus ascendit. Scientiarum enim Academiae Monacensis socius adlectus Calendis Januarii 1824 Regis a Consiliis ministerialibus, die 29 Decemb. 1825 regni tabulario praefectus (Direktor des Reichs-Archivs) et anno proxime sequente in

Ao. 1826. literarum Universitate Landishuto Monachium translata Historiarum Professor honoris gratia designatus est. Ex scriptis ejus eo usque editis sufficiat recensere: *Die älteste Geschichte von Tegernsee,* Monach. 1822; *Sammlung von* 370 *lateinischen Rechtsregeln mit deutscher Uebersetzung und Erläuterung, nebst Anhang von* 20 *Rechtsregeln und Register &c.* August. Vind. 1823; *Tagebücher aus Rom und Venedig,* II fascicc. Monach. 1821—1824; *Ueber das altdeutsche öffentliche Gerichtsverfahren,* commentatio praemio donata, Landish. 1824. 8.

D.r *Albertus* **Klebe,** Bernburgensis 16 Septembris 1779 natus literarum studiis per annos 1792—1795 in Halensi Universitate vacavit et receptis summis in philosophia honoribus Wirceburgi Professor nominatus, triennio autem post Monachium evocatus est, ubi variis officiis fungens praecipue in edendis publicis ephemeridibus egregie se commendavit, ut Regis a Consiliis aulicis et 3 Octobris 1826 Geographiae et rei statisticae Professor honorarius in alma literarum Universitate nunc Monacensi designaretur. Scripta, quae eo usque edidit, haec fere sunt: *Erzählungen,* II tomi Magdeburg. 1798; *Katharina II, eine historische Skizze,* ibid. 1798; *Topographie von Gotha,* Goth. 1799; *Reise auf dem Rhein und durch das französische Rheindepartement,* II Voll. Francofurt. 1801 (II Edit. ibid. 1806); *Histor.-statistische Nachrichten von der berühmten Residenzstadt Weimar,* Lips. 1801; *Rheinländische Zeitung,* Francof. et Wirceb. 1802 usque ad 1804. III Voll. 4; *Fränkische Staats- und gelehrte Zeitung,* Wirceburg. 1805. 1806. II. 4; *Bayerische Nationalzeitung,* Monach. 1807—1820. XIV. 4; *Flora, Zeitschrift,* Monach. 1820—1831. X. 4.

Josephus Ernestus Eques **de Koch-Sternfeld,** natus 1778 in Mittersill Pinzgaviae superioris Salisburgensis, ubi pater ejus judex ruralis arcisque praefectus et Burggravius fuit, studiis tam gymnasialibus quam juridico-academicis in alma literarum Universitate Salipolitana egregie absolutis primum in judicio rurali Gastunensi jurium exercitio operam dedit, et anno 1801 a celsissimo ac reverendissimo Principe et Archiepiscopo *Hieronymo* (Colloredo) Salisburgum advocatus, ibique paulo post Consilii aulici Secretarius designatus est. Anno autem 1803 literarum causa Gottingam invisit et Germaniam superiorem peragratus post suum

Ao. 1826.

in patriam reditum commentationem ab Academia Petropolitana praemio ornatam *„Versuch über Nahrung und Unterhaltung in civilisirten Staaten“* Monachii 1805 evulgavit et alium libellum inscriptum *Rhapsodieen aus den norischen Alpen“* Landishuti eodem anno edidit. Quo facto a novo electorali Gubernio Salisburgensi Assessor cum voto ac sessione assumtus. deinde sub Austriaca ditione Commissarius gubernialis, et anno 1810 quo Salisburgensis Electoratus in Bavaricam venerat potestatem, Aerarii regii a Consiliis nominatus est. Quo quidem tempore non solum plures topographias elucubravit v. gr. *„Salzburg und Berchtesgaden“* II Voll. Salisburg. 1810; *„Das Gasteiner-Thal“* ibid. 1810; *„Notizen über Strassen- und Wasserbau in Salzburg“*, ib. 1811; verum etiam in ipso suo munere administrando per integrum fere quinquennium tantam sibi Superiorum commendationem laudemque peperit, ut augustissimus Bavariae Rex virum optime de re publica meritum jamque anno 1812 a regia scientiarum Academia Monacensi in societatem receptum proximo anno cruce equestri civilibus de Corona Bavarica meritis dicata insigniret et 1815 Monachium evocaret, ubi eum indito nomine Consiliarii a legationibus (Legationsrath) rei statisticae praefecit. Eodem fere tempore *Josephus de Koch-Sternfeld* jussu regio ephemeridem s. t. *„Zeitschrift für Geschichte, Geographie und Topographie von Bayern“* octo voluminibus Monachii 1816 sq. in lucem emisit, aliaque specimina literaria e. gr. *„Die Tauren“* Mon. 1820; *„Beiträge zur deutschen Länder-, Völker-, Sitten- und Staatenkunde,* II. Voll. ibid. 1825 sq. evulgavit. Anno igitur 1826 humanissime invitatus, ut in alma Monachium translata literarum Universitate publicas honoris causa de Geographia et Statistica lectiones susciperet, id lubentissime se facturum promisit.

Supra memorato clementissimo decreto dd. 3 Octobris Rectori magnifico et omnium Facultatum Professoribus singularis quidam, quo scilicet in promotionibus aliisque publicis solennitatibus uterentur, *vestitus forensis* conceditur. Est autem vestis ista omnibus communis talaris, quae defluit ad imos pedes colore nigro, cum albis manicis et digitabulis, porro albus funiculus duabus fimbriis circa collum ad umbilicum dependens et supertectus linteo ejusdem coloris thorace circa pectus deligando. Super

Ao. 1826. tunicam gerant Professores extraordinarii amiculum, ordinarii vero pallium seu syrma nigro praetextum holoserio; lanea autem sive pallia sive amicula colore sunt diverso pro diversis facultatibus, scilicet professoribus theologicis atro, juridicis coccineo, cameralisticis purpureo, medicis viridi, philosophicis violaceo colore. Eodem quo pallia colore quadrata sunt etiam birreta. Rector autem insuper gestabit magnam catenam auream super collum dependentem in pectus cum annexo clipeo itidem aureo, quod augustissimi *Ludovici* Regis imaginem ostendit.

Singulis Professorum ordinibus, qui ab anno 1804 inde ad hoc tempus „*Sectiones*“ audiebant, pristinum suum et antiquitus usitatum nomen „*Facultates*“ restitutum, sancitumque est, ut *Statuta Universitatis* Landishutanae, condita 6 Martii 1814, donec recognita et retractata fuerint, valeant, *Senatores* autem in posterum omnes liberis tam extraordinariorum quam ordinariorum Professorum suffragiis et ex publico-oeconomica quidem Facultate unus duntaxat, e Facultatibus autem ceteris bini, sed ii nonnisi ordinarii Professores eligantur. Habita igitur justo tempore electione Rector creatus est e Facultate juridica magnificentissimus D.r *Leonardus* **de Dresch,** Collegii Juridicorum Praeses et summus Bibliothecarius; Senatores autem electi sunt e theologica Facultate plurimum reverendi DD.r *Jo. Nep. Hortig* et *Sebastianus Mall,* e Facultate juridica perillustres DD.r *Jo. Nep. de Wening-Ingenheim* et *Hieronymus Bayer,* e publico-oeconomica D.r *Walradus Medicus,* e Facultate medica experientissimi DD.r *Ignatius Döllinger* et *Andreas Röschlaub,* e philosophica spectatissimi DD.r *Jo. Nep. Fuchs* et *Fridericus Ast.* Quae electio postmodo die 4 Novembris a Rege clementissime ratihabita est.

Rescripto regio dd. 30 Octobris consultissimus Jurium D.r *Hieronymus Bayer* regiae Universitatis Archivarius designatus eique in adjutorium praenobilis *Henricus Müller* Secretarius academicus adjunctus est.

Quum de statu personali novae Universitatis satis videretur esse provisum, de iis quoque, qui Landishuti hucusque in *medica* Facultate fungebantur, Professoribus placuit consulere.

Itaque perillustris Medicinae D.r *Josephus Augustus* **de Schultes,** regius Consiliarius et Botanices ac Therapiae specialis

Ao. 1826.

in saluberrima hujus Universitatis Facultate per annos septendecim Professor p. o. Landishuti remanere jussus et pridie a. Cal. Novembris h. a. Scholae chirurgicae ibidem conditae Director designatus Clinicoque praefectus est. Quo duplici munere ad extremum vitae tempus usque egregie fungebatur. Obiit autem 21 Aprilis 1831 hora 5 matutina, quinquaginta octo annis natus. Fuit vir praeclaris quidem ingenii dotibus praeditus sed animo a recentiori, praesertim Schellingiana philosophia et a catholico ecclesiasticis hujus seculi institutionibus averso, quas non raro variis tam ore quam calamo cavillationibus lacessere et insectari solebat. Vitam ejus fusius illustravit *Dingleri „Polytechnisches Journal"* T. XLII. p. 222.

Eodem regio decreto dd. 31 Octobris etiam DD.r Martinus *Münz,* Antonius *Eckl* et Jo. Bapt. *Rainer* salvis quibus hucusque gaudebant salariis, titulis, juribus in eadem Schola neo-erecta Landishutana Professores nominati sunt.

Clarissimus Medicinae D.r *Martinus* **Münz**, per integrum decennium in Ludovico-Maximilianea Universitate Anatomiae et Physiologiae Professor, nunc Anatomiam publice tradere et Instituto anatomico praeesse jubetur. Is eodem fere tempore operis sui *„Handbuch der Anatomie des menschlichen Körpers"* partem tertiam cum singulari inscriptione *„Die Lehre von den Eingeweiden",* Landishuti 1827. 8. edidit. Biennio autem post idem Consiliarius aulicus in almam literarum Universitatem Wirceburgensem translatus ac simul anatomicarum et zoologicarum Collectionum Conservator institutus est. Scripta, quae ex eo tempore elucubravit, sunt: *„Handbuch der Anatomie &c."* P. IV. Sect. I. c. t. *„Die Lehre vom Hirn, dem Rückenmarke und den Nerven,* Wirceburg. 1835, et sect. II s. t. *„Die Lehre von den Sinnesorganen, Knochen und Bändern"*, ibid. 1836. 8; praeterea multa Programmata, quae passim intra annos 1831—1840 Wirceburgi in forma 4ta prodierunt, et in opere collectaneo D.r Adolphi Car. Petri *Callisen „Medicinisches Schriftstellerlexicon"* T. XXX (Hafniae 1842. 8) p. 486 sq. recensentur. Obiit vir praestantissimus multum dilectus a Collegis et Discipulis Wirceburgae 18 Martii 1848.

Clarissimus item D.r *Antonius* **Fckl**, in regiam literarum Universitatem Landishutanam triennio abhinc evocatus, nunc in Schola chirurgica illuc translocata Chirurgiae Professor necnon

Ao.
1826. chirurgico Clinico Praefectus institutus et die 6 Decembris etiam Regis a Consiliis aulicis designatus est. Verum jam quadriennio post non annis quidem tamen meritis plenus vir optimus occidit. Mortis ansam dedit casus fortuitus. Ex curru enim, quo ad aegrum quendam noctu vehebatur, in fossam praecipitatus est; inde ab hoc tempore arthritis, qua diutius jam laborabat, subito in praecordia transiit, haesitque adeo ut malum omnem medicorum artem luderet. Monachium profectus, ut *Haberlii*, *Waltheri* aliorum rei medicae peritissimorum virorum consilio et ope praesens uteretur, die 13 Septembris 1830, aetatis anno quinquagesimo nondum expleto mortuus ibique sepultus est. Placide ossa cubent! Erat vir artis suae peritissimus, probus, innocens, largus in pauperes, suorum amantissimus. Uxor ejus, dum haec scribo, Monachii vitam degit peramata a liberis suis, super quos quiecit benedictio Patris beati.

Denique experientissimus Dr *Joannes Bapt.* **Rainer,** item duos demum annos et dimidium Medicinae forensis et Artis obstetriciae in alma Universitate nostra Doctor meritissimus, nunc in Schola supra dicta Landishuti artis obstetriciae Professor designatus ejusdemque Clinico praefectus est. Hanc translationem is tam aegre tulit, ut directis ad Majestatem supplicissimis literis de hac conditionis suae deterioratione modestissime conquereretur. Annuam enim minimum sexcentorum florenorum ex amissis honorariis jacturam fecit. Quo submississimo libello, licet pecuniarium messantis lucri compensationem non impetraret, id tamen effecit, ut 6 Decembris h. a. regius Consiliarius aulicus designaretur. *Rainerus* jam a puero rhachitide et scrophulis crebrisque catarrhalibus affectionibus laborans anno 1827 ex accepta levi percussione in interiori dextri genu commissura tumorem indies crescentem adeoque perniciosam sibi contraxit, ut nonnisi amputato femore salvari posse videretur. Qua curatione ab *Antonio Eckl* amicissimo sibi Collega egregia cum diligentia et dexteritate perfecta post septem menses ita convaluit, ut omnibus officii sui partibus die noctuque nihil sibi parcens fungeretur. Mense autem Januario 1829 tussis sicca cum sanguinis expuitione ingruebat, qui morbus brevi et frustratis omnibus remediis in incurabilem phtisin transiit. Obiit *Rainerus* in balneis Kreuth prope Tegern-

Ao. 1826.

see, quo curationis causa sese contulerat, die 25 Julii 1829, ibique sepultus est. Tantam sibi vir praestantissimus Ingolstadii Suevomonachii et Landishuti humanitate sua, industria et artis dexteritate peperit aestimationem, ut hodiedum qui vivum norunt mirum quanta veneratione ac dilectione memoriam ejus praedicare soleant et benedicere. Literaria monumenta ab eo evulgata extant in variis ephemeridibus medicis, in *Stranskyi „Geist der neuesten medicinischen und chirurgischen Schriften"*, in *Henkéi „Zeitschrift für Staatsarzneikunde"*, in *Erharti „Medicinisch-chirurgische Zeitung"*, in Annalibus clinicis *Heidelbergae* editis, in *Mappesii, Rittgenii,* aliorum *„Zeitschrift für Geburtskunde"*.

Eodem fere tempore praenobilis ac doctissimus *Ludovicus Daniel Philippus* **Rumpf,** Philosphiae et Medicinae Dr, qui biennio abhinc in hac literarum Universitate ea conditione fuit assumtus, ut Chemiam technicam et Geognosiam traderet, et paulo post etiam Mineralogiam docere jussus et thesauro, quo fossilia continentur, praefectus est, ita ut quasi Ordinarii vice fungeretur; accepto nunc regio rescripto protinus Landishuto avocatus et in alma Academia Wirceburgensi clarissimo *Pickelio,* Consiliario medico et Chemiae ibidem Professori optime merito, in adjutorium adjunctus est cum venia docendi Pharmaciam et Chemiam generalem. Mortuo autem *Rauo,* qui ordinariam Historiae naturalis cathedram eo usque obtinuerat, *Ludovicus Rumpf* die 27 Maji 1830 Mineralogiae Professor extraordinarius et thesauri rerum naturalium Conservator, sexennio vero post, die 23 Julii 1836 ordinarius in philosophica Facultate Pharmaciae Professor tradito sibi adpertinente laboratorio designatus; denique 14 Decembris 1843 Consilii medici Universitatis Herbipolitanae Assessor nominatus est. Hujus praeclarissimi viri quanta sint merita satis jam inde elucet, quod ab Academia Caesarea Leopoldo-Carolina physicorum Vindobonensi, a regia Borussica civilium scientiarum Academia Erfordiensi, a societatibus praeterea Moguntina, Halensi, Jenensi, Bambergensi, Ratisbonensi, aliis compluribus in sodalicium receptus est. Faxint Superi, ut diu vivat!

Nona autem Novembris recens evulgatum est rescriptum regium, quo iterum plures in privatorum Docentium numerum recepti sunt. Primum enim praenobilis *Carolus Steinlein,* qui jam

Ao. 1826. ex superiori anno in Facultate publico-oeconomica Doctor legens fuerat assumtus; porro *Philippus Josephus Mayr* et *Philippus Ignat. Hensler*, qui hoc ipso anno et alter quidem in juridica alter vero in medica Facultate privatas suas auspicati sunt lectiones, eandem etiam in alma inde ab hoc tempore Monacensi Universitate veniam legendi impetrarunt.

Novi autem ex praefato clementissimo rescripto privati Doctores admittuntur: Ludovicus *Dauner*, Martinus *Kittel*, Fridericus *Völker*, Carolus *Wolf* et Franciscus Xaverius *Zenger*.

D.r *Georgius Ludovicus* **Dauner**, Kaufburanus Suevo-Bavarus natus 24 Maji 1800, postquam absolutis Campoduni studiis gymnasialibus octodecim annorum adolescens in alma literarum Universitate Herbipolitana per quadriennium academicas disciplinas tam juridicas quam publico-oeconomicas egregie absolvit, ab anno 1822 per integrum biennium in judicio rurali Kaufburano, totidemque tempus in collegio publicis vectigalibus praeposito Monacensi et urbano ibi Judicio exercendis jurisprudentiae pariter ac publicae administrationis negotiis se applicavit. Tunc demum impetrata ad preces suas venia Heidelbergam sese contulit, ut ducibus potissimum *Mittermaiero Rauhio*que celeberrimis Professoribus pro capessendo munere docendi se praepararet, ibique exantlatis rigorosis tentaminibus et exarata dissertatione inaugurali *„Ueber das Verhältniss der Polizei zur Strafgewalt,“* quam typis ibidem edidit, die 11 Aprilis 1826 summos in utroque jure honores recepit. Deinde etiam Parisios profectus est, et unacum amantissimo populari suo, supremo in re medica Consiliario *de Grossi* et Carolo Friderico *de Marcus* Regis a Consiliis aulicis, quibuscum illic inopinato convenerat, visu et auditu dignissima quaeque perlustravit. Praestantissimis ita adauctus scientiis quum in patriam rediisset, per rescriptum regium 9 Novembris ejusdem anni Jurium D.r legens clementissime assumtus est.

D.r *Martinus Balduinus* **Kittel**, Schaffnaburgensis Franco, 8 Januarii 1798 natus, disciplinas et Gymnasii et Lycei in ipsa urbe natalicia tam egregie absolvit, ut elucubrata et 1818 in lucem edita dissertatione *„Ueber die Natur des Bösen“* ceterisque praestandis rite praestitis cum unanimi Professorum approbatione philosophici Baccalaureatus gradum impetraret. Inde in almam

Ao.
Julio-Maximilianeam Universitatem Wirceburgensem abiit, ubi per 1826
triennium indefessam saluberrimae arti operam dedit et exantlatis examinibus praescriptis atque exarata typisque in 8vo ibidem emissa *„De vitiis orificii uteri“* dissertatione inaugurali die 7 Julii 1822 summis etiam in medicina, chirurgia et arte obstetricia honoribus insignitus est. Susceptis denique literarum causa itineribus Parisiis anno 1826 commentarios s. t. *„Mémoires d'histoire naturelle“* evulgavit, eodemque tempore a Jenensi Academia Philosophiae Doctor creatus paulo post suum reditum ex regio rescripto 9 Nov. h. a. philosophicas in alma nostra Ludovico-Maximilianea lectiones auspicandi veniam recepit.

D^{r} *Fridericus* **Völker,** Edenkobiensis Rhenano-Bavarus, postquam studiis academicis absolutis in regionario Judicio Caesarislutriae (Bezirksgericht Kaiserslautern) per tres annos jurisprudentiam usu exercuerat, Landishuti die 28 Augusti 1826 praestandis omnibus pro capessendo doctoratus gradu rite praestitis summis in utroque jure honoribus insignitus et 9 Nov. ejusdem anni in nova nunc Universitatis sede Jurium Doctor legens clementissime receptus est.

D^{r} *Carolus* **Wolf,** Monachii anno 1802 natus, patre usus est *Petro Philippo* typographo et scientiarum Academiae Monacensis socio, qui ab augustissimo Maximiliano Josepho Rege post *Laurentii Hübneri* obitum 1807 privilegium edendae politicae ephemeridis Monacensis (d. Münchener-politischen Zeitung) impetravit. Puer vixdum sexennis patre orbus duplicata sollicitudine a matre educatur, opitulante potissimum ipso Rege, qui concessum marito privilegium in viduam per successionem transmittere dignatus est. *Carolus* interea diligentia et profectu in literariis studiis ita eminuit, ut fere singulis annis primum inter condiscipulos locum obtineret. Anno autem 1821 ad Universitatem abiit Erlangensem, sed obortis ibi cives inter et studiosos atrocioribus rixis, Landishutum se contulit, jamque in eo erat, ut absolutis per triennium jurisprudentiae studiis pro capessendo doctoratu se praepararet, cum protinus a matre animam agente revocatus est. Aegre a consternatione de dilectissimae genitricis obitu recreatus, in Judicio rurali Monacensi juridicam praxin simulque edendorum diurnorum curam, quam Regis gratia retinuit, suscepit,

Ao.
1826. et 9 Novembris 1826 Doctor de jure quaestuosarum artium (über Gewerberecht) privatim legens in alma Universitate receptus lectiones suas brevi post habita oratione *„Ueber den gegenwärtigen Zustand des Buchhandels in Bayern“*, quam postea publici juris fecit, exorsus est.

D[r] *Franciscus Xaverius* **Zenger**, Pedepontanus die 28 Novembris 1798 natus, studiis humanioribus in gymnasio Augustano ab ao. 1809 usque ad a. 1817 peractis Landishutum se contulit. Philosophicis autem illic et juridicis studiis intra quadriennium absolutis in Judiciis Günzburgensi et Göggingano juridicam per annum praxin studiosissime exercuit, ac deinde reversus Landishutum et summis in jure utroque honoribus decoratus, ut pro capessendo publico docendi munere penitius sese excoleret, anno 1823 Goettingam in annum abiit, *Hugonem* et *Eichhornium* clarissimos ibi jurium Professores auscultaturus. Inde in patriam redux, quum Augustae Vindelicorum indefessam per biennium literis navasset operam, 9 Novembris h. a. Jurium Doctor legens in alma nostra Ludovico-Maximilianea clementissime assumtus, elucubrata ac perorata commentatione *„Ueber das Vadimonium der Römer“* q. e. tentamen juridico-historicum (ed. Landish. 1826), lectionum suarum principium fecit. Ast de hoc perillustri ac consultissimo viro Annales posteri multoties narrabunt.

Biduo post etiam *Ludov. Bernhard* ad consultissimam Facultatem accessit novus D[r] legens. *Fridericus Ludovicus* **Bernhard**, 22 Julii 1801 Düsseldorpii ad Rhenum natus, urbe ista, ubi Bavaricae ditionis esse desiit, relicta unacum parentibus primum Francofurtum, quod est ad Moenum, deinde Augustam Vindelicorum, urbem matris suae nataliciam, dimigravit. Ibi disciplinas gymnasiales sub finem anni scholastici 1817 cum summa laude emensus studiis philosophiae ac jurisprudentiae Berolini, Heidelbergae, Erlangae deinceps singularem per quadriennium operam dedit. Inde cum usque ad undevicesimum Maji 1823, ut scientias etiam usu exercitaret, in judiciis publicis Tölzii, Göggingae, Landishuti fuisset versatus, pro capessendo juridici doctoris gradu in Universitate Landishutana dissertationem *„Vom Eidesantrag über fremde Handlungen“* elucubravit eamque omnibus eximie probatam Augustae Vindelicorum in 4° edidit. Proinde exantlato cum nota

Ao. 1826.

eminentiae tantamine rigoroso, praelecta insuper quaestione inaugurali *„De justitia gratis administranda“*, selectisque ex universa jurisprudentia positionibus egregie propugnatis die 21 Augusti 1823 praeside perillustri et consultissimo jurium Professore p. o. *Hieronymo Bayer* summos in utroque jure honores recepit. Quo facto literarum causa, ut inprimis *Eichhornium* auscultaret, Göttingam sese contulit, atque anno ibi peracto Augustam Vindelicorum reversus studiis privatis Germanici potissimum juris vacavit. Universitate autem nuperrime Monachium translata datis supplicibus ad Majestatem literis veniam legendi petiit eamque accedente enixissima Facultatis Senatusque academici commendatione per rescriptum regium dd. 11 Novembris clementissime impetravit.

Eodem autem regio rescripto evulgato nona Novembris sequentes quoque doctissimi viri variis jam hoc tempore publicis muneribus et officiis fungentes *honoris causa* publice legendi veniam sunt adepti:

D.r *Joannes Nepom.* **Buchinger,** Altoettinganus Bavarus 8 Maji 1781 natus, studiis tam inferioribus quam academicis Landishuti absolutis in alma Ludovico-Maximilianea literarum Universitate die 2 Julii 1805 summis in jure utroque honoribus insignitus est. Qui quum primum in Judicio ibidem rurali, deinde in regio quoque Gubernio Monacensi per biennium juridicam praxin cum insigni Superiorum comprobatione tractasset, Calendis Septembribus 1808 regii Gubernii Danubiani inferioris Secretarius anno autem 1812 undevigesimo Novembris Archivario regni Monacensi adjunctus est in adjutorium, et biparito opere suo *„Geschichte des Fürstenthums Passau“* cum novendecim literarum documentis e fontibus archivalibus hausta, cujus tomus I. Monachii 1816, tom. II. ibid. 1824 prodiit, literario orbi praeclare innotuit. Unde etiam in Universitate nuperrime huc translata clementissimam de jure feudali publice legendi veniam impetravit.

D.r *Jo. Carol. Sigismundus* **Kiefhaber,** Norimbergae 24 Aprilis 1767 natus, postquam literis humanioribus in inclyto urbis patriae Gymnasio et Auditorio, quod dicebatur, Aegidiano cum prosperrimo successu operam navarat, 27 Octobris 1780 almam, quae Altorfii tunc floruit, Universitatem adiit, ibique rite immatriculatus jurium Candidatus usque ad 22 Sept. 1783 permansit.

Ao.
1826. Post etiam Herbipolitanam, Maguntinam, Giessensem, alias in Germania literarum Universitates invisit et literario cum praestantissimis ubique viris usus est commercio. Deinde aliquamdiu in patris tractatorio causas forenses exercuit, et per quinquennium illustrissimi *L. B. de Strommer* Secretarius fuit. Patre autem 14 Aprilis 1790 mortuo in ejus locum successit, quem duodecim per annos tenuit. Ex eo vero tempore, quo territorium Norimbergense in Bavarici Regis transiit ditionem, *Kiefhaberus* variis negotiis, praesertim quae historiam et rem diplomaticam spectabant, occupatus, anno 1812 in Archivis regni Adjunctus primarius et Calendis Maji 1818 regius Consiliarius actualis designatus est. Idem praeterea Pegnesiani Ordinis socius et a compluribus praecipue oeconomicis societatibus e. gr. Lipsiensi, Erlangensi, aliis in sodalicium receptus et 18 Octobris 1822 a philosophica Facultate Erlangensi Doctoris gradu insignitus est. Hoc ipso autem anno veniam impetravit, in translocata Universitate tanquam Professor honorarius de re diplomatica et scientiis Historiae adjutricibus publicas habendi praelectiones. E permultis hujus spectatissimi viri scriptis, quae singula recenset *„Neuer Necrolog der Deutschen“* 1837. P. I (Wimar. 1839. 8) p. 336—339, haec inprimis laudasse sufficiat: *Beilagen von Materialien zu Nürnbergs Geschichte, zwei Sammlungen,* Norimberg. 1793 sq.; *Fragmente aus der Geschichte des Patriciats in der freien Reichsstadt Nürnberg,* ibid. 1799; *Nachrichten zur älteren und neueren Geschichte der freien Reichsstadt Nürnberg,* III Voll. ib. 1803—1807; *Entwurf einer Anleitung zur Registraturwissenschaft zum Gebrauche bei den Vorlesungen über dieselbe im k. allg. Reichsarchive zu München*, Monach. 1823.

D. *Adolphus Julius* **de Niethammer,** Jenensis 21 Augusti 1798 patre perillustri postea supremi Protestantium Consistorii Monacensis Consiliario genitus, absolutis Monachii studiis gymnasialibus Universitates Erlangensem, Heidelbergensem, Landishutanam deinceps frequentavit, et postremo in regia Ludovico-Maximilianea nostra exantlatis egregie tentaminibus rigorosis ceterisque pro capessendo doctoris gradu rite praestitis summos in utroque jure honores recepit. Ab anno autem 1818 in iuridicam praxin abiit, et non ita multo post regii Gubernii Isaranae provinciae Secretarius regiusque Consiliarius designatus 9 Novembris h. a. honoris causa ve-

Ao.
niam legendi de re publico-oeconomica impetravit. Commentatio 1826.
ejus „*Praecepta juris Romani de testamento et divisione parentum inter liberos*“ Monachii 1820. 8. edita ab amplissima Facultate juridica Heidelbergensi praemio fuit coronata.

Joannes Andreas **Schmeller**, Türschenreuthensis Palatino-Bavarus, 6 Augusti 1785 natus, literas humaniores, quas discere in Seminario Benedictino Schyrensi exorsus est, inde ab ao. 1796 Ingolstadii Monachiique usque ad annum 1804 continuavit. His absolutis educatoriae potissimum disciplinae deditus in Helvetiam ad *Jo. Henricum Pestalozzium* celeberrimum tunc temporis paedagogum profectus est, eique suam operam obtulit. Cum autem neque ibi, neque quo inde se convertit Bernae, neque Basileae, aut alio aliquo loco Helvetiae docendi munusculum quodpiam impetraret, in Hispaniam transiit, ubi in regio militari paedeuterio, quod Matriti floruit, praeceptoris per quadriennium fungebatur officio. Lustratis autem ex eo tempore, quo cruenta in Hispania oborta fuit seditio, compluribus iterum in Helvetia scholis Pestalozzianis evocationem patriae secutus in Bavariam rediit et 20 Januarii 1814 Succenturio primarius in cohorte voluntariorum velitum (Oberlieutenant des freiwilligen Jägercorps) regionis Illeranae designatus est. Restituta vero pace totus literis vacandi facultatem nactus elucubratis nonnullis commentationibus inclaruit, e quibus sunt seorsim editae: „*Soll es Eine allgemeine europäische Verhandlungssprache geben?*“ Campidun. 1815; „*Die Mundart Bayerns grammatisch dargestellt*“, Monach. 1821. Januario mense 1824 vir insignis a regia scientiarum Academia Monacensi socius extraordinarius in classe historico-philologica adlectus, et 9 Novembris 1826 eidem linguam antiquo-germanicam ejusque historiam literariam in Universitate docendi veniam honoris causa data est.

Joannes Michaël **Söltl**, Neunburgensis in Palatinatu superiori 19 Aprilis 1797 natus, studiisque postmodo inferioribus Ratisbonae ab anno 1809 usque ad annum 1816 probe imbutus Monachium se contulit, ac philologiae potissimum dare operam coepit. Inde tamen quum in gravem morbum incidisset, ut valetudini suae melius posset consulere, domum rediit, et recuperatis corporis animique viribus Ratisbonae primum deinde Landishuti studiis theologiae incubuit, mutato autem post obitum patris sui con-

Ao. 1826. silio sacros ordines jam non recepit, sed Monachium profectus 1818 domestici praeceptoris officium subiit ac biennio post exantlatis pro capessendo publico magisterio examinibus Calendis Novembris in regia domo studiosorum educatoria Monacensi alumnorum Ephorus et Magister, exacto autem iterum triennio Progymnasii Professor ibidem designatus est. Eodem fere tempore (quarta Julii 1823) a literarum Universitate Erlangensi diplomate Doctoris Philosophiae insignitus, anno postero veniam impetravit regio sibi collato stipendio Göttingam abeundi, ut studiis ibi praesertim historicis in annum vacaret. Inde Monachium reversus in regio veteri Gymnasio secundam classem informandam suscepit, simulque 9 Nov. h. a. in Universitate Professor honorarius assumtus est, historiarum partes selectas traditurus. Scripta ab eo historici maximam partem argumenti hucusque edita sunt: *Bayerns Friedenstage, in drei Gesängen*, Monach. 1819; *Geistes- und Herzenstöne,* Landishut. 1819; *Die Könige der Deutschen,* Monach. 1821; *Haine,* Aug. Vind. et Lips. 1823; *Denkrede auf Maximilian Joseph,* Mon. 1824; *Heinrich IV. Kaiser und König der Deutschen,* Mon. 1825; *Gustav Adolph und Maximilian*, Mon. 1826; *Cajus Julius Caesar, Monographie,* Berolin. 1826. 8.

Interea quintodecimus Novembris festissimus multumque desideratus dies advenit, quo gloriosissimus *Rex* **Ludovicus** novam Universitatis suae sedem jusserat solemniter inaugurari. Pridie ejus diei hora decima matutina designatus a Rege Commissarius illustrissimus *Gabriel de Widder*, Regis a Consiliis de re publica actualibus et Gubernii provinciae Isaranae Praeses, comitantibus Consiliariis *Francisco de Aichberger* et *Carolo Abel* unacum regio Secretario Ludovico *de Spruner* ad Universitatis aedes, ubi amplissimum collegium olim PP. Jesuitarum fuit, solenni pompa deductus a Rectore et delectis Professoribus ante portas exceptus est et introductus in Aulam, ubi Senatus academicus et reliqui omnium ordinum Professores veste forensi induti fuerunt congregati. Ad allocutionem, qua regius Commissarius coram praesentibus mandatum clementissime sibi concreditum exposuit et benevolentissimum Regis consilium de translocanda Universitate egregie explicavit, perillustris Jurium Professor D^r *Leonardus* **de Dresch,** h. t. Rector succincta oratione respondit. Praelecto de-

Ao. 1826.

inde celsissimo regio rescripto dd. 3 Octobris, quum, quae modo peracta sunt, in tabulas fuissent consignata, regius Commissarius cum comitatu suo iisdem, quibus fuerat exceptus, solemnitatibus ex Aula dimissus est.

Ipso autem *die festo* Rector magnificus, ordinarii et extraordinarii omnium Facultatum Professores antiquo suo vestiti amictu, item honorarii Professores et Doctores legentes nigra veste et gladio succincti praecedentibus Pedellis cum insignibus academicis hora decima per plateas singulari programmate designatas confluente undique populo ad aulicam S. Michaëlis ecclesiam procedunt. Decantata ibi a reverendissimo Episcopo in partibus *Ignatio de Streber* solemni Missa de Spiritu sancto pompa prolata eodem ordine in Aulam majorem rediit. Hujus autem Aulae loco in praesens adaptata est Ecclesia olim Carmelitarum, postea celebrandis sacris Studiosorum destinata. Congregatis igitur illic, qui in hunc finem invitati fuerant honoratioribus omnium ordinum hominibus augustissimus *Rex* **Ludovicus** summis comitantibus administris suis et officialibus hora duodecima ad Aulam provectus ibique ab excellentissimo regio Commissario *Gabriele de Widder* unacum Rectore magnifico cunctisque Professoribus Universitatis submississime exceptus et ad regiam sellam sub aulaeo collocatam deductus est. Qui quum assedisset, praeclara in amplissimo consessu a Rectore habita oratione summis laudibus atque optimis ominibus, ut regium Maecenatem decuit, celebratus est. Perorata autem hac oratione inaugurali Rex clementissime valedicens eadem qua advenerat pompa in regiam revehitur.

Undevigesimo Novembris *Serenissimus* nonnullis Professoribus e singulis Facultatibus deputatis cum Rectore Magnifico praecipuum honorem tribuere dignatus est, ut in regiam Aulam admissi Parenti patriae *jusjurandum fidelitatis et obedientiae* jurarent, almamquae Ludovico-Maximilianeam Universitatem regiae benevolentiae commendarent.

In ducali clericorum Seminario Georgiano unacum Universitate Monachium translato plurimum reverendus *Jos. Aloysius Rotermundt,* antehac in parochia S. Ruperti Ratisbonensi Cooperator, regio rescripto dd. 18 Nov. Subregentis officium suscepit.

Quantae autem fuerit molis, *bibliothecam* Monachium trans-

Ao. 1826. ferendam in nova Universitatis sede collocare et in ordinem digerere, facile intelligitur. Quae cura potissimum demandata est meritissimo nostro bibliothecario perillustri *Joanni Christiano* **Siebenkees.** Is vero, quum tantis, quos sibi vidit imminere, laboribus minus parem se sensisset (quippe qui tum jam esset septuaginta trium annorum senex), hanc vocationem modestissime deprecatus enixe petiit et 22 Novembris h. a. impetravit, ut a publico suo munere dimitteretur. Itaque imminuta cum pensione gratiosissime in numerum eorum, qui regiae Majestatis sunt ab intimis Consiliis aulicis, relatus et insuper equestri Ordine Ludovici insignitus est. Reliquum autem vitae tempus vir clarissimus Norimbergae transegit, ibique aetatis anno octogesimo septimo diem obiit supremum.

Eodem die 22 Novembris h. a. magnificentissimus Consiliarius aulicus ac Jurium Professor D.r *Leonardus* **de Dresch,** h. t. Rector, etiam primarius Universitatis bibliothecarius designatur.

Interea illud ingens translocandae bibliothecae onus maximam partem plurimum reverendi *Mauri Harter* Bibliothecarii humeris fuit impositum, qui tum opus sibi concreditum tanta cum industria ac sollertia tantaque dexteritate expedivit, ut tot millia librorum prope intra trimestre in nova sede Universitatis collocaret et in usus academicos disponeret.

Clarissimus autem D.r *Carolus Richardus* **Hoffmann,** qui ao. 1824 unacum supra dictis Ecklio et Rainero meritissimis Medicinae Professoribus Landishutum advocatus munere suo per biennium et semestre tempus egregie fuerat perfunctus, ex clementissimo regio decreto dd. 4 Decembris curr. anni in Universitatem Wirceburgensem translatus est, easdem quibus jam assuetus erat disciplinas, sc. Pathologiam, Diaeteticam et Pharmacologiam, traditurus. Ibi elucubrata et anno 1827 in 4.to edita dissertatione *„Kurze Betrachtung über die verschiedene Art und Weise, in welcher man das Verhältniss des natürlichen Heilungsprozesses zum Krankheitsprozesse aufgefasst hat“* lectionum suarum initium fecit, brevique sibi et doctrinae et humanitatis laudem conciliavit. Sexennio autem cum eximia Superiorum comprobatione peracto, die 28 Octobris 1832 Monachium arcessitus est, ut in regio Gubernio Isaranae provinciae de rebus medicis referendi munus susciperet.

Ao. 1826.

Inde Regis a Consiliis medicis Passaviam ad Gubernium provinciae Danubianae inferioris, et anno 1837 facta nova regni Bavarici in octo provincias descriptione Landishutum, quae nunc Gubernii Bavariae inferioris sedes, translatus est, ubi hodiedum in summa omnium veneratione degit, anno 1849 ab ipso quoque *augustissimo Rege* **Maximiliano II** Ordine meritorio S. Michaëlis I Classis insignitus. Et quamquam vir perillustris jam diu a publica Doctoris cathedra avocatus est, tamen medios inter novi sui muneris labores etiam literis vacare non desiit. Dum enim erat Passaviae, librum qui inscribitur „*Vergleichende Idealpathologie*" Stuttgardiae 1834. 8. edidit, ejusdemque operis novam ibidem 1839 curavit editionem; Landishuti autem duos prodidit in lucem libros, alterum c. t. *Sammlung derjenigen Verordnungen, welche die Stellung, Rechte und Pflichten, sowie die Berufsthätigkeit der praktischen Aerzte im Königreiche Bayern betreffen,* Landish. 1854; alterum „*Das Civil-Medicinalwesen im Königreiche Bayern,* ib. T. I 1857. 8.

Doctissimus item Regis a Consiliis aulicis *Fridericus* **Köppen,** Philosophiae D.r ejusdemque in Ludovico-Maximilianea per undeviginti annos Professor p. o., ad Universitatem Erlangensem translatus est, ubi quum totidem fere annis publica sua professione fuisset functus, die 19 Julii 1845, utpote jam septuagenarius senex, salvo titulo suo et imminuto salario perpetuam quam petiit muneris sui vacationem impetravit. Mortuus est senex Erlangae 4 Septembris 1858.

Reliquum est, ut eorum doctissimorum virorum mentionem faciam, qui a publico, quo hucusque in alma Ludovico-Maximilianea Universitate fungebantur, docendi munere clementissime dimissi Landishuti remanserunt.

Ex theologica Facultate professione sua se abdicavit plurimum reverendus Exbenedictinus Oberaltacensis D.r *Benedictus* **Schneider,** regius Consiliarius ecclesiasticus et ad S. Martinum Parochus, annis quinque Ingolstadii, octodecim autem Landishuti publico docendi munere cum summa religione ac diligentia functus. Verum etiam pastorali officio haud diu vacavit; cum enim inde ab hoc tempore continua fere corporis infirmitate laborasset, acutissimis doloribus ex calculis in vesica excruciatus tandem 14

Ao.
1826. Junii 1829 pientissime dispositus et sacris omnibus munitus anno aetatis suae sexagesimo septimo pretiosam animam posuit.

E Facultate publico-oeconomica clarissimus D.r *Conradus* **Frohn,** Regis a Consiliis aulicis et per quadrantem saeculi (ab anno nempe 1801 inde ad hoc tempus) Professor p. o., jam annis defectus ac viribus destitutus breve vitae reliquum in otio transegit, et anno 1829 aetatis septuagesimo septimo diem obiit supremum.

Simili modo Landishuti remansit literis ac pastorali curae totus deditus plurimum reverendus Consiliarius ecclesiasticus D.r *Maurus* **Magold,** Exbenedictinus Tegernseensis et in alma literarum Universitate Ingolstadiensi et Landishutana per annos viginti octo Mathematicae Professor p. o. Elucubravit enim etiam post magisterii sui abdicationem duos praestantissimos libros, quorum alterum „*Lehrbuch der Chronologie*“ cum 22 tabb. lithogr. Monachii 1829, alterum „*Mathematisches Lehrbuch für akademische Vorlesungen*“, ibid. 1830, utrumque in forma 8 maj. in lucem edidit. Parochiam autem ad S. Jodocum Landishutanam, quam anno 1814 susceperat, ad obitum usque religiosissime administravit. Anno 1835 a clementissimo Rege *Ludovico* intimus Consiliarius ecclesiasticus designatus, sed jam biennio post, die nempe 8 Decembris 1837, septuaginta septem annorum senex, pituitosa febri mortuus est. Fuit ingenio acerrimo ac subtilissimo, vir prorsus antiquae fidei Germanique candoris, qui re nulla a recto officiorum et virtutum tramite poterat dimoveri.

Denique plurimum reverendus D.r *Jacobus* **Salat,** Parochus Arnbacensis regiusque Consiliarius ecclesiasticus et in hac alma literarum Universitate per novendecim annos Philosophiae Professor p. o. laribus suis assuetus Landishuti ad extremum vitae finem usque permansit; sed licet jam esset aetate provectior, multa tamen ex eo quoque tempore elucubravit typisque publicis evulgavit opuscula, e. gr. *Drei Aufsätze über Rationalismus in Absicht auf das Höchste der Menschheit,* Landish. 1828; *Wahlverwandtschaft zwischen Supernaturalisten und Naturphilosophen,* ibid. 1829; *Die literarische Stellung des Protestantismus zum Katholicismus in Absicht auf einen schönen Gemeinzweck,* ib. 1831; *Aufschluss über den Ultrakatholicismus, auch unter den Protestanten,*

Ao. 1826.

Monach. 1833; *Ist der Priestercölibat ein Ideal, und kann die Aufhebung des Cölibatgesetzes füglich geschehen?* Stuttgard. 1833; *Die Hauptgebrechen der deutschen Philosophie als Wissenschaft &c.* ib. 1834; *Schelling in München, eine literarische und akademische Merkwürdigkeit,* Friburg. II Fascc. 1837 (II Editio Heidelberg. 1845). Ita vegetem usque degens senectutem jamque dudum emeritus Sacerdos jubilaeus Landishuti die 11 Februarii 1851 aetatis anno octogesimo quinto pulmonis remissione placidissime obdormivit.

Ex clementissimo indultu regio de mense Decembri quivis almae hujus *Universitatis Rector,* dum munere suo fungitur, in Aula regia ad celebrandas ibi festivitates comparendi jus habebit. Vid. Append. Nr. XXXII.

Quanta literarum Universitas ex translocatione sua et nova quasi instauratione ceperit incrementa, jam ex matriculis ad annum proxime futurum exscriptis satis elucet. Duo enim *celsissimi regii Principes,* **Maximilianus** *Dux in Bavaria,* augustissimae nunc Imperatricis Austriae pater, et **Augustus** *Dux de Leuchtenberg,* filius potentissimi *Eugenii* Vice-Regis Italiae, porro **Eugenius** *illustrissimus Princeps de Wrede,* alii tres et viginti nobilitate generis clarissimi Juvenes Album nostrum academicum illustrarunt, exciti haud dubie Universitatis fama tot convocatis in unum doctissimis Professoribus multum aucta. Omnium autem inscriptorum catalogus mille sexcentorum numerum excedit; de quibus in P. VI.ta plura.

Ad absolvendam denique hujus anni historiam reliquum habeo recensere literarias a Professoribus hoc anno proditas in lucem commentationes. Scripserunt autem

in *theolog.* Facultate:

Jo. Jos. Ign. **Döllinger,** Ueber die Ausbreitung des Christenthums in den ersten Jahrhunderten, Orat. inaug., Monach. 8.

Jo. Nep. **Hortig,** Handbuch der christl. Kirchengeschichte, Bd. I. Landish. 8; Predigten auf alle Festtage &c. II. Edit. ibid 8.

Ao. 1826. in Facult. *juridica:*

Leonard. **de Dresch,** Schmidts Geschichte der Deutschen, Fortsetz. T. XX. Ulm. 8; Rede bei der feierlichen Eröffnung der Universität zu München, praesente *Ludovico* augustissimo Rege perorata, Monach. 4.

Edu. **Schmidtlein,** Grundriss zu Vorlesungen über das kathol. und protestant. Kirchenrecht, mit besonderer Rücksicht auf die in Bayern geltenden Bestimmungen, Mon. 8.

Jo. Nep. **de Wening-Ingenheim,** Lehrbuch des gemeinen Civilrechts, Edit. III. duobus tomis ed. Mon. 8.

Carol. **Wolf,** Beantwortung einiger gewerbrechtlicher Fragen Mon. 8.

in *publ.-oeconom.* Facult.

Laurent. **Zierl,** Jahrbücher der landwirthschaftlichen Lehranstalten von Schleissheim, quos quidem annales ao. 1826 unacum *Schoenleutnero* evulgare coepit continuavitque usque ad annum 1831.

in *medica* Facult.

Jo. Andr. **Buchner,** Grundriss der Chemie, T. I. Norimb. 8; Vollstaendiger Inbegriff der Pharmacie &c. P. V. ibid. 8; Ejusdem operis P. II. Editio II. ib. 8; Repertorium für die Pharmacie, T. XXII. XXIII. ib. 12.

Ign. **Döllinger,** (sen.), Bericht von dem neuerrichteten anatomischen Theater der k. Akademie der Wissenschaften in München, Mon. 4.

Ant. **Eckl,** (et *Jos. Aug.* **Schultes**) Ratio medendi in schola clinica Landishutana, Solisbaci 8; Bericht über die Ergebnisse in dem chi-

Ao. 1826.

rurg. Clinikum der k. Ludw.-Maximil. Universität zu Landshut vom 25. April 1825 bis 25. April 1826, ed. Landish. 8.

Jo. Bapt. **Rainer,** Nachricht von der Entbindungsanstalt der k. b. Universität Landshut, Landish. 8.

Jo. Nep. **Ringseis,** Ueber die Würde der Wissenschaft; qua oratione lectiones suas 21 Novembr. auspicatus est, ed. Mon. 8.

in Fac. *philosophica*:

Frid. **Ast,** Platonis Opera &c., T. VIII. et IX: Epinomidem, Eutyphronem, Apologiam Socratis, Critonem, Alcibiadem, utrumque Hipparchum, Rivales, Thogenem, Charmidam, Lachetem et Lysidem cont., Lipsiae 8; Programma de studiis humanitatis, Mon. 8.

Fr. **de Baader,** Ueber die Freiheit der Intelligenz, eine Rede bei Eröffnung der Ludwig-Maximil. Univers. in München, Monach. 4.

Petr. **Claude,** Bemerkungen über die von Herrn Prof. Thiersch vorgeschlagene Organisation der Gelehrten-Schulen &c. Mon. 8.

Jo. C. Sigism. **Kiefhaber,** Ist die Diplomatie bloss eine historische Hülfswissenschaft, oder behauptet sie ihren Einfluss auch auf andere Wissenschaften? Oratio inaug. habita 29 Nov., edita proxime sequ. anno Solisbac. 8.

Alb. **Klebe,** Rede bei Eröffnung seiner Vorlesungen über Staatenkunde, Monach. 8.

Conr. **Mannert,** Die Geschichte der Bayern, e fontibus hausta &c. T. II. Lips. 8.

Phil. **de Martius,** Nova Genera et species plantarum, quas in itinere per Brasiliam depingi curavit &c. Vol. II. fasc. I. Monach. 4 imper.

Ao. 1826.

Jac. **Salat,** Lehrbuch der höheren Seelenkunde, II Edit. Mon. 8.

Gotth. Guil. **Schubert,** Allgemeine Naturgeschichte oder allgem. Andeutungen zur Geschichte und Physiognomik der Natur, Erlang. 8.

Jos. Ern. **de Koch-Sternfeld,** Grundlinien zur allgemeinen Staatskunde, Mon. 8.

Frid. **Thiersch,** Ueber gelehrte Schulen, mit besonderer Rücksicht auf Bayern, IV Fascc. Stuttgard. 8.

APPENDIX DIPLOMATICA

AD

ANNALIVM PARTEM V.,

CONTINENS

NOTABILIORES QVAE AD LITERARVM VNIVERSITATEM

SPECTANT

ELECTORALES REGIASQVE CONSTITVTIONES,

STATVTA ACADEMICA, RESCRIPTA, DECRETA,

AB AO. 1773 VSQVE AD A. 1826 INCL.

ordine chronologica digesta.

I.

Statuta academica
de ao. 1787.

SERENISSIMUS ELECTOR &c. &c.

Nachdem Sr. Churfürstl. Durchläucht allerdings daranliegt, dass dem Wunsche sämmtlicher Eltern, welche ihre Söhne höchstdero Landes-Universität zur Erlernung akademischer Wissenschaften mit voller Zuversicht anvertrauen, wesentlich entsprochen, und aus erwähnt-jungen zum Dienste ihrer Landesherren und des Vaterlandes heranwachsenden Leuten solche Männer gebildet werden, welche durch tief erlangte Kenntnisse der erlernten Gegenstände und ausgezeichnete gute Aufführung jedem Berufe zu genügen, und alle sowohl kirchliche als Staatsbedienstungen, wohin sie immer die Vorsicht führen wird, mit Nutzen und Ehre zu besetzen im Stande seyen; so ist Sr. Churfürstl. Durchläucht ernster Wille und Befehl hiemit, dass auf die von höchstdero Landes-Universität Ingolstadt nach Beschaffenheit der Zeitläufte abgeändert und neu entworfenen, von Höchsternannt Sr. Churfürstl. Durchläucht hiemit gnädigst bestättigten akademischen Statuten nachdrucksamst gehalten: zu diesem Ende selbe zu Anfang jeden Studienjahrs sämmentlichen Akademikern kund gemacht und zu öfterer ihrer Belehrung jedem ein Exemplar zugestellt, solche von sämmtlichen pünktlich beobachtet, und gegen die Uebertreter mit den in selben festgesetzten Strafen um so unnachlässlicher verfahren werden solle, als Se. Churfürstl. Durchläucht nimmermehr gedenken im geringsten hievon abzugehen; gegentheils aber auch gnädigst nicht entstehen werden, diejenigen, welche diese in ihrem vollen Inhalte schuldgehorsamst befolgen, insoferne sie eigene Landeskinder sind, bei diessortigen Dienst-Verleihungen andern vorziehen, die Ausländer aber durch öffentliche Universitätszeugnisse ihrer Folgsam- und Unbescholtenheit halber den Ihrigen verdientermassen anrühmen und empfehlen zu lassen.

München den 1ten December 1787.

Churfürstl. gnädigst geordnete geheime Universitäts-Curatel.

Vt. *v. Kreittmayr.*

S. Nemmer.

Ao. 1787.

Statuten.

§ 1.

Der Staat, Eltern, Vormunder, Verwandte erwarten von jungen Leuten, welche auf die hohe Schule geschickt werden, dass sie zur Gottesfurcht, Tugend und Weisheit, zu Wissenschaften und Künsten angeführt werden, damit die Kirche und der Staat dereinst die grossen Früchte sammeln könne, welche man von ihnen fordern kann; ächte Religion, untadelhafte Sitten, unermüdeter Fleiss, Sparsamkeit, Ordnung, Zucht sind dahin führende Mittel.

§ 2.

Der warme Eifer zur Erlernung der zu ihrer künftigen Bestimmung nothwendigen Wissenschaften und Künste sey bei jungen Akademikern unbegränzt, ihre Sitten rein und untadelhaft; ihre pflichtmässige Folgsamkeit und Dankbarkeit der Trost ihrer Lehrer.

§ 3.

Wer immer sich des Studirens halber auf die hiesige hohe Schule begiebt, der muss sich, da er alsogleich bei seiner Ankunft unter der akademischen Gerichtsbarkeit steht, längstens innerhalb 3 Tagen von Zeit seiner Ankunft bei dem Rectorate um die Einschreibung melden, und die Zeugnisse von den Obern, worunter er vorhin studiret hat, überreichen.

§ 4.

Jeder Akademiker, der zum Rektor berufen wird, soll sich bei demselben ungesäumt stellen; demselben sowohl als den Dekanen und Professoren die schuldige Ehrerbietung bezeigen, deren Ermahnungen und Anordnungen dankbar erkennen und befolgen.

§ 5.

Nachdem einer in der Absicht, um den Studien auf der hiesigen hohen Schule obzuliegen, angekommen, muss er sich sogleich um eine anständige Kost und Wohnung gegen verhältnissmässiges und bestimmtes Kost- und Zinsegeld bewerben, nicht aber ohne erhebliche Ursache in einem Wirths- oder Kaffeehause wohnen.

Ao. 1787.

§ 6.

Die natürlichen und christlichen Pflichten, welche alle Menschen gegen Gott haben, sind von den Akademikern auf das sorgfältigste zu erfüllen.

§ 7.

Da die Wissenschaften ohne Religion, Furcht Gottes, Frömmigkeit und Tugend nur Finsternisse sind, so werden die Akademiker väterlich und ernstlich ermahnt, sowohl die Gebothe Gottes als der Kirche mit warmen Eifer zu halten.

§ 8.

Der österlichen Beicht und Kommunion halber hat sich jeder durch die gewöhnlichen Beicht- und Kommunionzettel zu legitimiren.

§ 9.

Alle Akademiker sollen den in der akademischen Kirche angeordneten Gottesdienst an Sonn- und Feiertagen fleissig besuchen, den von der hohen Schule zu haltenden öffentlichen Prozessionen so unausbleiblich als schuldig beiwohnen, und sich während denselben nicht in den Schenken, Kaffe- und Billardhäusern einfinden.

§ 10.

Da die Anhörung erbaulicher Predigten zur Vollkommenheit des Christen unumgänglich nothwendig ist, so hat jeder Akademiker den in dem marianischen Saale zu gewissen Zeiten zu haltenden geistlichen Reden jedesmal beizuwohnen.

§ 11.

Religionswidrige Gespräche, Gotteslästerungen, Spöttereien über löbliche Kirchengebräuche, unanständig-ärgerliches Betragen bei dem Gottesdienste, werden schärfest bestraft.

§ 12.

Gottlose, verführerische, Sitten- und Religionswidrige Bücher lesen, solche verbreiten, ist um so mehr verbothen, als die scheinbare Aufklärung, die man hieraus ziehet, nur wahres Verderben des Willens und Verstandes nach sich zieht, und die Aufklärer von dieser Art von der vernünftigen Welt nur verabscheuet werden.

Ao. 1787.

§ 13.

Die Inländer sind nach der Regel gehalten, mit dem ersten November hier einzutreffen und bis zur Vollendung der jährlichen Prüfungen sich aufzuhalten, bei Strafe, dass sie bei späterer Anlangung für selbiges Jahr nicht mehr angenommen, beim Abzuge vor den Prüfungen aber zur Wiederholung der Vorlesungen des vorigen Jahres angewiesen werden.

§ 14.

Ebendieselben sind der Regel nach verbunden, die bei einer jeden Facultät für jedes Jahr vorgeschriebenen Vorlesungen nach dem Studienplane zu hören.

§ 15.

Kein Inländer darf zum theologischen, juristischen und medicinischen Studium gelassen werden, der nicht ehehin alle Theile der Philosophie nach der Vorschrift des Ortes, wo er studirte, gehört hat.

§ 16.

Die Inländer müssen sich auch den gewöhnlichen Prüfungen, und zwar die Theologen, Juristen und Mediciner einer zu Ende des Jahres, die Philosophen aber zwoen Prüfungen unterwerfen.

§ 17.

Alle Akademiker sollen sich bei der in jeder Facultät gewöhnlichen Inscription stellen, und das bestimmte Submissionsgeld anbei erlegen. Ein Kavalier bezahlt jährlich 15 fl., ein Adeliger 10 fl., ein Bürgerlicher 5 fl.

§ 18.

Jeder Kandidat soll die vorgeschrieben Vorlesungen fleissig besuchen, und wenn einer öfters die Kollegien, die er zu hören dem Plane gemäss verbunden ist, auslässt, so wird er anfangs zur Frequentirung derselben ernstlich angemahnet, bei längere Zeit hindurch fortdauerndem Unfleisse nach Gutdünken der Faculät, zu der er gehört, gestraft, und wenn er dessenungeachtet im Unfleisse verharret, von der Universität entlassen werden; so wie überhaupt auf den Fleiss der Studirenden ein wachsames Aug zu haben gewohnt ist.

Ao. 1787.

§ 19.

Alle öffentliche und geheime Gesellschaften, wodurch verdächtige Verbindungen entstehen, besonders mit gewissen Zeichen, als Kokarden, Uniformen u. dgl. sind allemal verbothen.

§ 20.

Kein Akademiker soll sich über die Polizeistunde d. i. über 10 Uhr in den Wirths- oder Kaffeehäusern betreten lassen, sondern sich zeitlich in seine Wohnung begeben; allgemeine Freinächte ausgenommen.

§ 21.

Wenn Akademiker eine nächtliche Gassen- oder sonst eine öffentliche Musik machen wollen, so darf es nicht anders als mit Vorwissen des Rektors geschehen.

§ 22.

Alle Zusammenrottungen bei Tage oder Nacht, alles Nachtschwärmen, Tumulterregen ist schärfest und bewandten Umständen nach bei Relegationsstrafe untersagt; für den allenfalls bei einem solchen Vorgange verursachten Schaden sollen diejenigen, welche dabei gewesen, einer für alle und alle für einen haften.

§ 23.

Das Abreissen der angehefteten Verordnungen und Anschläge und das Besuchen der in obrigkeitliche Verwahrung gebrachten Kandidaten ist schärfest und nachdrucksamst verbothen.

§ 24.

Kein Akademiker darf von seinem Hausherrn einen Hausschlüssel begehren, so wie auch den Hausherren von ihren Obrigkeiten verbothen ist, selben einigen zu geben.

§ 25.

Kein Kandidat soll sich zum Richter in eigener Sache aufwerfen oder mit übel angewendeten Mitteln seine Ehre vertheidigen; daher denn alle Selbstgewalt, das Raufen und Duelliren nach Vorschrift der Landesherrlichen Verordnungen aufs schärfste untersagt und bestraft werden.

§ 26.

Wenn ein Akademiker von wem immer beleidiget wird, so hat er nichts anders zu thun, als jede Art von Thätlichkeit (die Nothwähre ausgenommen) sorgfältig zu vermeiden, dann dem Rektor

Ao.
1787. den Hergang der Sache sogleich schriftlich unverfälscht vorzulegen und um Beistand anzusuchen.

§ 27.

Es wird auch schärfest verbothen, unzulässige Waffen, als Raufdegen, Stillete, Terzerolle u. dgl. bei sich zu führen.

§ 28.

Um aber zu unangenehmen Begebenheiten keinen Anlass zu geben, haben sich die Akademiker eines stillen, friedlich-freundschaftlich-höflichen Betragens sowohl unter sich gegeneinander, als gegen Jedermann, und insonderheit gegen ihre Hausleute und Kostgeber sorgfältigst zu befleissen. Der sittliche Mensch sucht Höfliche an Höflichkeit zu übertreffen, Unhöfliche durch Höflichkeit zu bessern. Grobheit mit Grobheit vergelten, heisst die Zahl der Groben nur vermehren. Vorzüglich aber haben sie sich gegen ihre Vorgesetzte folgsam und ehrerbietig zu bezeigen; kein Vergehen dagegen geht ohne Ahndung und nach Gestalt der Sachen um so weniger ohne Strafe hin, als Akademiker ganz besonders von allem unartig-ungesittet-rohen, pöbelhaften und unbiegsamen Wesen geläuterte Menschen seyn sollen.

§ 29.

Den Akademikern wird aufgetragen, gegen Wachen, Patrouillen und überhaupt gegen den Militäretat sich auf eine solche Art zu betragen, dass keine Misshelligkeiten zwischen beiden entstehen können. Im Falle einer militärischen Arretirung soll ein jeder, er habe sie wirklich veranlasst oder nicht, unweigerlich mitgehen und die Ausmachung der Sache, sowie dessen Satisfaction im Falle seiner Unschuld, gleichwohl dem Rectorate respective der Universität überlassen.

§ 30.

Kein Akademiker soll sich mit offenem Halse und Brust, mit einer Tabackspfeiffe im Munde, dann anderen unartigen oder wider den Wohlstand laufenden Moden auf den Strassen und noch viel weniger in den Kollegien oder bei den Professoren sehen lassen.

§ 31.

Kein Akademiker darf sich während seines Hierseyns mit Fischen oder Jagen abgeben, sowie überhaupt alles andere Schiessen

Ao. 1787.

mit was immer für Gewehr, Granaden &c. inner der Stadt und den Festungswerken untersagt ist. Das Fahren auf der Donau ohne Schiffer sowie auch das Baden in dem Hauptstrome derselben ist durchgehends verbothen.

§ 32.

Akademiker sollen allen Umgang mit unsittlichen und verschwenderischen Leuten fliehen, in Gasthöfen und bei allen Gelegenheiten sich von Säufern, Spielern, Händelsüchtigen u. dgl. entfernt halten, sich selbst nicht betrinken und andere nicht dazu verführen.

§ 33.

Ebenso sollen sie alle Gattungen von Ausschweifungen mit dem anderen Geschlechte, Zeit und Geld versplitternde Bekanntschaften und Verbindungen sorgsam vermeiden und dafür ihre Zeit auf ihre Berufsarbeiten verwenden.

§ 34.

Die Verfassung und Verbreitung von Pasquillen u. dgl. wird auf das schärfeste und nachdrücklichste verboten. Wenn ein Akademiker ein solches findet, so soll er es alsogleich dem Rektor übergeben; widrigenfalls die Verfasser sowohl als Verbreiter solcher Pasquille nach dem Grade der Bosheit und beleidigten Ehre den Landesherrlichen Verordnungen gemäss mit empfindlichen Strafen belegt werden sollen.

§ 35.

Um junge Akademiker von Verschwendung und damit verbundenen Ausschweifungen abzuziehen, auch wider Verführer, Wucherer u. dgl. schändliche Betrüger sicher zu stellen, wird folgende Vorschrift zur Aufrechthaltung des Kredites gegeben.

§ 36.

Alle Schulden, welche Akademiker machen, werden eingetheilt 1) in privilegirte und 2) unprivilegirte Schulden.

§ 37.

Zu den privilegirten Schulden werden gerechnet: 1) das Kostgeld, 2) die Miethe für Wohnung und Meubel, 3) Honorarien für Erlernung der Wissenschaften und Künste, 4) die gnädigst verordneten Submissionsgelder, 5) Lohn- und Kostgeld für

Ao.
1787. Bediente, 6) Arztlohn und Medicamente. Bei diesen werden die Schuldner auf entstehende Klage alsobald zur Zahlung angehalten.

§ 38.

Unprivilegirte sind alle diejenigen Schulden, welche unter dem vorhergehenden Verzeichnisse nicht begriffen sind. Sie sind zweifach: 1) solche, bei welchen die gerichtliche Einforderung in einem gewissen Masse nach bestimmten Summen und Zeiten gestattet; 2) solche, bei welchen sie gänzlich verweigert wird.

§ 39.

Zu den unprivilegirten von der ersten Art werden folgende Schulden gerechnet: a) für Kaufmannswaaren 20 fl., b) für Bücher 15 fl., c) für Schuster-, Schneider- und andere Handwerksarbeiten 12 fl., d) für Wäscherlohn 10 fl., e) für Wein, Bier, Kaffee u. a. Getränke 5 fl., f) für Billardgeld 4 fl. Jedoch soll der Gläubiger verbunden seyn, wegen diesen in jedem Quartale entstandenen Schulden nach dessen Ablauf die Zahlung jedesmal einzufordern und innerhalb den nächsten 4 Wochen die gerichtliche Hilfe zu suchen; sonst wird er nicht weiter diess Orts gehört werden.

§ 40.

Allen übrigen Schulden, besonders solchen, die nur zur Ueppigkeit und Verschwendung gemacht worden sind, wie auch allen den gegenwärtigen Kreditsgesetzen entgegenlaufenden Schuldverschreibungen, Anleihen, Verpfändungen, Wechselbriefe u. dgl., obgleich selbe beeidigte Verzichte auf das Senatus-consultum Macedonianum und Restitutionem in integrum enthalten, soll die richterliche Hilfe ganz versagt werden.

§ 41.

Um vorsätzliche Schuldenmachereien zu verhüten, sollen dergleichen Schuldenmacher und Verschwender jedesmal mit Carcer und Hungerstrafe belegt, oder nach Gestalt der Umstände als gefährliche und schädliche Verschwender von der Universität verbannet werden.

§ 42.

Damit aber keiner gereizt werde, Schulden zu machen, so sind hohe Spiele, besonders Hazardspiele, kostbare Spazierreisen,

Ao.
Schlittenfahrten, Masqueraden, kurz alle Arten der Schwelgerei 1787.
schärfest verbothen.

§ 43.

Auch jede Verordnung, die nach den Umständen der Begebenheiten von dem akademischen Rathe während dem Schuljahre neuerlich gemacht wird, ist gehorsamst zu beobachten.

§ 44.

Alle obige Gesetze sind sowohl von den In- als Ausländern genau zu befolgen; nur die Zeit der Ankunft und Abreise, dann die Wahl und Ordnung der Kollegien bleibt der vernünftigen Willkühr der Letztern anheimgestellt. Schliesslich

§ 45.

Gleichwie die Uebereinstimmung der Handlungen mit diesen Gesetzen ohnehin schon die herrlichste Belohnung nach sich zieht, so werden hingegen im Uebertretungsfalle die Strafen, wo sie bestimmt sind, alsogleich; wo sie es nicht sind, nach dem Grade der Bosheit ohne Nachsicht verhängt werden.

II.

Ordinationes quaedam, Ao.
quae ab anno 1788 inde seorsim evulgatae et in nova earundem 1795.
legum academicarum recensione anno 1795 edita singulis ibi paragraphis adjectae sunt.

ad § 5.

Nach gnädigster Verordnung vom 22 November 1794 hat jeder zeitliche Rektor die Macht, den Akademikern jene Wohn- und Kosthäuser, welche verdächtig und den guten Sitten erwiesen nachtheilig sind, mit allem Ernst zu verbiethen und nach Umständen selbst die mit dergleichen Kostgebern und Zimmervermiethern abgeschlossen Kontrakte aufzuheben.

ad § 7.

Besonders ward noch unterm 11 Jäner 1790 gnädigst verordnet, dass die Akademiker nach den Kirchen- und Polizeigesetzen gehalten seyen, an Fasttägen sich der Fleischspeisen zu

Ao.
1795. enthalten. Hievon sind nur diejenigen ausgenommen, die hiezu von dem Pfarrer oder Arzte eine gegründete Erlaubniss beibringen können.

ad § 10.

Diese Andachtsübung (Anhörung der in dem Marianischen Saale abzuhaltenden geistlichen Reden) wird nach Inhalt neuerer gnädigsten Verordnungen vom 3 September 1791, dann vom 27 Hornung 1793 sämmtlichen Akademikern mehrmalen eingeschärft.

ad § 11.

Nach Landesherrlicher Verordnung vom 27 Hornung 1793 sind solche, welche religionswidrige Gespräche, Gotteslästerungen, Spöttereien über löbliche Kirchengebräuche oder unanständiges ärgerliches Betragen bei dem Gottesdienste sich erlauben, wenn sie Inländer sind, an ein garnisonirendes Regiment abzugeben; Ausländer werden von der Universität hinweggeschafft und ihre Namen ad valvas angeschlagen.

ad § 18.

Auf den Unfleiss tretten nun eben die Strafen ein, die wegen Irreligiosität (§ 11) gnädigst verordnet sind.

ad § 20.

Nach der neuesten gnädigsten Verordnung vom 24 Mai 1794 ist die Polizeistund zum Nachhausegehen auf 10 Uhr im Winter und Sommer für Jedermann festgesetzt.

ad § 24.

Diese Satzung (die Hausschlüssel betr.) ward durch eine neuere landesherrliche Verordnung vom 11 Jäner 1794 mit dem Anhange gnädigst bestätiget, dass diejenigen Akademiker, welche Hausschlüssel besitzen, solche alsogleich ihren Hausherrn zurückstellen sollen. Würde ein Akademiker entdeckt werden, der diesem Befehle nicht nachkömmt, oder sich auf was immer für eine Art einen andern Hausschlüssel zu verschaffen gewusst hat, so wird derselbe das erstemal 8 Tage, auf weiteres Betreten ein Monat lang mit Keuchenarrest belegt; zum drittenmal aber ohne weiters relegirt werden.

ad § 30.

Wie jedem anderen so wird auch den Akademikern durch die gnädigste Verordnung vom 11 Jäner 1794 das Visirtragen

Ao. 1795.

vor dem Angesicht auf der Strasse ernstlich verbothen; wer sich damit betreten lässt, wird sogleich arretirt, und ihm ohne Rücksicht die Masque abgenommen.

ad § 32.

Nachdem die Erfahrung gelehrt, dass sich derlei Unwesen (Völlerei und Streithändel) nicht selten bei Handwerksjahrtägen und Hochzeiten ereignet, so wird den Akademikern durch die gnädigste Verordnung vom 11 Jäner 1794 das Besuchen der Handwerksjahrtäge bei Strafe eines achttägigen Keuchenarrestes im ersten Uebertretungsfalle, im zweiten aber bei wirklicher Relegation durchgehends und für jede Zeit verbothen. Zugleich wird aber die Beiwohnung bei Hochzeiten nur denjenigen Akademikern gestattet, welche von ihren Verwandten förmlich hiezu eingeladen sind.

ad § 42.

Nachdem sich hier sowie auf andern Universitäten der Missbrauch erhalten, dass, wenn die Juristen dieselbe nach geendigten Studien vor Ende des Schuljahrs verlassen, selbe gemeiniglich von 15 bis 20 Akademikern theils zu Pferd, theils in Wägen einige Stunden weit begleitet werden, diese Begleitung aber für die Reitenden oft gefährlich, jedesmal aber mit unnöthigen, ihren Eltern und Verwandten manchmal sehr lästigen Ausgaben verbunden sind, so sind nun auch diese durch eine gnädigste Verordnung vom 11 November 1795 förmlich verbothen.

ad § 45.

